



9
3 I
30

NATALIS COMITIS

Historiarum sui temporis

LIBRI DECEM.



Pars Prima.

Cum indice antiquorum & recentiorum nominum Vrbium, Oppidorum, ac Fluminum locuplete.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS,

Apud hęredes Melchioris Sessę MDLXXII.

SERENISSIMO IOANNI AVSTRIACO,

INVICTISSIMO FOEDERIS CHRISTIANORVM IMPERATORI.



RES Caroli Quinti felicis memoriæ Imperatoris maximi patris tui, Ferdinandiq́; patrui, & Maximiliani patruelis itē Imperatorū, ac Philippi optimi potētißimiq́; Hispaniarum & noui orbis Regis fratris tui gestas aduersus varias nationes, quæ arma susceperant in Austriacam familiam monumentis literarum à me cōmissas volui præsertim sublimitati tuæ consecrare. Neque id solùm iure à me fieri censeo, quia sis clarißimum lumen eius familiæ, quæ nihil vnquam mediocre tulit; verumetiam quia hisce temporibus maximè omniū mortalium floreas laude uirtutis, & gloria rerū gestarū, quæ postea à me declarabuntur. Nā tantas, tā gloriosas, tā diuinas res gestas quæ vlla vnquam tacebit posteritas? ad omnes siquidem posteros tuum memorabile nomen trāsmittetur, cum trophæis, monimentisq́; tuis nul-

la unquam allatura sit finem ætas. obstupescent posteri, mihi crede feliciter augurãti, Adriam, Nilum, Oceanum, pugnas innumerabiles, victorias incredibiles, monimenta, triumphos audientes & legentes tuos: quando coniunctis armis Venetis in ista ætate Tu primus fecisti ut Ottomanica familia insuperabilis credita per longißimã annorũ seriẽ vulnera Christiana persenserit cum insigni suorum clade. Tu primus barbaras illas gentes posse vinci virtute docuisti. Tu primus de Ottomanica gloria per infinitas victorias inueterata triumphasti. Tu turcica insignia imperatoria cum maxima omnium populorũ admiratione captiua in patriam reportasti. Tu uniuersas Christianas nationes vno prælio protexisti. Tu denique non Austriacum modo decus, sed etiam Hispanum nomen & gloriosum & hostibus formidabile fecisti; demonstrastiq; uel in ista ætate, & in primis militiæ rudimentis quanti sit sapiens Imperator in omni re militari. Deus opt. max. honestißima incœpta tuæ sublimitatis fortunet, quæ spero mihi opulentißimam & vberrimam conscribendæ historiæ facultatẽ datura. Rauenna prid. cal. Iulij 1572.

Serenitati tuæ deditiss.

Natalis Comes.

NOMINA ANTIQVA NONNVLLA & recentia vrbium ac locorum quæ in historijs nominantur. Quæ quidem dissentire ui sa sunt à communi vsu loquendi.

ABdera latinè,	Vulgo Aspofa.
Abella	Auellino.
Abidos,	Aueo.
Audiacum	Fieffa.
Abus fluuius.	Humbro.
Acamante	Capo S. Epifanio
Acerra.	Carpi.
Acra Iapygia,	Otranto.
Acroceraunij,	Scochi, Cimerioti.
Actiũ promõtoriũ,	Capofigo.
Acula,	Aqua Pendente.
Adrumetum,	Maometa.
Adula mons,	Monte S. Gotardo
Aegæũ mare,	l'Arcipelago.
Aetolia,	Paese di Lepanto.
Aginnum,	Angolem.
Aguntum,	Nouenstat.
Ailanum,	Agliano.
Alata castra,	Edemborgo.
Alba Græca,	Buda.
Alba Pompeia,	Alba in Liguria.
Albigaunum,	Arbinga.
Albium intemeliũ,	Vintimiglia.
Alcimenium,	Olma.
Alencomium,	Alanson.
Alissa,	Istria.
Allobroges,	il Delfinato.
Alon Teraconẽsis,	Alicante.
Alsium,	Cerri.
Amasius flu.	Ems.
Amantia,	Porto Raguseo.
Amatusia,	Limisò.
Amanus mons,	Montagna Nera.
Ambarri pop.	di Borbone.
Ambiani,	Amiens.
Ambiuaritæ,	la Brabantia.
Ambracia Larta,	La preuesa.
Amiternum,	Aquila.
Amphimaleus sinus,	la Suda.
Analtum,	Anault.
Anassus flu.	la Piaue.
Anglarium,	Angiari.
Andium,	Angiò.
Anio.	Teueron.
Anitia	Lenza.
Anobij pop.	Hessiæ.
Anonium,	Anon.
Antilia.	Dertona,
Antipolis,	Ragni.
Antium	Nettunia.
Anxur,	Terracina.
Apeneste,	Manfredonia.
Aphricus,	Garbino.
Aphrodisium,	Africa Città.
Apollonia Macedonũ,	Sossipoli.
Apollonia,	la Vallona.
Apsus,	Vardari
Aquæ Augustæ,	Baigna.
Aquitania,	Guascogna.
Arabicum mare,	Mar Rosso.
Aræ tutelæ,	la Calonega.
Arar flu.	la Sona.
Aredate,	Lienz.
Argelia,	Torgao.
Argentoratum,	Argentina.
Argirutum,	Nouegradi.
Argolicum mare,	Mar di Napoli.
Argos Amphilochi,	Nicopoli.
Armenia Maior,	Turcomannia.
Armonactum.	Moncastro
Argos Macedoniæ.	Armirò.
Arectium	Rezzo di Toscana.
Aricomij	Populi d'Auignõ
Artobriga.	Ratisbona.

Artomici.	*Popoli d'Armignac.*
Artesia.	*Artois.*
Arud.i.	*Tripoli di Soria.*
Aruernij,	*Aluernia.*
Arx cauorum.	*Rocanion.*
Ascriuium,	*Cataro*
Asia minor,	*Natolia.*
Assorum & cressa,	*Cherso & Ossaro.*
Asta Colonia.	*Asti.*
Aternum.	*Pescara.*
Athesis.flu.	*l'Adese.*
Ateste euganeorũ,	*Este.*
Atheneũ promõt.	*Capo Minerua.*
Aternum,	*Atri.*
Attalica,	*Sattalia Città.*
Attrebates.pop.	*d'artois, arràs.*
Atuacutum.	*Anuersa.*
Auenianum,	*Auignon.*
Augusta Romãduorũ.	*Lucemburg.*
Augustoritum,	*Pottiers*
Augusta Taurica.	*Turin.*
Augusta Vindelicię.	*Augusta.*
Augusto briga,	*Medinaceli.*
Aurelia.	*Orliens.*
Augustoriometum.	*Neuers.*
Aulerci.	*Populi de Rian.*
Aurumũa.	*Aurica.*

B

Babucum.	*Bauco.*
Baganum.	*Tornai.*
Barcinon,	*Barcellona.*
Balaeres.	*Isole maiorica & minorica.*
Barulum.	*Barri.*
Basiana	*Possega.*
Bastitani.	*Castiglia.*
Batani.	*Olandia.*
Battodurũ.	*Aquisgrana.*
Belgium.	*Fiandra.*
Bellonaci.	*Beauuois.*
Bettere.	*Anguien.*
Bettica.	*Granata.*
Bibacum.	*Bibrac.*
Biducenses.	*Populi di Normandia.*
Blesiacum.	*Bles.*
Boij,	*Bauiera, Romagnuoli.*
Boreas.	*Greco Tramõtana.*
Borodunum.	*Patauia.*
Bosphorus Thracius.	*Canal di Constãtinopoli.*
Bregetium.	*Giauarin.*
Britannia.	*Inghiltera.*
Budigala.	*Bordeos.*
Bugunti.	*Populi di Pomerania.*
Buri.	*Populi di Scelsia.*
Busateri.	*Frisi.*
Bussuntium.	*Pomerania.*
Busonium.	*Busso.*
Buxetum.	*Policastro.*
Bussonia	*Busso di Piemõte.*
Butrotum,	*Butrintò.*
BuyzaColonia.	*Oran.*

C

Cacias.	*Graco Leuante.*
Canomani.	*Marca Treuisana*
Casarea Aug.	*Saragoza di Spagna.*
Casię littus.	*Calui.*
Calegia.	*Vittimberg.*
Calcedone.	*Scuttari.*
Calesii Populi.	*Cales.*
Calpe mons.	*Gibelterra.*
Camani.	*Misnia.*
Camalodunum.	*Vincestre.*
Cambodunum.	*Chemptenĩ.*
Cameracum.	*Cambrai.*
Camertes.	*Camerin.*
Campania,	*terra di Lauoro.*
Campilium,	*Campoli.*
Canastraeum.	*Monastier.*
Canenipbatum.	*Selanda.*
Canodurum,	*Cracouia Città.*

Canntium

Cantiū promōtoriū, Chempron.
Caneſtrcū promōt. Capo crio.
Canodurum, Coſtanza.
Cantiche, Amberga
Canuſium, Canoſa. (glia.
Cantabria, Nauarra, Biſca-
Caritni, Vittemberg.
Carmaniola Carmagnola.
Carnutes. Chartres.
Carnum, Poſſonia
Carpathium, Scarpanto.
Carpium Carpi.
Carraca, Carrauazzo.
Carſiolum, Talia Cozzo.
Cartago noua, Cartagene.
Caſalius ſinus, Porto S. Firenzo.
Caſtrononum, Caſtel nouo.in Golfo di cataro.
Caſuari, Turingia.
Caſurgium, Praga.
Catalaunum, Scialon.
Catti pop.d'Heſia.
Cauci pop. di Luneburg.
Celtæ pop.di Normādia
Celtiberia, Caſtiglia
Centumcellæ, ciuità Vecchia.
Ceronia, Cerines.
Ceſoniacum nauale, Cales Anglię.(te
Chalcis Euripi, Canal di Negropō
Charybdis et Scylla, Faro di Meſſina.
Cheruſci pop.de Miſnia.
Cilicia, Caramania.
Cimbri pop.di Danimarca.
Clodia foſſa, Chioggia.
Cluſium, Chiuſi.
Clymachium. Comacchio.
Cottie alpes, de Monciniſo.
Compendium, Compiegne.
Condiuineum, Nantes.
Cornium, Glouceſtre
Corcyra nigra, Curzola.
Corcyreum fretum, Golfo di Corfù.

Corinthus, Coranto.
Corinthiacus ſinus, di Lepāto.
Corone, Coron.
Cornubij, Cornoualia.
Curio ſecites.
Cornu Byzātium, Pera.
Crypta ferrata, Grotta Ferata.
Cuniū promōtoriū, Capo delle Gatte.
Curium, Limiſò.
Curcuta, Curzola.
Curta. Buda.
Cyclades inſulæ L'arcipelago.
Cydonia, la Cania.

D

Dacia Trāſiluania.
Dania Danimarca
Dardania, la Ruſſia.
Dardani pop.di Seruia.
Dauciones pop.di Danimarca.
Daunia apulia, Puglia Piana.
Deuana, Bamburg.
Deſerta Heluetiorū, Selua Negra.
Didyma inſula, Saline.
Dion promontoriū, la Fraſchea.
Dios inſula, Scandea.
Dinodurum, Metz di Francia.
Donini fanum, Borgo S. Donin.
Drepanū promōtoriū, Maleca.
Druſomagum, Memingen.
Dyrrhachium, Durazzo.

E

Eburaici, Aurelianeſi pop.
Ebrus, Mariza di thracia.
Eburum, Olmtz.
Eburones, Liege. Leondul.
Echidnades, Salie.
Effui. Retelo.
Egialia, Cicerigo.
Elis, Beluedere.
Elſatiani, Scelſia.
Enpontus, Inſpruch.
Epetium, Spalatro.

Epidaurus

Epidaurus, Maluasia.
Epidamus Dalmatiæ, Ragusa.
Epirus, Romania.
Epla. Cerigo uel Cicerigo.
Eporedia, Inurea.
Ericusa insula, Pacsu.
Erona; Narenta.
Eubæa promõtoriũ, Mantello.
Euonyma insula, Vulcanetto.
Eupatorium, Pompeiopoli.
Euxinum mare, Maggior.

F

Fauentia, Faenza.
Felsina, Bologna.
Fensinum, Frusolon.
Fidentia, Firenzuola.
Fisera, Figari.
Fluxates pop.di Fois.
Forum Liuij, Frusolem Paese.
Fossæ Papyrianæ, Aqua morta.
Frangetæ, Monte Fortino.
Frusinum, Frusolon.

G

Gades, Caliz
Galatia, Gaiazzo.
Gallicum mare, di Normandia.
Gallia subalpina, Piemonte. (gnã.
Gallia Narbonẽsis, Contado di Perpi-
Gallia togata, Romagna.
Gallia comata, Francia.
Gandurum, cõstãza de Suizzeri.
Gandaunum, Gantes.
Gardistallum, Guastalla.
Gaumellum; Biella.
Geneua, Geneura.
Genebum, Orliens.
Gergolia, Chiaramõte in Aruernia.
Gessoniacum, Bruges
Getuli & Numidæ, Arabi.
Gisna, Ghines.
Glanis, Chiane
Glanicus, Garigliano.

Gorduni, pop.di Gantes.
Gratianopolis, Granolle.
Grauionarium Bamberga.

H

Henebaldus, d'Anibaũ.
Harudi pop.di Constanza.
Hamaxobij, Moscouiti.
Hellespontus, Streto di Gallipoli.
Heluetij, Suicceri.
Heraclea sentica, Scopia.
Herberia, Rubera.
Hierapolis, Aleppo.
Hiadera, Zara.

I

Iapidia, la Stiria.
Iapygia, Apulia. (to.
Irlãda Iapygium promõt. Capo d'Otrã
Ibernia & Iuernia,
Iberus flu. Ebro.
Icarium mare, di Nicaria.
Illyrium, Bossina et Crouatia
Incriones, pop.Hessiæ.
Insulæ fortunatæ, Cunarie.
Insubria Lombardia.
Inutrium, Isspruch.
Intuergi pop. Palatinato Virtem-
berg.
Ionia, Quisco.
Ionium mare di Cephalonia.
Iope, il Zafo.
Iscalum, Ilchestre.
Isburgij. pop.di Morauia.
Isca. Escestre.
Iscopolis, trippoli di Cappadocia.
Isthmus Corinth. Esamiglio di corãto,
Istonium, Vasto
Iulia bona, Honsten.
Iulia Cæsarea. Algieri.
Iuliourgium. Brunsuicco.
Iulium Carnicum, Villaco.
Iuliomagum, Anger.
Iulia bona, Vienna.

Iuuania,	Salzburg.
L	
Labicum,	Valmonte.
Lancinum,	Capo delle Colõne.
Laumellum.	Lomellina.
Lemnos,	Stalimene.
Lemanus Lacus	di Zenebra
Leptis parua,	Africa.
Lerina insula,	Margarita.
Lesbos,	Metelino.
Leucas,	Santa Maura.
Leucosia,	Nicosia.
Leutoburgium	Cinque Chiese.
Liburnia,	Contado di Zara.
Ligurnum,	Liuorno.
Ligusticum mare,	di Genoua.
Limiri,	Lubec.
Liquentia flu.	Liuenza.
Liris fl.	Garigliano.
Liuerna,	Liorna.
Lizisum.	Lippa.
Locri Italiæ,	la Rocella.
Lotaringia,	Lorena.
Lothopbagita,	Gerbe.
Lutiburi pop.	di Scelsia.
Lusitani,	Portugesi.
Lucania,	Basilicata.
M	
Macaria,	Cypro.
Madritum.	Madril.
Manice,	Gerbe.
Mæsia,	Bulgaria.
Magna Græcia,	Calabria.
Mantiri,	Bastia.
Mantua Carpẽtanorũ.	Madril.
Marcomani,	Morauia, Boemia.
Marię burgum,	Marinborgo.
Mariana,	Marano.
Mariana fossa.	Aqua Morta.
Maringi,	Islesia.

Marinum,	Marin.
Marsi,	Abruzzesi.
Mauritania Tigitana	Barbaria.
Meagrum,	Castel nouo di Napoli.
Meclina,	Malines.
Mediolanum.	Orleans.
Mediolanũ Santonũ.	Xaintes.
Mediolum,	Moncaio.
Mediomatrices,	Metz di Lorena.
Medorum rex	Sophi.
Memorantium,	Memoransi.
Menapij,	Gheldria. Cleues.
Menice, ins.	Zerbe.
Mesopotamia,	Diarbecca.
Metapontus.	Manfredonia.
Metone,	Modon.
Misistra,	Misiotrato, Lacedemonia.
Mitylene	Metelino.
Mocontiacum,	Magonza.
Modoetia,	Monza.
Mons Politianus,	Monte Pulciano.
Mons Roseus,	Monterusolo.
Morini,	Picardi.
Mussium,	Musso.
Myrtoum Mare	di Mandria.
Mysia superior,	Valachia.
Mysia inferior,	Moldauia.
Mysia,	la Seruia.
N.	
Nadinum,	Labrana.
Nalena,	Ossiforde.
Nansium,	Nansi.
Narone,	Narenta.
Narisci, pop.	del Palatinato.
Naupactum,	Lepanto.
Nauplium,	Napoli di Romania

nia.	
Nemeti pop.	de Spira.
Nedinum,	Nadin.
Neomagum,	Nemours
Neodurum,	Leondul.
Nepita,	Nepi.
Neptunium,	Nettuno.
Neritum,	Nardi.
Neruij pop.	Tornacesi.
Nicæa.	Nizza.
Nicopolis,	la Preuesa
Nigræũ promõtoriũ,	Capo Ianizzeri.
Nitioriges pop.	di Mompolier.
Norba Cæsarea,	Alcantara.
Noricum,	Bauiera.
Noreia,	Norimberga.
Normania,	Normandia.
Noniodunum,	Noion.
Numana.	Vmano.
Numantia urbs,	Soria.
Numidia.	Barbaria.
Nußia flu.	Nansau.
O	
Oeteus sinus,	Golfo di Negroponte.
Ombricus,	la Mosella.
Onchesmus,	Porto Santi 40.
Ophiusa insula	Fromẽtera.
Oriuetum,	Oruiti.
Orrea,	Moncastro.
P	
Pachinus,	Capo Passaro.
Paloda,	Palota Vngaria.
Pallanũ, et palianũ.	Palian.
Pamphylia,	Settelia.
Pannonia,	Vngaria.
Pannonia inferior,	Transiluania.
Parentium,	Parenzo
Parthorum Rex,	Tamerlan. persiã.
Patræ	Patrasso.

Paxum,	Pacsũ.
Pelusium,	Damiata.
Peloponnesus	la Morea.
Pecencia Apulia	di Bari.
Peßium,	Seghedin.
Pessulus,	Mompolier.
Phalisci,	Monte Fiascon.
Phamiranum,	Brema.
Phanodinum,	Mechelburgesi.
Pharia,	Liesena.
Pheugarum,	Alberstat.
Philocolis,	Ceruia.
Picenum,	Marca d'Ancona
Piræum,	Porto Lion.
Pithecusa,	Ischia
Pintia,	Vagliadolit.
Planaria	Insula Pianosa.
Pons Asturæ,	Ponte stura
Populonium Portus Traianus	Piombino.
Prænefle,	Palestrina.
Præcutini,	Abruzzo.
Priuernum,	Piperno
Propontis palus,	Zabache.
Pruteni pop.	Prusia Polonia.
R	
Rapolanum,	Rauignan.
Rauraci,	Basilee pop.
Regium Lepidi,	Rezo di Lombard.
Regium Iulium,	Rezo di Calabria.
Remi pop.	Remensi.
Rigiacum,	Arasse.
Ripa alta,	Roxemburg.
Rispia,	Vesprino.
Rhetia,	Sueuia, Grisoni
Rithimia,	Retimo.
Rium & Meliceriũ,	Dardaneli.
Ropicum,	la Rogella
Rosellæ,	la Rochelle.
Rosulum,	Monte Rusolo

Rouinium,	Rouian.
Ruscinum	Ronciglion.
Rutheni,	Rhodes.

S

Sabbatia,	Sauona.
Salua,	Seghedin
Salamin,	Famagosta.
Samarobriga,	Cambrai.
Samonium promõt.	Capo Salamon.
Samnites,	Abruzzo.
Sandesirium,	Sandresi.
Sangobardi,	Marchia
Santonum Portus,	la Rochelle.
Sarmatæ,	Polonia.
Sauus fluuius,	Saua.
Scandauia.	Selandia.
Scedra,	Scutari.
Scyllæum promon.	Capo della Volpe.
Scyllæum mare,	di Squillazzo.
Scythæ,	Tartari.
Senia,	Segna.
Sennones,	Marchia de Brandeburg. Pomerania.
Segodunum,	Noremberg.
Sequani pop.	Borgogna.
Sequana flu.	Sena
Sermitum,	Sermoneta.
Setia,	Sezza.
Sextus & Abydus,	Dardaneli.
Sicambri,	Gheldria, Cleues.
Sicyone,	Basilica.
Sontius,	Lisonzo.
Sora,	Ponte Coruo.
Strongyle,	Stromboli
Strophades,	Striuali.
Strymone,	Marmano.
Suessiones,	Campagna di Fiandra.
Sulmoneta,	Sermoneta.
Sunium promont.	Capo delle Colõbe.
Suuianum,	Soana.
Syrtis maior,	Gerbe.
Syracusanus portus	Sancto Bonifacio.
Syrtes,	Seche de Barbaria.

T

Tænarus, promont.	Capo de Maina.
Tanais,	la Tana.
Taurenta,	Tolon.
Tauroschytæ,	Podolia.
Taprobane,	Samothracia.
Taurica Chersonessus,	Tartaria.
Taurunum,	Belgrado.
Taurentium,	Tolone.
Tectosates,	Linguadoc.
Tenos insu.	Tine.
Terina,	Terni.
Teuceri pop.	Hessiæ.
Termaicus sinus,	Golfo Salonichij.
Termulæ,	Termini.
Teutoburgium,	Cinque Chiese.
Teutrania,	tripoli di Galatia.
Teruanna,	Teroana.
Thessallonica,	Salonichi.
Thule,	Islanda.
Tibiscus fl.	Tissa.
Tibiscum	Temesuar.
Tifernum,	città di Castello.
Tiliauentum.	Tagliauento.
Tolosa Colonia,	Tolosa.
Tragurium,	Traù.
Treua,	Amburg.
Treuiri,	Treueri.
Triballi pop.	Bulgariæ.
Triboces pop.	di Scelsia.
Tribocij,	Elsatij.
Tripolis,	di Soria.
Truentus,	Tronto.

Tungri pop.	Brabantia.	Vibo,	Vibona.
Turoni,	Islesia	Vicus Valerius,	Vicouaro.
Turones,	Tours.	Vindelicia,	Augustani di Bauiera.
Tusculum,	Frascati.	Vinundria,	Agria.
Tibur,	Tiuoli.	Vispi,	Pisguardia.
V		Vistula fl.	Visela.
Valentia Colonia,	Valenza Allobrogum.	Vlispona,	Lisbona.
		Vlpianum.	Alba Iula.
Valentium,	Valenza di Lombardia (to.	Vmbria,	Ducato d'Vrbino et Spoleto.
Vangiones	pop. del Palatina	Volcarum,	Mompolier.
Vbij	popoli di Colonia.	Volcæ,	pop. di Linguadoc.
Velitrum,	Veletri.	Vrbatellum,	Orbetello.
Vempsum,	Valmontone.	Vrcinium,	Aiazzo.
Vermandui,	pop. di Picardia.	Vrsatia.	Madril.
Verulum,	Veruli.	Vsipeti,	Francfort.
Veromandum,	San Quintino.	Z	
Vessones,	pop. di Brāsuicco.	Zephyrium permōt.	Capo spartiuento

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER PRIMVS.



NIVERSA nostri temporis bella terra, mariq́; gesta, quæ sigillatim ab alijs pertractata sunt, scribere adorti superuacaneũ propè esse ducimus quempiã ad historiæ lectionẽ adhortari; cũ omnibus pateat, hanc solam esse veram viuendi magistram, quæ docet quo pacto res priuatas & publicas gubernari oporteat, non solùm ratione, sed etiam rerum præteritarum exemplis. Nam qui res gestas literis committunt, vel si hoc diligentißimè fecerint, nisi patefecerint consilia Ducũ, & errorũ, uirtutumq́; rationes, ut ex his certam uiuendi legem quiuis in posterum sibi constituere poßit, vel nullam, vel certè perexiguam legentibus afferunt vtilitatem. Quæ enim alia ratio præstantior esse poßit Imperij defendendi, vel etiam amplian di, quàm si constiterit quibus artibus, quove bellandi genere ciuitates restiterint potentißimis exercitibus, diuturnasq́; pertulerint obsidiones; aut quibus facile uictæ fuerint? Quippe cum ea, quæ pertinent ad militarem disciplinam, si quis ignorauerit, huic cum bonorum omnium libertatisq́; iactura in potestatem hostium uenire necesse sit: cum peritis contrà, & gloria apud posteros, & imperium in cæteros homines, & omnis humana felicitas sit proposita. Quæ cum ita sint, non minus utiles existimandi sunt ciuitatibus rectè scribentes historiam, quàm Imperatores, & defensores urbium, quòd illi paucas urbes & non sæpius possunt defendere, cum prudentes rerum gestarum scriptores & semper & ubique urbes tueantur; omnesq́; posteros informent ad varios fortunæ euentus. Nam uix fieri potest, vt quis bonus sit historiarum scriptor, qui idem esse nõ poßit bonus Imperator.

Vtilitas & capiẽda ex historia.

plerique tamen rerum bellicarum imperiti, ut rem leuem, historiam conscribere aggrediuntur, ignari quantum onus susceperint: quod ita fit, quia rerum singularum inscitia facit homines ad omnia pericula audaciores. Nos igitur, his ita cognitis, dabimus operam pro uiribus, ut ea cognoscantur, quæ gesta sunt ubique gentium; ab ijs temporibus, & rebus gestis initium summentes, quæ scripta Pauli Iouij attigerunt: persequemurq; ad ea usque tempora, quæ nobis diuinitus concedentur: in quibus seruabimus tanquam iusiurandum, ne quid scientes mentiamur, aut scribamus ad alicuius gratiam: cum sciamus ueritatem esse animam historiæ, qua dempta, nihil relinquitur, nisi inanis scribētis labor, & miserabile cadauer.

Veritas anima Historiæ.

GALLIA *itaq; omnis, & Italia, & reliquæ orbis terræ prouinciæ, & Imperia suauissima tranquilitate, ac quiete perfruebantur; cum pax inter duos potentissimos Christianorum Principes fuisset composita: quòd nationes reliquæ uel horum bellis fuissent implicatæ, quorum hortatu arma sumpsissent; uel per horum dissidia ad res magnas aspirare posse sibi tutò uiderentur. Fuerat pax illa inter Franciscum præstantissimum Galliarum Regem, & Carolum Quintum Imperatorem Maximum, confecta apud Crepinium castellum in Suessionibus, astipulantibus hinc Cæsarianis procuratoribus illi negotio præfectis, sacramentoq; affirmantibus, Nicolao Perenoto Granuelio Cæsariani scrinij magistro, & Ferrando Gonzaga primam autoritatem in castris post Cæsarem militaris imperij obtinente: inde Regijs Hanebaldo, Amirante, & Nulleio Senatore. Quo tempore per conditiones pacis non solùm Carolo Duci Sabaudiæ cuncta in Allobrogibus, & in subalpina Gallia restituta sunt, quæ adempta fuerant, sed etiam omnes ferè christiani Principes, & liberæ Italiæ Ciuitates in conditiones*
1546 *sunt inclusæ. Agebatur annus salutis nostræ quadragesimus sextus post mille & quingentos, cum in locum demortui Alphonsi Dauali Istoniensis sufficitur in præfecturam Mediolanensem à Cæsare Ferrandus Gonzaga paulo ante Prorex Siciliæ; vir rerum bellicarum, & urbanarum peritia insignis. Cæsar post pacem cum Francisco Gallorum Rege factam in Germaniam se confert eo consilio, ut superbiam nonnullorum frænaret, qui nouas, ueteresq;*

inimicitias

inimicitias exercebant cum Austriaca familia. Protestantes uocati conuentus habent in urbe Vsipetorum, ubi decretum est de Tridentina Synodo, de sumptibus belli Vessonensis, siue Bransuiccensis, & de nõ deserendo Archiepiscopo Coloniensi Vbiorum, qui contra Pontificis, & Cæsaris mandatum antiquæ Religionis instituta mutauerat. Atqui propter frequentes de religione, uariasq; sententias omnia iam plena erant tanta perturbatione, ut non mediocriter laboraret res Germanica; liceretq; de summis magistratibus accusationes ad paucos Principes Imperij deferre. qui etiã Archiepiscopo omne auxiliorum genus, si qua uis inferatur, liberaliter adpromittunt. Enimuero cum paulatim serperet lutheri lex, & adulterina euãgelicarum rerum explicatio, atque in principatum Intuergorum seu Palatini denique fuisset admissa, tanquam pro gloriosa uictoria, & insigni aliqua re gesta, legationes gratulatum mittunt Protestantes, iussæq; sunt sacræ Christi cruci affixi imagines prosterni, et infringi; quod impium esse dicant imagines coli. atqui non solùm impium, & nefarium esse fatemur idola, & simulacra, & uanam materiam tanquam Deos colere; uerùm etiam hoc qui faciat, insaniæ & dementiæ condemnamus: cũ tamen tam impium sit imaginem Seruatoris nostri Iesu Christi ulla contumelia afficere, quàm nefarium diuinos honores materiæ, & imaginibus ex ea factis tanquam deis concedere. ijdem rursus censemus sacras imagines omnino in sacris locis necessariò esse habendas, quæ non minus pictura, & fortasse magis ad sensum, quàm literis monumenta pietatis, & diuinæ erga nos charitatis referant. Eodem tempore quia Tridentinum Concilium noluisset colloquium Artobrigense comprobare, intelligẽs Cæsar Protestantes Concilium istud reijcere; ne paci & tranquillitati procurandæ defuisse uideretur; concessit haberi illud colloquium, sine præiudicio tamen Tridentinæ Synodi, ad quam sciebat negotium de Religione necessariò deuolui oportere, ut publicè Christianorũ paci consuleretur. Diu disputatum est de ratione colloquij, cui Protestantes octo, & totidem Catholici collocutores, & auditores deligunt. neque tamen res conuenire poterat, quia alij scriptis omnia colloquia committi uolebant, alijs id procrastinatio tantùm uidebatur. Prius nuntiatur à Catholicis, si quid aduersus sacram

Comitiorũ statuta Vsipetorũ

Imagines ut habendæ sint.

scripturam, Apostolicasq; traditiones dictum sit, id se pro nihilo uelle haberi: at si quid communi sententia decretum fuerit, id habendum esse pro familiari sermone sine ulla ui, aut robore decreti. mox prolata cõfessione Augustana, quam Cæsar Augustæ anno. 1530. concesserat cum apologia; rogantur Protestantes, num in eadem sententia persisterent, scriptaq; ille repugnãtia uel sua omnia damnarent; Bucerus, qui primas apud Protestantes obtinebat, diu hæsitáuit, ac respondet demum se damnare scripta contraria; quo responso suos etiam damnauit, qui ab ea in plerisque defecerant: atque ne deliramenta, quæ multa à Bucero prolata sunt, memorem; id tantum dicam, quòd ille non minus atheos, quàm ille antiquus Diagoras apparuit. Deinde cum Cæsar literas dedisset, quibus colloquij habendi forma præscribebatur, non complectentibus eam protestantibus, conuentus paulatim euanuit; at cõtrà Tridenti Concilium inchoatur, quò miserat iam Pontifex legatos, uiros doctrina, integritateq; præstantes, Marcellum Ceruinum, Reginaldum Polum, Mariam Montium purpuratos Antistites: Nolebat autem Cæsar aduersus eas nationes bellum suscipere contra Principes, qui hæreticos protegebant: quia uidebatur ea prouincia ita affecta, ut nisi per summam difficultatem, summumq; periculum non posset armis compelli ad ueterem Religionem. His accedebant cum Rege Gallorum potentissimo multæ eorum Principum amicitiæ, & coniunctiones, & Solimani copiæ, quæ uarijs incursionibus Pannoniam infestabant, uniuersamq; ferè occupauerant; cum se pupillum Regem tueri profiterentur. Tamen his omnibus difficultatibus reiectis; cum Religio, & Deorum cultus sit cæteris omnibus præferendus, acerrimum, maximeq; difficile, & periculosum bellum Germaniæ perdomandæ suscipit, neque eam patitur impunè defecisse ab institutis religionis maiorum, & ab illa maiestate Imperij, quæ summa semper obseruantia culta est ab illis nationibus, quod unum propè continet ipsius Germaniæ splendorem Ad quod bellum explicandum uidetur altius repetendum, quibus consilijs, quibusve auxilijs permoti fuerint ad defectionem duo potentissimi Germaniæ Duces, Philippus Lantgrauius Princeps Cattorum, & Ioannes Fedricus antiquissimæ stirpis nobilissimus Dux Saxonum: qui se arma sumpsisse

Cõcilium Tridẽti cœptum.

pſiſſe pro tuenda libertate Germanici nominis profitebantur, & ad eius rei nomen liberas etiam ciuitates ad ſuſcipiendam communitatem eius belli excitauerant. Quo tempore tenuit Imperium Saxonum Ioannes, Pontifice Leone Decimo; quod accidit anno ſalutis noſtræ. 1517. Multi præclari homines, & in omnibus diſciplinis præſtantes; propoſitis liberaliſsimis præmijs inuitati ſunt ad urbem Calegiam, in qua Dux ille morabatur. Exijt per id tempus Monachus Eremitanus Martinus lutherus ex ignobili pago Islebio qui eſt agri Masfeltij, qui ut ſuorum monachorum principatum conſequeretur, cum iam aliquantulum exiſtimationis adeptus eſſet, perſuadet Ioanni, vt à Pontifice diploma indulgentiam uulgo uocatum, impetrare conaretur. Sed cum res non ſucceſsiſſet è ſententia, incredibili odio aduerſus Pōtificem exarſit, putauitq; ſuis rebus optime conſuli, ſi illud dignitatis quæſiſſet impugnando, quod implorando obtinere non potuiſſet: idcirco multa edidit maledicta publicè aduerſus autoritatem Pontificiam, et aduerſus indulgentias præcipuè. Pontifex audita huius hominis temeritate, atque importunitate Thomã Gaietanum Cardinalē mittit ad eam flammam extinguēdam: Sed cum facilis & placidus uentus excitare ignem, rapidiſsimus extinguere, & diſsipare ſoleat: tamen longè alia ratione in his uti conuenit; quod ipſa experientia docuit. Nam cum Thomas nimis ſeuerè aggredi rem uiſus eſſet, irritauit potius quàm ulla ex parte reſtinxit, aut diſsipauit incendium. Pontifex deinde iuſtiſsimis cauſis compulſus, diris imprecationibus Lutherum inſectatur: at ille pro petenda uenia, in dirarum imprecationum uindictam, non ſolùm rudes homines, & faciles, naturaq; propenſos ad omnem uiuendi licentiã ab obedientia Pontificia catholicisq; inſtitutis ſollicitauit, & abduxit; verùm etiam falſas explicationes euangelicas in medium ita attulit, ut per nuda ſententiarum occultarum ac diuinarum uerba populorum, & Principum animus illuſerit, feceritq; ut propoſita liberiori uiuendi ratione adulterina pro veris facile complexi ſunt. Primi igitur Saxones & Sueui eam doctrinam imbiberunt; ſed poſtea multorum, qui doctiſsimi eſſe putabantur, malitia rem eò deduxit, vt ex his ſeminibus, multisq; alijs denuo ſe addentibus; noua quædã religio pullularit; cuius ſtolones in alias

Luteri origo.

Lutherus cur defecit ab obediētia Pontificia.

nationes immissi tantam germinarunt in sententiarum uarietate, totq; sectas hæreticorum, vt sæpe totidem in eadem domo, vel etiam plures de religione sententiæ fuerint, quàm homines: cũ tamen vna religio tantùm bona sit; quippe quæ cultum vnius Dei prospiciat, neque tam diuersæ simul bonæ esse possint. Pontifex, vt qui de omnium salute mirum in modum esset sollicitus ad opprimenda illa incendia omni humanitatis genere frustra vsus est; sed ea tantopere creuerunt paulatim in animis hominum, atque inueterarunt; vt multis Principibus ad nouam Religionem conspirantibus, comitia religionis indicta sint à Federico electore Smacaldicæ, quod erat illius oppidum inter Casuaros, siue Turingiam, & Incriones ad Schalmum fluuium. Conuenerunt ad ea comitia, quæ facta sunt anno 1534. Principes insignes Henricus pater, & Mauritius filius Saxonum Duces, Philippus Lantgrauius Incrionum, siue Hessiæ, Bernardus, & Philippus Sennonum, Franciscus, & Hernestus Caucorum, siue Luneburgi, Odericus Dux Intuergorum, seu Vertembergi, Philippus Vessonum, siue Bransuicci, Ioannes Regulus Alisi, Golphangus Anhalti Princeps, Albertus Masfeltius, & Tecchenelburgius, Aldemburgius, duo Nansoi comites. Vrbium præterea septentrionalium Principes, quæ magis ad Vrsas uergunt, Pheugari, Phamirani, Treuæ, Pharodini, Mindæ, Phrigæ, Tunemburgi, Lemburgi, Gottingæ, Goslariæ, Hannuberæ. Liberarum Vrbium Sueuorum Princeps, Augustæ, Argentorati, Bibaci, Gesfingæ, Causaporni, Canoduri, Cheмptæ, Dechnelburgi, Alcimenij, Rottemburgi. Et ne multis Ducibus, ac ciuitatibus, quæ Principes homines ad ea comitia miserunt, memorandis tempus absumam; vniuersa ferè Germania in has leges, quæ in illis comitijs factæ sunt, coniurauit. Vt in quinquagesimum annum leges latæ intelligerentur ad religionis, sui ipsorum, & fœderatorum omnium defensionem. Ne liceret cuiquam bellum inferre, aut hostiliter inuadere agrum coniuratorum. Si quis inuaderetur, statim cæteri atque significatum esset, subsidia mitterent, quanto maiori possent conatu, & diligentia: quod nisi factum esset intra certum spatium, urbs illa posset sine perfidiæ nomine cum hoste pacisci, uel aduersus coniu-

[Margin: Conuẽtus Smacaldicus, & participes cõgiurationis hæreticæ.]

[Margin: Smacaldica instituta.]

ratos arma capere. Vt vnius hostes cæterorum hostes intelligerentur: Vt memini liceret semel susceptum bellum aduersus quemuis hostem deponere, nisi reliquorum omnium consensu. Ne armatus exercitus concederetur per agrum cuiusquam fœderatorum ad bellum inferendum pertransire, nisi communi omnium decreto. Vt qui auxilia acciuissent, per viginti dies commeatum suppeditarent ab initio belli eò profectis, ac totidem post bellum: eà tamen lege, ut qui acciuisset, & cuius causa bellum gereretur, summum haberet imperium eius expeditionis, quod memini suscipere liceret ad alios infestandos vel Principes, vel Ciuitates. Si qua inter illos nasceretur controuersia, pro iure & æquitate, acnon pro armis dijudicaretur, & obseruaretur iuramentum quod intercesserat. Vt liceret principibus, & fœderatis ciuitatibus communi consilio mutare uel addere siquid opus esset, aut æquum uideretur: liceretq́; sapientius communi omnium saluti consulere. Vt eiusdem fœderationis socij & participes, omnes principes & liberæ ciuitates Saxonum & Sueuorum intelligerentur. His tot populorum urbiumq́; Smacaldicæ fœderationis auxilijs elati Philippus Lantgrauius & Federicus Saxonum dux principes nobilitate, potentia, autoritate præstantes, vt qui plurimum possent suos terminos dilatare, sua fortuna minime contenti ad maiora aspirare incipiunt. Visum est autem optimè consuli rebus tam potentis fœderationis, si imperium etiam ad nouam illam religionem retorquerent; ut non solùm potentia, sed etiam dignitate fœderationem insignirent. Ad illud consilium capiẽdum incitabat Federicum ueterum Imperatorum suæ familiæ recordatio: cum duo Henrici, tres Othones, & nuꝑ Lotarius atque Adulphus in memoriã ueniebant, ad quos omnes è sua familia imperiũ fuerat delatũ. Confirmabant uero in ea sententia præter fœderatos multæ etiam cum externis principibus amicitiæ & affinitates. Vt autem manifestius belli Germanici magnitudo appareat, et quãtæ fuerit difficultatis Germaniam uincere, quæ non nisi suis armis uidetur posse superari; quippe cum una hæc prouincia multò plures exercitus Romanorum profligasse dicatur, quàm uniuersus ferè orbis reliquus: non erit absurdum si situm, & mores, & naturam Germaniæ

Rationes ad bellum hortantes federicum & Lãtgrauium.

nia quanta fieri poterit breuitate descripserimus: quoniam illis ignoratis, in multas difficultates diligentem lectorem incidere necesse est. Germania est omnis in partes quatuor diuisa, unã quarum hinc Danubius claudit, inde Rhenus: alteram Gallia comata attigit à meridie, cũ Belgica regio & Heluetij nup Cermaniæ prouinciæ accesserint. Tertia Germaniæ pars Norico & Vindelicia & Rhetia terminatur ab Oriente & alpibus & nonnulla parte Illyrij: cum ex eo etiam latere Germani spretis obijcibus Danubij nouas regiones suo imperio adiecerint. Teutones populi præterea, qui sunt traiecto vistula flumine, in alia parte habitant Germaniæ, in qua ad Septentrionem habentur Sarmatæ, & Pruteni. Terminantur igitur Germani amplissimis finibus, vt vno verbo dicam; ab Oriente Sarmatia, & Pannonia & Bebijs Sarmaticisq; montibus asperrimis. Ad occidentem habent Belgarum regionem, quæ extenditur ad mare usque Britannicum. A septentrione clauduntur Oceani germanici fluctibus; cum Alpes vocati montes, & Italia à Meridie secludat. Hanc prouinciam totam ferè transuersè scindit Albis fluuius, qui à Sudetis montibus non procul à Sylua Hercynia ortus in mare ad Saxonum regionem influit; Atque cum Rhenus, & Danubius antiqui fines essent Germaniæ, qui per eam prouinciam amplissimi decurrunt, pars illa propria antiquitus Germanorum uocatur superior; at illa, quæ ad Oceanum occiduum uergit, inferior. Quæ nostrã descriptio etsi ab antiqua dissentit; tamen ratione facta, uidetur: cum non minus legibus, institutis, imperio, moribus, idiomate quàm naturæ terminis regiones sint aliquando circumscribendæ.

Descriptio Germaniæ.

Maximus est in Germania amplissimarum & opulentissimarum ciuitatum numerus; quas regio, cum frumenti, omniumq; rerum victui necessariarum, & metallorum sit ferasissima, copiosè alit; quamuis propter frigus alicubi non magna nascitur vitium copia; cum arbor illa magis amica sit caloris, quàm ut eius regionis naturam patienter ferre possit. Nam solæ liberæ ciuitates sunt nonaginta & duæ: atque ne ulla dubitatio possit legentis animum in vniuersis rebus, quæ de Germania conscribentur, retardare; hæ sunt ferè Germaniæ prouinciæ: Batauorum regio, quam vulgò Olandiam uocant, Belgica, seu Flandria,

Germaniæ fertilitas, & ingenia hominum.

dria, Busatterorum Frisia, Busutium pomeraria, Bohemorum, Bohemia, Camanorum & Cheruscorum Misnia, Casuarorum Turingia, Caritnorum, & Vangionum, & Intuergorũ principatus Vittemberga & Palatinorum: Turonia praeterea, Selandia, stiria, uenia, Carinthia, Vessalia, Noitelãdia: Turoni itẽ & Maringi Silesiam habitãtes, germani sunt; & Marcomani, qui incolũt Morauiam, Tungri Brabantiã, Triboces, Elsatiani, Lutiburi Scelsiam, Sangobardi Marchiã, Sennones Marchiã Brandemburgi in Pomerania, Teuceri & Incriones Hessiam; Menapij & Sicambri Gheldiam, Vispi Pisguardiam, & Noricum, siue Bauarias, & Dania, quã Banimarcã uocant. & populi oẽs inter has regiones habitãtes, uocãtur Germani. Homines mirificè sunt disciplinarũ, ac militaris rei obseruãtes; legũ cultores ciuiliũ; & si ad sobrietatẽ potius, quã ad ebrietatẽ pro patriae cõsuetudine assuescerẽt uino uti; faelicissima ingenia existimarẽ Germanorũ, nullisq; mortalibus inferiora. Quod attinet ad eius prouinciae publicã administrationẽ, praeter legũ ciuiliũ obseruãtiã, municipaliaq; iura aliae ciuitates sunt liberae, suis utũtur legibus ad morem rerũ publicarum. Aliae sunt imperatoriae ciuitates, & oppida, & pagi; quoniã propriũ istud est Imperij patrimonium, quae statim creati Imperatoris ditioni intelliguntur esse subiectae. Aliae sunt sacratorum Antistitum, Ducum, Marchionum, Comitum, ac caeterorum huiusmodi Principũ imperio subiectae; quorum tamen omniũ Princeps, & caput est Imperator, qui à septẽ ex his principibus eligi consueuit, ubi electionis indicendae oportunitas oblata fuerit. Nam facultas eligendi Imperatoris ab Italis primũ in Germaniã translata fuit à Gregorio Quinto; cũ Pontifex ipse expulsus à Romanis fuisset anno salutis nostrae. 984. quẽ postea Ottho in Italiã transgressus, sedi Põtificiae restituit. Idcirco Põtifex Germanus Otthonis etiam consilio Imperatoris eligendi facultatem à Romanis ad suos Germanos transtulit. Sunt autem hi sacrati Antistites Imperatorem eligentes Coloniae Agrippinensis, Treuirorum, Macontiaciq; Archiepiscopi; quorum hic Galliam, ille Italiam, ille Germaniam refert. Reliqui sunt Comes Palatinus, Dux Saxonum, Marchio Sennonum: quorum suf-

Germaniae prouinciae.

Imperia & mores Germanorum.

Imperatorum Caesarum electio, & electores & mos.

fragia cum paria sint numero, ut commodè fiat electio, neque paritate suffragiorum impediatur; septimus additus est Rex Bohemorum propter potentiam, & dignitatem eius electionis. Additum est præterea ad electionis maiestatem, ut adesse soleant Camanorum, Marcomanorumq́; Marchiones, & alij cōplures proceres, liberarumq́; ciuitatum legationes, quibus honoris causa diuersa iniuncta sunt munia. Vniuersa Germania se nouo Imperatori præstituram obedientiam iureiurando affirmat, seruaturamq́; fidem eo defendendo aduersus populos repugnantes imperatorijs mandatis. At contrà iurat nouus Imperator, promittitq́; se libertatem, & leges Germaniæ pro uiribus defensurum: cum Imperij res maximæ, & prouinciæ negotia spectantia ad omniū salutē per comitia Germanorū optimè, ac sapientissime regantur; earū autē legū illa in primis præclara videtur, quæ facit ad nostrum hoc præsens negotium, è cuius contemptu nata sunt semina omnium earum calamitatū, quas sumus explanaturi. Cautum est enim imperatorijs legibus, ne quis pagus, uel ciuitas, uel princeps, uel natio Germana Cæsare inconsulto, uel inconsultis comitijs arma sumat publicè religionis, aut alterius rei causa: nisi quis renunciatus sit rebellis Imperij, & læsæ maiestatis, cui sit indictum. Imperatorium exilium: quod nihil aliud significat, nisi dari cuiuis impunitatem eius occidendi, capiendi, aut bona prædandi. Cum uerò per Smacaldicam fœderationem exclusi essent omnes, qui non fuissent eius nouæ religionis participes, atque pro hostibus haberentur à coniuratis, Philippus Lantgrauius copijs, & pecunia à Federico adiutus, breuissimo temporis spatio totum ferè Imperium finitimum Henrici Ducis Bransuicci suo adiecit: quoniam is à Pontificia obedientia & amicitia Cæsaris nullis suasionibus, aut pollicitationibus abduci poterat. At enim ego malefici, & impuri hominis esse existimauerim, simulatione religionis alterius bona prædari, cum nulla sit tam nefaria, tamq́; impia religio, quæ iubeat in homines diuersæ religionis latrocinia exercere. Istud autem se fecisse simulabat Lantgrauius, quoniā prior Henricus ad concremandos pagos nōnullos suorum subditorum misisset, & ad occupandas ferri

Leges Germanicæ & ut in comitijs publica tractentor.

Imperatorium exilium quid sit.

Impium p simulationem religionis latrocinari.

ri fodinas, cædendasq́; Syluas Goslariæ, vnius fœderatârum urbium. Ita insigni iniuria accepta, Henricus collectis ijs copijs, quas breuitas tēporis passa est, ea recuperare conatur, quæ sibi per vim ablata fuerant: cuius uotis fortuna primùm arridet, alias armis suarum urbium subigit, alias in fidem recipit per deditionē. Contrà Lantgrauius comparatis quàm maximis copijs in apertum exit collatis signis cum Henrico dimicaturus: atque hi vtrique exercitus cū intra suos fines morarentur, Mauritius Philippi gener hortatur Henricum ad arma deponenda. Dum agitur de pace, res bellicæ paulo negligentius tractantur, inuadūtur repente castra Henrici, profligatisq; copijs & Henricus & Carolus filius in potestatem hostis venit. Atqui cum ridiculus sit is, qui prorsus uel illis credat, qui se amicos esse profitentur, nisi in rebus leuioribus illorum fidei periculum fecerit; tum certè multo magis amens putādus est, qui se cōmittat placidis hostium blanditijs, cum difficilius sit callidum & armatum hominem armis, quàm incautum & inermem fallacijs subiugare. Idcirco plerique vtuntur hoc bellandi genere; vt hostes, quos auaros & pigros esse arbitrātur, fallāt spe pacis et trāquillitatis, interim ab apparatibus bellicis retardantes; dū ipsi maioribus viribus maturè collectis acrius inopinatos, & nihil tale suspicantes inuadāt. Atqui spe pacis ita deludi, perq́; huiusmodi opportunitates opprimi, ualde triste est, et calamitosum: tamē nihil est cum turpitudine facti conferendū, quoniā libertas & facultates aliquo modo recuperari possunt; at existimatio, q̄ vel ipsa vita carior esse debet; vbi semel amissa fuerit, vix per multas ætates, multaq́; posterorū præclara facinora potest resarciri. Ea res nō mediocriter animū Cæsaris commouit, qui etiam frustra multis rationibus conatus est persuadere Philippo vt imperium libertatemq́; Henrico restitueret. Postea Philippus impetrata venia Cæsaris adeundi cum quadringentis armatis equitibus Neomagum insignem Nemetorum urbem; ubi Rheno Ombricus fluuius coniungitur, conuenit. Queritur Cæsar de illata iniuria, hortatur ut Henrico sua restituat; additæ sunt preces minæ; quæ nisi spontè fecerit, se per Germanica iura extorsurum

Henricus dux Brunsuicci per dolū profligatus & captus.

torsurum inquit. Philippus superbiæ, & iræ plenum dedit responsum; quippe quem felices successus, & eximiæ fœderationis uires non mediocriter extulissent: quæ per bellum partæ sint, & legitimè iure belli possideri; quæ lex antiquissima sit, & non tunc primum à se usurpata: cũ præsertim illorum bellorũ autor Henricus prior extitisset, se hortari Cæsarem ad conseruandam fœderationis beneuolentiam cuius sibi præstaret conseruare amicitiam, quàm tantum bellorum in se concitaret, quantum sustinere postea non posset. His dictis abijt Philippus: at Cæsar etsi grauiter ferebat audaciæ, minarumq; plenũ responsum; tamen quia ultionem differe in opportunum tẽpus iudicabat, censuit oportere eam controuersiam in Tridentina Synodo dijudicari, cum ea indicta per id tempus esset Tridẽtũ; quam Philippus etiam ibidem fieri flagitauerat. cum urbs illa commoda esset Germanis principibus, ut in ripa Athesis fluminis sita apud Germaniam in extrema ora Italiæ. Cum ad illud concilium uel die sibi dicta Philippus non accessisset, neque uel ipse, uel reliqui fœderati uiderentur Imperatoriam dignitatem curare, neque amplitudinem reliquorum comitiorum, ad quæ conuocati non conueniebant, uel quendam præseferebant contemptum. eam rem Cæsar cœpit ferre grauissimè: quæ eò deque deducta est, ut fœderati nouæq; religionis principes comitia inter se celebrarent, auxiliaq; mutua suggererent ad opprimendã maiestatem Imperatoriam. Cæsar his causis commotus comitia indicit Artobrigam, quæ urbs est Vindelicis, ac Ratisbona uocatur: quibus cũ neq; Federicus neq; Philippus Lãtgrauius interessent, ut quæ aduersus se ipsos fieri intelligerẽt, sic denique decernitur, referẽte Cæsare; ut Federico dignitas Imperatoris eligendi erepta intelligeretur, & quod neglecta Augusti Imperij autoritate multa cõtra leges imperatorias, patriasq; commisisse nisi sint, hostes Imperij iudicarẽtur utrique, ijsq; indiceretur imperatorium exilium. Cæsar etsi grauiter ferebat malum hoc, & contemptum catholicæ religionis per eã prouinciam latius indies serpere, firmioresq; radices agere, quæ superioribus tẽporibus tanta obseruantia iustitiam, & pietatẽ coluisset: tamen cum modo Pannonicis, modo Humidicis bellis

Causæ belli Germanici.

Lantgrauius & Federicus hostes Cæsaris iudicati.

bellis distraheretur; neque tunc quidem rem illam aggressus esset, nisi uel post exilium acrius odium exarsisset, multa damna cesarianis amicis fuissent illata, ac neque ab imperatoriys quidem urbibus abstineretur. Idcirco cum breui futurum appareret, nisi opportuna remedia adhiberentur, vt tota prouintia ab auita religione, & ab autoritate Imperij desciscceret; decernit rem non posse commodè diutius protrahi. Maximè incitauit ad hoc bellum suscipiendum preter cetera Ioannis & Alberti coniuratio: nam Albertus Casmiri filius, & Ioannes Ioachimus Sennonum Marchio multis iniurijs affecti ab illis sibi uidebantur: qui cum essent affinitate cum Henrico captiuo coniuncti, ad preces Ioannis, Henrici nepotis, uigintiquinque peditum, octo equitum armatorum millia promittunt. Sic igitur conueniunt, ut omnes tres equam sumptuum partem conferrent per tres menses: summum Imperium eius expeditionis delatum est Alberto; Qui priusquam negotium aggrederetur, Cesarem consuluit; docet necessitatem belli, quod uel esset inferendum, uel domi expectandum; opprimendam hostis temeritatem; que si relinquatur impunita, breui futura est intolerabilis. Cesar nō solum Alberti rationibus assentit, sed etiā princeps eius expeditionis negotiū suscipit, atque ad apparatus bellicos faciendos animum adijcit. Ab huiusmodi prouincia etsi à nonnullis retrahebatur, cùm propter opulentiam cōiuratorum eximiam, excellentem disciplinę militaris obseruationem, constantiam in defendēdis ijs, que in comitijs fuissent decreta, commeatus omnis generis abundantiam, tormentorum bellicorum & apparatuum copiā, equitum armatorum, & peditum numerum: tamē cum res bellica magis unius consilio, quàm multorū huc, illuc res propositas distrahentium, commode nitatur; firmiusq́, & diuturnius sit futurū bellum, quod publicis sumptibus fit, quàm quod priuatis, & per opportunitatē belli extortis: omnino non minus quàm difficile, necessarium bellum Cesar suscipere decreuit. Ad illud impellebat Gaspar Contarenus Cardinalis, Pōtificis Legatus, qui ad extinguēda hereseos incēdia, liberalissimè pecuniā, et armatorū auxilia pollicebatur. etsi cathocū ritū adhuc retinebāt, neq; cū ceteris Principibus Germanis conspirarant

Federationes debiles plerunque.

conspirarant Gulielmus Cleuensis, & alter Gulielmus Norici Princeps; tamen uidebantur in neutrā partēmagis esse propensi, neque cum Germanis urbibus excitari: at collocatis in matrimonio duabus filiabus his Principibus à Ferdinando Romanorum Rege; nō solùm videbatur tutus Cæsar ab omni horum molestia, sed etiam commeatu, & multis opportunis auxilijs se adiutum iri sperabat: cum illorum ager fertilissimus sit omniū rerum necessariarum humano victui, & satis amplius. Accessit ad auxilia Cæsaris Mauritius Dux Saxonum, particeps Smacaldicæ coniurationis, qui se ab impietate ita tuebatur, quòd nullum iusiurandum sit seruandum, ad impietatem ac turpitudinem spectans; neque putare se cogi Christianam Religionem catholicam, aut Imperatoriam maiestatem per id iusiurandum oppugnare oportere. Cuius tamen auxilia ut suspecta propter affinitatem Cæsar non accepit, sed in magis opportunum tempus se reseruare inquit. Episcopus præterea Artauri, siue Herbipolis, & alter Grauionarij, siue Bambergæ potentissimorum Principum potentiam ueriti, neutram in partem magis inclinarunt. Cæsar cum esset adhuc Artobrigæ Vindeliciæ (vt diximus) quæ urbs externa est Imperatoriarum ciuitatum, in ripa Dannubij sita Noricum uersus; multos Duces, & Tribunos militum ad se acciuerat. Quare bellum illud in se exarsurum ueriti coniurati, tamen rem totam dissimulabāt atque clam bellicos apparatus & ipsi faciebant; atque Principum, liberarumq; ciuitatum procuratores, qui erant apud Cæsarem, Cæsarem alloquuntur capta opportunitate colloquij: se cognouisse, tribunos missos esse ad conscribendas copias, rogare, ut participes ferent consilij, aduersus quem esset bellum suscepturus, quòd essent præstituri, ut consueuerant, liberaliter omne genus auxilij: His responsum fuit aduersus rebelles nonnullos arma parari; se memorem futurum eius beneficentiæ, si quis in illa expeditione opem tulisset, cæteros pro hostibus habiturum. Ia responsum, cum ad coniuratos spectare uideretur, effecit; ut magis opperturè coniurati, quàm Cæsar, copias instruxerint: illi apparatus, qui fiebant à Cæsare, clam coniuratis nunciantur; cum Cæsar nullos adhuc neque Germanos conscripsis-

Mauritius Cæsarē sequitur relicta cōiuratione.

scripsisset; neque Pontifici copiæ iter cepissent; neque Hispani, quos ex Insubria, Pannonia, & Neapolitano Regno acciuerat, iam moti essent. Nam Cæsar delato summo Imperio Ferrando Toletano Albano Regulo uiro Hispano, Maximiliano nepoti mille & quingentorum equitum imperium committit; Carolo Lanoio Sulmonensi Regulo quingentorum; & præterea Italorũ equitum leuiorum; mille Volfegando Melchinguio Schuezope rio; quingentos Henrico Duci Bransuicci iuniori; aulicorum no bilium imperium Emanueli Philiberto, Sabaudiæ Reguli filio; quingentos Ioanni Ioachimo; Alberto Casmiri filio Marchioni ac Principi Sennonum duo millia. Significauit per literas Florentio Comiti Burano, siue Lutiburorum, qui erat in Busatero rum præfectura, ut decem peditum, tria equitum millia conscriberet. Tribunis militum his singulis quatuor Germanorum millia tribuit, Georgio Pensburgio, Allipandro Madruccio, Georgio Sicamburgio, Iacobo Medices Marchioni Marinianio, quem etiam præfecit tormentario negotio; Georgio Vittepacchio Spurio Norici decem uexilla peditum cõmisit, & trecentos cataphractos equites Ferrãti Signorellio Castrouillæ Regulo. Scripsit ad Herculum Estensem Ferrariæ Ducem, & Cosmum Medices Florentiæ, ut ducenta nummùm millia ad illud bellum suppeditarent, ad quod Pontifex præter ducenta millia iubet etiam Octauium Farnesium Ducem Camerinensem, Cæsaris generum duodecim millia peditum, & mille equites ex Italia cõducere. Magister castrorum creatus est Ioannes Baptista Castaleius. Addita sunt his duo millia operarum è Bohemis, ac octoginta tormenta bellica, lintres complures ad pontes faciendos, omniaq́; tanto exercitui necessaria comparata. Augustam interea, quæ urbs est Vindeliciæ, auditis his apparatibus, qui in tam diuersis locis propter uarietatem, ac magnitudinem occultari minimè poterant; primùm dubij erant, quid sibi esset agendum, req́; diu inter se agitata, quòd facillimum est ingressum belli plerunque, at difficillimum exitum inuenire: quod fortunæ arbitrio non sunt committẽda, quæ ulla certa ratione seruari possint: quòd fides certa non habenda sit illi com munitati bellorum, quæ ad tot principes uno tẽpore pertineat:

Munia du cibus com missa à Cæsare in Castris.

quia

quia si quis uel perfidia, uel inopia defecerit, reliqui vel debili-tantur, uel certè aliquantulum animi intensionem remittunt; decernunt denique arma esse sumenda. Nam visum est non esse timendam tantopere depressis fortunam, quàm ad summum Imperium, summamq́ felicitatem iam prouectis; quæ uel idcirco oppressis tendanda est, quoniam ea inconstans perpetua rerum uarietate delectatur: non posse magnam gloriam, nisi superatis uirtute magnis periculis, comparari: agi uno tempore de Religione, & libertate totius Germaniæ pro qua sola omnia difficillima essent subeunda: neque ferendum ut unus omnium populorum libertate pro arbitrio tyrannicè abutatur; nõ esse dubitandum de fide coniuratorum, cum de omnium communi salute agatur; eandemq́ causam omnes in societate belli esse retenturam, quæ ad suscipiendam compulisset. Idcirco ad omnes Smacaldicæ coniurationis socios literæ scribuntur ad petenda auxilia; ad Regem Daniæ siue Cimbrorum ne pateretur Cæsareanam potentiam tantopere augeri; cum neutram in partem is uideretur propensior: ad Fidericum Comitem Palatinum Rheni Nariscorum Principem: ad Gulielmum Regulum Menapiorum, ut subsidia laboranti communi Germmaniæ libertati submitterent; existimarentq́ in hoc uno bello totius Germanici nominis salutem, & dignitatem, & gloriam contineri. Nihil aliud agi in præsenti negotio, nisi an auitos mores, legesq́ antiquas Germaniæ antiquarent; an libertatis uestigia, quæ tot annos, per tot clades, totq́ labores sustinuissent, ac difendissent, nunc deserere oporteat; atque Romani Põtificis arbitrio, & superstitionibus se subijcere, quod certè sine plurimarum urbium populorumq́ euersione fieri non posset: præclarum esse in rebus arduis, & gloriosis non coactos, sed uolentes, & cupidos pro gloria labores, & pericula subire. Quæ dum agerentur per literas, necessarij apparatus non frigide, sed summa industria curantur; coniurati, antequam Cæsar primitias copiarum Madruccij septingẽtos equites, & cæterorũ Tribunorũ copias Germanas cõiungeret, et duo millia atque octingẽtos Hispanos è Pãnonia, qui acciti fuerant duce Aluaro Sandeo; exeunt Augusta cũ uiginti & duobus uexillis peditũ

eius ciuitatis, quatuor Alcimemensium, sex Caritnorum, mille equitibus; & viginti & octo tormentis bellicis. Atque, cum hoc bellum, quod Cæsar parabat, prius auditum, quàm inceptum fuisset; facultatem opportunam colligendi copias hostibus præbuit, quæ tamen non uidebantur parari aduersus Cæsarem; cum accessus omnibus Cæsarianis & exitus ex eorum urbe pateret. Idcirco etiam cum eas copias instruxissent, fingebant se non aduersus Cæsarem parare, sed aduersus exercitum ex Italia accedentem, qui Pontificis iussu ad populandam Germaniam proficisceretur: non enim se vexilla aduersus Cæsarianos sed Pontificios erigere profitebantur. Cum autem plurimum difficultatis tarditas in rebus bellicis affere plerunque soleat, scire oportet, ex Italia in Germaniam aditum esse difficillimum: quippe cum plurimum conferant ad retardanda auxilia, quæ hostibus adueniant, aut ad excipienda, montium asperrimorum angustiæ, si quæ sint; quæ prius summa celeritate sunt occupandæ. Iis igitur, qui ex Italia ueniunt in Germaniam, Boiorumq́. Regionem, Tridentum prius, urbs ad Cottias Alpes sita, est transeunda: deinde adeundum Inutrium; quo simplex est iter; ab Inutrio in Boios, agrumq́. Noricum procedentibus duæ sunt uiæ; altera superius; quæ ad oppidum munitissimum ducit, Ropstainum vocatum, quod est principatus Tyroli, in ingressu Boiorum ac Norici agri; altera inferius, quæ ducit per quandam vallem, in cuius faucibus Castellum, siue arx est munitissima; quam Clusam vocant: quæ loca prius occupare conati sunt coniurati, quàm Cæsari auxilia accederent; vt illis additus præcluderetur. Quæ dum tentantur à prædictis copijs, in apertum primùm eggressis, vniuersi belli, vt diuturnitas foret, necessarij apparatus instruuntur. Nam statutum est, vt singulis mensibus ducenta nummum millia tandiu colligerentur, quamdiu bellum perdurasset, in stipendia subsidiariorum militum, qui non essent participes eiusdem societatis; quæ pecunia colligebatur ex omnibus Principibus, & fœderatis vrbibus. Erant sub Imperio Fede-

C rici

Munia ducibus commissa in castris Lantgrauii & Federici.

rici omnes Saxonus, præter Daucionés populos; cum Philippus; Sueuis imperaret, cæterisq; illis finitimis: Vicarius erat Federici Hernestus Philippi filius, qui duodecim uexillis peditum præficitur: totidem uexilla horum singulorum curæ præterea commissa sunt Ioanni Heddecchio, Christoforo Oldemburgo, Gulielmo Tumbersino, & Vberto Beicolingo Comiti: equitatus duces complures erant, sed præcipua uexilla habebant Henricus Scombergus, & Theodoricus Taubeimius: Castrorum Magister Christophorus steimbergus, & Volferazzius Marescialllus, quod nomen significat Magistrum equitum: omnium uerò equitum Philippi dux erat summus Oldemborgus; at peditum fœderationis Sebastianus Schertelus, Augustanorum, Alcimenniensium, aliorumq; populorum nomine; Argentorati Gulielmus Comes Fustambergensis: atque ut paucis concludam, peditum erant ad octoginta, equitum ad quindecim millia; bellica tormenta muralia ad centum ut duo de uiginti, sex operarum millia; lintres præterea ad pontes sustinendos complures; & carri, qui puluerem tormentarium, reliquosq; apparatus ueherēt; ad quorum usum addita sunt equorum octo millia; accedebant & fabri lignarij, & murorum magistri, & cæteri & artifices complures, qui castra sequerentur, ne quid videretur deesse tātis apparatibus.

Res nouæ indiæ.

Quæ ut primum in Germania agi cœperant, Cæsar fit certior per Diegum Aluarecium & Franciscum Maldonatum de rebus nouarum Indiarum, quas Perù uocant; quæ tellus est in Occidente ultra columnas Herculis amplissima, auro plurimo abundans, à uiro præstantissimo Francisco Pizzaro Hispano primùm inuenta, ut memoriæ proditum est ab alijs scriptoribus. Monetur ab ijs fusum, & cæsum esse Blascum proregem; opus esse nouis remedijs, quòd nisi maturè tantis discordijs succurratur, periculosum esse, ne tam amplum, tā ferax, tam opulentum amittatur Imperium; quod sex mensibus terrestri ittinere posset pertransiri. Cæsar etsi uarijs occupationibus distringebatur, cum abesset ab Hispania, tamē statuit Petrum Gascam Iurisperitū mittere, cuius uirtus in pluribus negotijs fuerat cognita. Huic datus est titulus Præscidentis Regiæ Audientiæ, cum summa autoritate administrādæ eius

Amplitudo regionū indicarum.

prouinciæ,

prouincia,ut res componeret, omniumq; delictorum ueniam posset concedere. Nauim itaque conscendens, felicibus uentis usus, ad oppidum Diuæ Marthæ applicuit; ibi fit certior Melchiorem Verdugum, ducem Cæsaris profligatum fuisse ab Hinogiosensibus consalui Pizzari partes sequentibus: statuit igitur ulterius procedendum esse, quamuis expectaretur a reliquis in portum Cartagieæ. Cum ad Nombredium urbem peruentum esset, ubi Hinogiosa Dux centum & octoginta Hispanos reliquerat, duce Hernane Messia aduersus Verdugum: iubet Alphonsum Aluaradensem descēsionem facere, cum Messia uenire in colloquium, Præsidentis aduentum significare. Messias hortatur, ut exeat Præsidens è naui, docet quo in statu res sint; Consaluum Pizzarum aduersos Cæsarianos pugnare; eius classem stationem habere in portu Panamæ urbis, præfecto cum summo imperio Hinogiosa. (Est autem Panama urbs parua, parum salubris, deformis, sed celeberrima, quippe quòd eò traiectus est ex Hispania ut Perù vrbem metropolim accedentibus, quo preciosæ merces conuehuntur, & multa auri copia; ubi multi habitant mercatores; regionem habet fertilem, auro abundantem, multisq; animalium generibus, mare multas habet margaritas, & ingentia cete; habitus, & sermo est hispanus) facilè illam urbem posse occupari, si vexilla Cæsariana erigantur. At Præsidens docet se ad res componendas, non ad pugnam & labefactandas venisse, sedandas esse Cæsaris iussu controuersias, quæ nimia asperitate Blasci proregis fuissent excitatæ legibus seruandis: tantam futuram Cæsaris Clemētiam ut nemo proditionem, & periculosas inimicitias mitissimæ & honorificæ amicitiæ, & obseruantiæ in Cæsarem præferret; non videri è Cæsaris dignitate in quenquam sæuire, antequā eius animi fiat periculum. Interea Alphonsus Hinogiosa summus dux classis Consalui Pizzari Panamæ audita comitate Messiæ, qua Præsidentem acceperat, ægrè tulit literasq; dedit indignationis plenas: at Præsidentis iussu, ne animi militum paulatim magis infllammarentur, Messia Panamem conuolat, Hinogiosæ vniuersum negotium exponit: Placato Hinogiosæ animo Præsidens Panamam contendit, cum Hinogiosa, & eius duci-

bus res opportunas agit tanta prudentia, tantaque comitate, ut conciliata sibi magna beneuolentia, & autoritate, iam liberè quidquid uellet, obtineret. Eò denique peruentum est, vt præsidens cum literis nuntium ad Consaluum miserit, quibus eum hortabatur ad deponenda odia, sedandos tumultus, placandos populos, qui propter seueritatem Blasci proregis tumultuabantur: cum Blascus ad æquitatem spectantes nullas populorũ querelas aut rationes audire uoluisset: monet se profectum ee ad edandas discordias, reuocanda molesta Blasci instituta, concedendam veniam omnium commissorum: additæ sunt literæ Cæsaris ad istud ipsum impellentes. At Consaluus ut primùm per literas Hinogiosæ significatum est Præsidentem in eam prouinciam applicuisse, statuit legationes ad Cæsarem mittere, quæ ipsum docerent rerum omnium euentum; sic enim in consilio suorum statutum fuerat. Interea Velia proregis cæsi frater captiuus per cladem factus, tanta cum libertate in castris Consalui ducebatur, ut uenatibus aliquãdo uacaret, obequitaretq; inermis per urbem: nam Consaluus collatis signis dimicauit cum Prorege Indiarum ob nimiam seueritatem, collectis copijs Hispanorum & Indorum grauiter eius administrationem ferentium, eumq; profligarat, & trucidarat: at cum Velia insidias paulatim Consaluo subtexeret, ijs clam patefactis, capitis publicè condemnatur, pronuntiaturq; à præcone, quòd Regem esset proditurus. Interea Laurentius Aldana cum literis, mandatisq; mittitur ad Cæsarem à Consaluo, qui Panamam profectus cum Præsidente, & Hinogiosa in colloquium ueniens, omnem Præsidentis intelligit autoritatem, vanas futuras Consalui petitiones, si in Hispaniam nauiget; statuit Præsidentis partes amplecti. Præficitur itaque Laurentius Aldana quatuor nauigijs cum trecentis militibus, qui ad litora Perù appellaret, ac portum Reies uocatum occuparet repentino aduentu, ne Consaluus his consilijs cognitis, opportunè prouideret, aut Cæsarianos captiuos trucidaret. Defert summum imperium Hinogiosæ: Conscensis nauigijs, felici uento usi, nullibi terram attingere statuentes, ad eum portum nauigant: at Præ-

sidens

fidens certiores facit per literas Præfectos uniuersarum regionum, iubet quanto maiora possint auxilia colligere. At Pizzarus, & si nihil intellectum erat eorum, quæ Panamæ gerebantur; tamen quoniam nihil iamdiu Panama afferretur, venit in magnam bellici apparatus suspicionem; qua sola commotus, iubet suas copias parari, promptasq; esse, nec multò post nuntiantur quatuor nauigia apparuisse, quæ explorata regione, nulla rebus necessarij captis, mox in altum recesserint: quæ res etsi magnam afferebat suspicionem belli, tamen nulla diligentia quòd literæ interciperentur, à Consaluo sciri potuit. Aldana ad portum Malabrigum appellit, cuius aduentu cognito, Diegus Morensis cum Frusilensibus ciuibus nauigium conscendit cum multo commeatu, apparatuq; armorum nauigia inuenturus: nam si fuissent Pizzari, simulabat se ad nouas res audiendas contendere, & adferendum commeatum: sin Cæsaris ad ferenda etiam auxilia: quare eò profectus vires coniungit. Pizzarus his bellorum motibus cognitis, suos ad vexilla vocat; Caruagialem, & Cepedam duces, creat leuiorum equitum; at sclopetariorum, Ioannes duos, alterum Accostium, alterum Sexium, seu Velezium, & Ioannem Turrium: armatorum præterea cum sarissis tres alios duces; Castrorum Magistrum dicit Franciscum Caruagialem cum centum sclopetarijs, tum per tympanorum sonitum fit edictum sub pœna capitis, vt omnes vrbis coloni cuiusuis conditionis ad vexilla accederent, & ad capienda stipendia. Censi sunt mille homines egregiè instructi. Iubet per literas suos duces, comparatis copijs vndique ad eum conuenire; postea animos omnium conatur æquitate suæ expostulationis ad se tuendum allicere: quòd Laurentius Aldana ad commonefaciendum Cæsarem missus totius regni nomine, docendumque omnes rerum euentus, cum Præsidente conspirauerat, atque cum sua ipsius Pizzari classe bellum inferret: quod Præsidens missus à Cæsare ad res componendas, ad pacem, ad tranquillitatem eius regni, proprio, priuatoque consilio, & autori-

tate

tate cū oībus copijs, quas colligere potuit, arma moueret, ut in oēs pristini tumultus participes animaduerteret: plurimi omnium interesse, cum omnes interfuissent, se ingressum Presidētis in nouas Indias impediturum: quod Cæsar non abrogasset eius administrationem, & præfecturam, sed tantùm Præsidentem ad Regiam audientiam misisset; quæ omnia cognouisset per Maldonatum, à se missum ad Cæsarem. Conuocatis itaq; ad Concilium Iurisperitis, atque autoritate Præsidenti concessa diligenter examinata, ut æquitas causæ Pizzari pateret, quòd nauigia Præsidens occupasset, & cum armatis copijs in eam prouinciam præter Cæsaris mandatum esset ingressus, duces eius partes secuti capitis condemnantur. Interea nuntiatur Pizzaro nauigia Aldanæ Trusillo egressa se litoribus ostentasse; quare mittit Ioanem Accostensem cum centum sclopettarijs equitibus, qui litora illa percurrerēt, neq; aquari paterētur; is Trusillum usque percurrit, atque ad portum D. Marthæ statim contendit, quòd ibi Aldanam esse intelligeret; Aldana ab Hispanis eò rationibus transuectis fit certior, quare in insidias locat centum & quinquaginta sclopetarios, quà Accostensis erat transiturus, sed ubi captiuos fecisset nonnullos classiarios, patefiunt insidiæ. Ea re cognita Accostensis in portu Guantæ missis captiuis ad Pizzarum, mandata expectat: captiuis itaque perhumaniter tractatis, Pizzarus hostium numerum classiariorum intelligit; quæcunque Panamæ gesta essent; et subsidia quæ Præsidens vndique ex Indijs acciuisset: cōtinuò decernitur, vt Caruagialus cum trecentis sclopetarijs equitibus, & Accostensis copijs per litora Cassamalcam usque excurreret. Eius copiæ dum parantur ad iter, postridie monet Pizzarum castrorum magister suspectam esse fidē eius ducis, multisq; rationibus in medium adductis, decernitur, ut solus Accostensis cum ducentis & octoginta sclopettarijs istud ipsum efficeret: ille ad Barancam quod est oppidi nomen ac Trusillum vsque profecti, ulterius non procedendum esse decernunt. Fiunt interea multorum ducum, populorumq; defectiones, qui à Pizzaro ad Cæsarem desciscunt. Neque illud tamen prætermittendum, quòd Centenus vir strenuus è clade Proregis elapsus

ipsus anno superiori in spelunca quadam delituerat propter Pizzari crudelitatem; qui nunc cognito præsidentis aduentu, collectis nõnullis reliquijs quinquaginta scilicet uiris strenuis ad expugnandam Cuzcum urbem contendit, inuitantibus ad hoc nonnullis è primarijs, opemq; pollicentibus: at verò tanta erat his armorum inopia, vt pugiones prælongis hastis alligarent sarissarum, lancearumvè penuria. Ea re cognita, Antonius Roblius Cuzcum conuolat, cuius monitũ urbis præfectus, trecentos homines in aciem instruit in foro, Franciscum Aguitrium emittit ad incursiones in agrum faciendas: ille cum Centeno copijs coniunctis omnia quæ fierent docet, per noctem aciem conducunt alia via: illi qui aut mortem, aut uictoriam sibi proposuerant, urbem mira uirtute inuadunt; urbani ingenti strepitu sublato, rem non intelligẽtes mutuis uulneribus caduntur: at Centenus ope urbanorum porta patefacta, armẽtum equorum detractis frenis & ephippijs ab Indis impelli iubet in aciem instructam magno impetu, qui aciem dissipantes, aperientesq;, equos secuti fusos hostes trucidant: primi qui terga verterunt, milites fuerunt negotio assentientes, quorum fuga cæteris trepidatio est iniecta. Consaluus misso Ioanne Silueino summo instruendarum acierum Magistro ad trecentos homines colligendos, statuit Accostensem aduersus Centenum mittere, quem cum reliquis copijs erat secuturus, cum noningentos haberet in castris: sed Accostensis copiæ illa nouitate rerum perterritæ sunt, & propè in fugam uersæ, nisi capitali nõ nullorum supplicio fuissent retardatæ. Inter cæteros cæsus est Antonius Altamiranus, quia sub frigidè res bellicas administraret; bonaq; fisco addicta, uexillumque prætoriũ Antonio Riberio datum. At Pizzarus ubi uidisset suos uiros paulatim imminui, seq; penè relictum, quem summa obseruantia populi omnes eius Regni antea prosequebantur; eos ciues, milites que qui aderant ad seruandam fidem, societatemq; defensionis hortatur, cum diceret se pro aris, ac focis omnium antea pugnasse, at nunc omnibus pugnandum esse etiam pro libertate, pro uxoribus, filijs, facultatibus, patria, uita, sanguine: cum ficta sint, & simulata ad capiendos incautos quæ de conceden-

Oratio Pizzari.

da

da uenia à Præsidente dicuntur. Eius rei præclarum esse argumentum, quòd legationes à se ad Cæsarum missæ Panamæ essent retentæ: quòd literas spargeret multarum cõtumeliarũ plenas: quòd armatus suam diœcesim inuasisset: quòd classem sua pecunia coemptam per uim occupasset; quæ certè iniussu Cæsaris fieri pateret: se neminem cogere ut suas partes sequeretur, inquit; sed uolentes laudaturũ, & decipientes pro hostibus habiturũ. Cũ oẽs se eius mãdata seruaturos respõdissent, iubet postea Accastensem Cuzcum uersus castra mouere per mõtosas partes cum trecentis armatis, partim equitibus, partim peditibus. Nuntiatur Pizzaro classem sese litoribus Reiensibus ostentasse, cum esset Reies urbs satis ampla, portumque haberet tutissimũ, quæ metropolis tunc erat eius Regni ob Pizzari hospitium. Eo nuntio decernit Pizzarus copias in apertum educere: fit igitur edictum sub pœna capitis, ut omnes exeant ad bellum: Postridie cum tria nauigia ad litus appulissent, copias educit, in litore castrametatur, ne quis faceret descensionem: habebat in castris quingentos & quinquaginta, iubet octo equites latere in insidijs, ne quis literas contumelijs plenas spargeret. Postridie eius diei Pizzarus unum de Reiẽsibus ciuibus ad Aldanam in classem mittit super rate tanquam obsidem, qui hortaretur Aldanam vnum è suis mittere ad Pizzarum, ut nonnulla secum agerentur, ad suum aduentum pertinentia: quem missum Pizzarus non nisi per noctem in castra admitti, qui admissus diplomatis Præsidentis exemplum attulit, & veniæ facultatem vniuersam, quam Cæsar concessit; & ut reuocabantur illa instituta; quæ fuerant causa eius tumultus, at nihil retulit nuntius, nisi Pizzari querelas. Aldana per nuntium agit, vt milites Pizzari veniam intelligant: duplicata exempla omnium statutorum dedit cum literis ad insigniores Duces qui alterum exẽplum in cothurnis occultat, alterum obtulit Pizzaro, significans Aldanam sibi suasisse, ut in castris ea uulgaret, se autem dedisse uerba Aldanæ, dum extorqueret exemplum, quòd referret ad Pizzarum: ita magna beneuolentia diligentiaq́ credulitate apud Pizzarum consecutus clam literas distribuit. Pizzarus ab urbe Reiensi castra mouet, proficit

cit

cit urbi Petrum Martinum, ſenem robuſtum, atque crudelem, natum in ignobili oppido Hiſpaniæ Medellino: iubetque omnes, qui reliqui eſſent in urbe, aut qui iniuſſu Pizzari è caſtris diſcederent ſuſpendio plectere: qui mandatum diligenter ſeruauit: nam cum unum tantùm in urbe inueniſſet moræ ſuſpendij impatiens, ipſe ſuis manibus interemit. At Pizzari milites paulatim ad Cæſarianos confugere ſpe ueniæ clam intellectæ; Caſtra Pizzari minui, uires debilitari; urbes inſignia Cæſariana extollere, claſſi ſignificare, quæ fugientes excipiebat. Miſſi qui Præſidenti ſucceſſus rerum ſignificarent, & literæ ad urbem Arequipam; imperatum, ut in caſtris Accoſtenſis exempla ueniæ ſpargerentur, ut ubique cognoſceretur in eos populos Cæſaris clementia. Conſaluus ueritus, ne transfugientibus cunctis ſolus relinqueretur, quinta caſtra procul ab hoſtibus locat: cum ſignificatum eſſet Præſidenti non plures ducentis eſſe in Caſtris Pizzari, eoſq; animo ſatis infido, qui potius timore, quàm amore in caſtris tenerentur; & iam octaua caſtra locaſſe procul à Reienſi ciuitate, quæ ad Cæſarianos defecerat. ea dum fierent in nouis indijs, exercitusq; in Germania utrinque colliguntur, Schertelus cum ijs copijs quæ exierant in apertum ad oppidum Fieſſam caſtra mouet, ſine controuerſia id occupat, Cluſam inuadit ea nullis diſploſis tormentis potitus. erant iam ad cuſtodiam Cæſaris collecta à Madruccio ad quinque Germanorum millia & à Mariniano, qui uel maximè pugnandi cupidi Artobrigæ à ſuis ducibus continebantur, quia duces non ſatis tutum ducerent cum hoſtibus ſigna conferre propter imparitatem uirium; neque ducebant eſſe prudentis Imperatoris ſemina & initia bellorum ita inconſideratè fortunæ arbitrio committere; cum maximi ſit ponderis ad uniuerſum negotium, quam exiſtimationem bellorum initia accipiant, ne animi conſternentur in ipſo ueſtibulo bellorum. At coniurati Artobrigam infeſta ſigna conuertunt, cum ijs copijs, quæ iam collectæ fuerant in agro Alcimenienſi, & cum Cluſæ præſidijs ad Inutrium occupandum

Germanicæ proſequuntur res.

Cluſa capta à coniuratis.

Opinio initio bellorum capta de Imperatore maximi è momenti ad bellum.

pandum contendunt, quodsi captum fuisset, facilè erat proxima quæque postea occupare; quippe cum omnes uias, aditusque conclusissent, qui in Boios iter pate faciunt, & quia ex Italia, Tridentoque Inutrium acceditur. sic igitur omnes subsidiorum facultates Cæsari fuissent interclusæ Inutrio: præfecti rati quanti esset momenti ad res bellicas urbem illam seruare, intra septem dierum spatium ad duodecim millia armatorum colligunt, quorum non nullam partem ad urbis præsidia intromittunt; qua re cognita coniurati neque se ostentarunt quidem Inutrij mœnibus. est enim tanta uis, tantumque beneficium celeritatis in rebus bellicis, ut sæpe uel paruæ copiæ celeriter collectæ maximorum bellorum apparatum omnem hostium dissipauerint, & certam uictoriam existimatam è manibus extorserint, coniurati de spe potiundæ urbis deiecti ad Chusam et Fiessam oppida summa diligentia munienda animum conuertunt. Pontificiæ copiæ interea iter facere, tria Hispanorum millia ex Insubria in Apuliam contendere; mox cum ijs qui erant Neapoli, naues conscendere; ad pagum Dalmatiæ uocatum Flumen descensiones facere, atque inde per Charinthiam et Valeriam iapridesque profecti in Noricum agrum denique perueniunt. coniurati interea mirificam rei præclarè gerendæ opportunitatem per inscitiam trasmittunt; qui si Artobrigam contento passu adijssent, Cæsar cum nullas propè haberet copias, nullasque bellica tormenta, tam repentino hostium aduentu oppressus, uix unũ, neque tamẽ id satis tutũ remediũ salutis suæ seruãdæ uidebatur habiturus, ut secundo Istro è Germania profugeret: quippe cũ solos haberet primum suos aulicos, & nobiles qui eum comitabantur. sic enim coniurati uidebantur in unius urbis expugnatione uniuersum bellorum futurorum incendium extincturi.

Celeritas rebus bellicis necessaria.

Sed quid prodest optimorum, celerrimorumque apparatuum copia & magnificentia, nisi quis cum neccessaria celeritate illis opportunè usus fuerit? non enim ad picturam, sed ad res gerendas exercitus insignes debent instrui. Enimuero antequam publicè arma tractarentur Lantagrauius, & dux Saxonum cognitis tantis Cæsaris apparatibus literas humanitatis plenas mittunt,

mittunt se cognouisse inquiunt Cæsarē uelle in nonnullos rebelles animaduertere, se cupere fieri participes consilij cum essent auxilia missuri sin in ipsos fierent apparatus, se cupere per inuidiam obiecta crimina diluere: quibus Cæsar nihil respondit. Schertelus cum Augustanis copijs Tonauertam se contulerat, quæ ciuitas est maximi momenti in ripa Danubij sita, propugnaculumque Danubij à nonnullis appellatur, & ab imperio Cæsaris ad nouam religionem nuper defecerat, fueratque in fidem coniuratorum libenter accepta. is locus oppurtunus uisus est Schertelo ubi Lantgrauij & Saxonum copiæ coniungerētur, cum esset etiam ibi factus magnus Augustanorum apparatus bellicus, atque lyco fluuio potiretur, qui per urbem defluit in Danubium, Sueuorumque agrum à Norico distermi nat. potiebatur per eandem opportunitatem etiā Danubio, per quem Alcimenio & Calegia opulentissimis, & feracissimis urbibus, omnis generis cōmeatus, & res exercitui necessariæ aduehi poterant. Nam profecto opportunus situs est eligendus parandis copijs, cuius natura spectanda est non solùm ut sit munitus aduersus irrumpentes hostes, siqui fierent conatus; uerum etiā ut non longe distet à finibus hostium, ne tarditas itineris eripiat facultatem rei praclare agendæ, ut ibi sit aquarum copia, & cōmoditas fluuiorum ad conuehendos apparatus & tormenta è cæteris urbibus. ut propinqua ne sint aspera loca & sterilia, ne cito labefactētur copiæ statim inopia cōmeatus. q̄ certe si non oōīa possint haberi, saltē plura expectenda sunt. Vbi Schertelus ibi cōstitisset, breui Saxonū Dux suos mittit, & cōiurati reliqui, quare ex omnibus coniuratis ciuitatibus collectus est potentissimus, maximeque formidabilis exercitus. Cæsari accesserunt interea Germani cōplures Duce Alberto Cosmiri filio MarchionisÆlisi cum magna turma equitum, atque quotidie noua accedebant auxilia. Sciambrugius ad montem nigrum uocatū cum suis cohortibus profectus, ubi Germani Xuarezbaltū uocant, non poterat nisi per summā difficultatē periculumq; transire, cum iter faciendū esset per agrum Alcimeniensem, quam urbem uulgo Vlmam uocant, quæ potentissima est ciuitas hostilis, uel per agrum caritnorum Principis potē

Loci eligendi ad colligendas copias titius

 tissimi

tissimi coniuratorum. Magnus erat idcirco ambitus faciendus cum per horam lacus esset eundum apud Ganodurum, ac Tyroli agrum; quod iter ut magis amplum, ita minus periculosum uidebatur. Nuntiabantur etiam Hispani accedere ex Insubria, cum quibus equites sexcenti leuis armaturæ duce Sulmonensi Regulo, Tormenta, Iuliobona complura in lintribus conuehebantur. coniurati tantam opportunitatem minimè intuiti opprimendi Cæsaris antequam uires coniungerentur Cæsarianorum frustra tempus oppugnandis oppidulis absumebant. cum enim Artobriga esset primùm inuadenda, vt locus cuius naturæ non esset fidendum, cum non esset munita, aut ullo satis valido apparatu instructa, Rainum, id Castelli nomen est Ducis Norici quinque millia passuum à Tonauerta distans, inuadunt. illud nullum expectans conatum ea conditione se dedidit vt liberi milites armati exiret erectis uexillis ad profectionem ad tympanorum sonitum. ibi collocata sunt firma præsidia quæ Neoburgo, quod nomen nouam ciuitatem significat, conuenerant. oportet sanè vt nouis vrbium, oppidorumq; nominibus aliquando vtamur, vel quia nouæ sunt ciuitates, vel quia toties euersis antiquis urbibus per iniurias frequentium bellorum, ruinas tantùm antiquarum retinent, cum situm & formam, & nomina immutauerint. est autem Neoburgum pagus comitis Palatini quindecim milliaria distans à Tonauerta, qui pontem habet supra Danubium. Interea Rex Romanorum Artobriga profectus Casurgium peruenerat, vbi Mauritius Cæsaris iussu se accingebat ad agrum Federici hostiliter inuadendum: erat Mauritius vnus è Ducibus Saxoniæ pro Germanorum more, qui res omnes in tres partes diuidunt. Mauritius ferè semper inimicitias gessit aduersus Federicum vel coniunctum, quamuis eo tempore, quò cœptum est bellum, pace fruebatur: nam postquam imperatorium exilium indictum est duobus ducibus, decreuit Mauritius coniunctis castris cum Rege Romanorum Saxonum Imperium occupare, quod sibi commodum

Rainũ oppidum captum à cõiuratis.

modum videbatur vt suo coniunctum. Coniurati capto Rayno oppido mox infesta signa Lansueto inferunt, quod est oppidum Ducis Norici insigne, id hostium consilium cum nuntiatum esset Cæsari, in tanta rei magnitudine minimè cunctandum ratus, cum illud oppidum esset situm non procul ab Inutrio in ea via, quæ ducit Artobrigam, qua parte Cæsar Italicas copias expectabat, non procul à desertis Heluetiorum, castra mouit. nam si eam uiam Clusa iam potiti occupassent, nullam aliam Cæsar erat habiturus ad excipienda auxilia; cum facile fuisset etiam Artobriga potiri. erant siquidem eà transituræ necessariò Hispanicæ, & Italiæ copiæ, quare in summas difficultates res bellicas Cæsaris coniecissent. Cæsar vt maturè tanto periculo occurreret, consuleretque rebus suis laborantibus ipse ad defendendum illud Oppidum vexillis erectis contendit, quò vertebantur vniuersæ hostium uires. Relictis igitur Artobrigæ quatuor millibus Germanorum, Hispanorum cohorte, tormentis, & apparatu bellico, qui Iuliobona aduectus fuerat præfecto Pyrrho Columna, ipse cum reliquis copijs iter capit Lansuetum uersus. aucta fuerant castra Cæsaris Madrucij aduentu, & Mariniani & Hispanorum è Pannonia, & quinque Germanorum peditum duobusque equitum millibus, quos ipse Cæsar collegerat, quare in loco tuto castra posuit eo consilio vt ibi moratus hostium impetum sustineret, periculumque propulsaret, & auxilia aduenientia exciperet ex Italia, si tamen ante hostes aduentassent, quorum assiduè castra augebantur. Scripsit etiam literas ad sollicitanda auxilia, vt quanta fieri posset diligentia adproperarent, ut posset cum hostibus collatis signis oppugnare, cum primum opportuna facultas apparuisset, quoniam res placidè non posset componere: nam dicere solitum Cæsarem accepimus in castris, se vel viuum Germanicas res compositurum, vel

mortuum.

vel mortuum omnino inter Germanos futurum. Coniurati cũ intelligerent Artobrigam omnibus iam rebus necessarijs, firmissimisq; præsidijs esse munitam, neque posse auxilia Cæsaris impediri, cum is in loco ad excipienda peraccomodato castra bifariam diuisa posuisset, in quas difficultates propter suam tarditatem ac negligentiam fuissent adducti, consulunt quid sibi esset agendum. Federicus multò faciliorem pugnam existimans fore cum præsentibus copijs, quàm cum Italis etiam, quæ non procul abesse dicebantur, censebat omnino esse dimicandum: at Philippus non esse irritandum animum Ducis Norici potentissimi & non hostis Principis, cuius in agro castrametaretur Cæsar; quibus summa videbatur esse iniuria quempiam intra fines alterius adoriri, nisi & ille se hostem esse profiteretur, tentandum esse consilium Norici Reguli uisum est, qui respondit se Cæsari tanquam suo Principi non posse omnia commoda negare: neque tamen uelle esse hostem, sed semper fuisse, & futurum amicum coniurationis. His rationibus adductus Philippus literas superbiæ, & minarum plenas mittit per puerum æneatorē, qui epistolam proferret ad teli amentum alligatam in cæsariana castra, & ad Albani tentorium summi Ducis eius expeditionis, ut mos est uetus Germanorum belli denuntiandi: quæ literæ neque lectæ quidem à Cæsare fuerunt. cōtinebatur in ijs, quòd Cæsar nulla accepta iniuria solo opprimendæ Germaniæ, liberarumq; ciuitatum desiderio, Philippū & Germaniam inuasisset, non posse deesse Philippum ut Germanum Principem Germanicæ & libertatis & nominis defensioni pro uiribus; paratumq; se esse ad obseruādam fidem quam iuratus Patriæ dedisset: quare se facere facultatem Cæsari collatis signis si uelit dimicandi. Responsum est ab Albano Cæsaris nomine se in aptius tempus eam pugnam reseruare, futurum enim ut satis opportunè daret pœnas suæ temeritatis: atque vt responsi uis apertius pateret, mittit impressam imperatorij exilij formam. eo accepto responso coniurati consilium uertunt ad impedienda Cæsariana auxilia, atque cum Italiæ cohortes non procul abesse dicerentur, ad Ingolstadium castra mouit, quæ urbs maximi uidebatur esse momenti, cum natura

Literæ Philippi, & earum argumentum, ad Cæsarem missæ.

esset

esset munita: & in ripa Dannubij fluminis sita ad commeatus, apparatusq́ bellicos excipiendos peraccommodata, hæc urbs ita nominata fuit, quòd esset ab Anglis extructa inter Oceanum, & Albium fluuium habitantibus. cum ab ea vrbe nō procul essent castrametatæ Philippicæ copiæ, ne facilis accessus Italis concederetur; Bartholamæus Montius & Nicolaus Siccius cum ducentis equitibus pontem occupant, qui erat urbi finitimus. Missus est ex altera parte Thomas Coccapanus cum sexaginta equitibus ad hostes explorandos, quod cum summo studio curasset, neque vellet nisi re perfecta in castra redire, abfuit per biduum à castris Cæsarianis. Italæ copiæ Pontificiæ interea cum sexcentis equitibus Duce Octauio Camerinensi Regulo accedunt in castra, equites centum & sexaginta leuis armaturæ Duce Alphonso Atestino Ferrariensi, ducenti Florentia duce Rodulpho Baleono. Hispanæ copiæ ex Insubria & Neapoli, ita vt castra Cæsariana iam iusti exercitus formam accepisse uiderentur, cum adessent sexdecim millia Germanorum, decem Italorum, octo Hispanorum. equites è Bohemia Ioannis Alisi Marchionis sexcenti, Prutenorum præfectus adducebat ducentos, Albertus Marchio octingentos, ita ut Marchioni Alberti Archiducis, cæterorumq́ Principū equites ad tria millia accederēt. Germani, qui ex Heluetiorū desertis accedebant, in multas, maximasq́ dificultates incidebant propter locorum angustias: cum Philippici ad eam partèm omnes aditus armatis militibus occupassent. Cæsar his copijs auctus, quas diximus, castra mouit lansueto Artobrigam uersus ad triginta et octo tormenta bellica partim campestria, partim muralia capienda: atque relictis tribus Germanorum uexillis ad tormentorum, dum attraherentur custodiam, mox adit Ingolstadium, ubi castra hostes posuerant. sed antequam castra moueret, iubet ad arma: repente totis castris conclamari, omnesque Germanas copias in duo agmina diuidit, in frontem & postremam aciem scilicet: cum à dextra ad confirmandum exercitum catraphractos equites constituisset, à sinistra Italos, & Hispanos locat. equites leuiores in duas turmas diuisi exercitum uniuersum præcedebant. ex Hispianis sclopettarys

Ingolstadium unde dictū & situs.

Auxilia Itala Cæsari accedunt.

Ordo acierū cęsarianarū procedentium.

rijs & Italis mille collocati sunt ad latus Germanorum, & totidem ad latus cataphractorum equitum, quorum Dux summus erat Albertus Casimiri. Sic instructis copijs Cæsar Ingolstadium uersus, ubi castrametati fuerant philippici milites, castra mouit; distat illa urbs ab Artobriga ad quadraginta & quinque milliaria, quod iter tribus castris factum est, cum primo die confectis decem, secundo tredecim millibus passuum castra posita sint apud Neostatum oppidum situm in ripa Danubij, quod pontem haberet supra fluuium; sed quoniam pons esset angustus ad maiorem traijciendarum copiarũ celeritatẽ iubet Cæsar tumultuarium pontem excitari è lintribus, qui in hunc usum castra sequebantur. Quæ dum fiunt à Cæsarianis Philippicæ copiæ ex altera parte Danubij ad obsidendam Artobrigam signa promouent. Cæsar cognito hostium consilio summa celeritate mille Germanos pedites, & quadringentos equites Hispanos sclopettarios mittit, qui eadem nocte urbem ingrediantur: quibus præsidijs urbs ita confirmatur ut posset omnes conatus hostium retardare, donec Cæsar cum uniuersis copijs opem ferret. Philippus ea de re certior factus, quòd Artobrigia nouis præsidijs munita fuisset, quòdque Cæsar cum omnibus copijs subsequeretur, qui iam abesset tantùm quindecim millia passuum, eratq; fluuium traiecturus, decidit de spe potiundæ Artobrigæ quia uideret se hinc urbem, illinc exercitum hostium habiturum, qui facultatem commeatus interclúderent; quare ad Ingolstadij expugnationem signa conuertit. Cæsar cum intelligeret angustias quasdã uiarum perdifficiles hostibus esse transeũdas, mittit tria sclopettariorũ millia ad eos retardandos, & octingentos equites leuiores, dum ipse cũ reliquis copijs subsequeretur, siquam dimicandi aptam facultatem locus suppeditasset. at contra Philippus summo studio, summaque celeritate utitur angustijs nemorum, in quas imperitè se intruserat superãdis et prætereundis, ita ut indemnis euaserit. Quippe cum maxime omnium periculosum sit uel potentissimis exercitibus se intra angustias montium, & uiarum, & paludum includere, uel præoccupatis ipsis angustis, cum facile possint intercludi, & uel ab insequentibus hostibus,

hostibus , uel ab obuijs fundi , cum uniuersus exercitus non dum fuerit prætergressus . Philippici igitur ex angustijs indemnes euadentes ubi in planitiem exiere , copias in aciem instruunt , uexillisque erectis ad profectionem Ingolstadium petunt , ubi erant in præsidijs Petro Guzmano Hispano præfecto ducenti pedites , & totidem equites Norici . Cæsar intra biduum per pontem ueterem , & tumultuarium trabibus cathenatis suppositis lintribus Danubium traijciens castra locat in quadam ualle , & super colle ipsi Danubio propinquo , qui locus distabat ab Ingolstadio ad decem millia passuum . fuit maximi momenti ad uniuersas res bellicas hic Cæsaris traiectus , cum Philippici non ita libero agro potirentur , demonstraretque Cæsar se neque formidare hostes , neque deuitaturum pugnam cum opportuna loci facultas sese obtulisse . Ibi Albanus ad uillam quandam ducta fossa perpetua & reparationibus castra munit . ubi per triduum morati essent Cæsariani , nuntiantur hostes ab altera parte urbis ad sex millia passuum ab Ingolstadio castra posuisse : quare Cæsar Regulum Sulmonensem cum ala expedita equitum , & Antonium Toletanum cum equestribus sclopettarijs mittit ad exploranda hostium consilia . Hi nonnullis urbanis se se addentibus leue prælium committunt cum Philippicis inter nemora ad partem sinistram fluminis . certatur acriter , modo uera , modo simulata hinc inde fuga : tamen ad extremum Cæsariani partim imperitia locorum , partim nouis semper subsidijs hostium fatigati nonnullis è suis cæsis , & captis coguntur cedere , & nisi Romanus equitatus opem tulisset rebus eorum laborantibus ad unum cecidissent in eo prælio . Sed quoniam plurimi referebat , ut Ingolstadium Cæsar quàm primum euaderet , ne urbs in periculo , & in potestate hostium denique relinqueretur , quæ poterat esse impedimento quo minus Lutiburorum Comes cum Cæsarianis castra coniungeret , necesse fuit Cæsari castra mouere . At enim cum maximè sit necessarium illi qui uicinum & potentiorem habeat hostem, in situ tutissimo si posit, ca-

E *strametari*

ſtrametari ad omnes impetus, conatusq́ hoſtium reprimendos; Cæſar præmiſit qui duo loca ad caſtra explorarent; alterum ab urbe ad quinque millia paſſuum, alterum ab altera parte urbis, non tamen procul ab Ingolſtadio. Vt autem commodius his locis Cæſariani potirentur præmiſſus eſt Caſtalius Caſtrorũ Magiſter pridie eius diei, quo erant iter facturi qui locum caſtris deſignaret. poſtero die Cæſar ſumma celeritate, ac diligentia caſtra mouet omnibus copijs in priorem aciem tantum inſtructis. Itali, Hiſpani, Germani quotidie uiciſsim mutare regionem caſtrorum, vt omnis eorum controuerſia de ſitu tolleretur. cum ad hæc caſtra iter facerent Cæſariani, Albanus cum uiginti equitibus Ingolſtadium peruenit, altera caſtra diligentius explorat; locum deſignat, & regionem ſingulis nationibus. Philippus cum illud leue prælium ſuis feliciter ſucceſsiſſet, iubet Gulielmum Furſtemburgenſem reſtaurare prælium, qui nonnullis ducibus ſibi additis cum lectiſsimis peditibus & equitibus tanta virtute Cæſarianos inuadit, tamq́ue conferto globo armatorum, vt Cæſari nuntiatum ſit hoſtes cum uniuerſis copijs pugnaturos aduentare: quare iubet & ipſe vniuerſas copias in aciem inſtrui, Albanum præcedere, hoſtium conſilia diligenter explorare, ſe certiorem facere. atque interim frontem exercitus firmat intra caſtra, locum legit ad prælium tormentis, & peditibus, & equitatu in aptum locum diſtributis, ibi hoſtes inuaſuros expectans conſiſtit. At enim cum tardior hora iam videretur, neque aptum amplius tempus ad conſerendum prælium, Albanus nuntiatum miſit, ut acies procederent ad alia caſtra ſicuti ſtatutum fuerat, quòd hoſtes intra ſua ſe recepiſſent. Atqui cum intelligeret Cæſar quanti referret eo die uel tarde potius quàm poſtero ſtatuta caſtra occupare, atque eam noctem, & partem ſequentis diei ſibi concedi ad ea commodius inſtruenda, quæ a tergo Ingolſtadium urbem habebant, cum uniuerſis copijs eò contendit. A fronte palus erat perampla, omnis equitatus inter ſyluam quæ erat à ſiniſtra parte apud Danubium, & fluuium conſiſtit; apud quem erat agmen Italorum Germanorumq́ue

peditum

peditum circa fossam prealtam, ultra omnes Hispani, & pars Germanorum, ac Italorum; cum reliqui ad mœnia fuissent castrametati. atque cum à dextra, & à fronte agri pars aperta haberetur, quamuis tota nox consumpta esset ducendis fossis uallisq; castrensibus, erigendisq; aggeribus, Albanus ambas eas partes antequam dies planè illucesceret, diligenter explorat, vt siquid erratum esset, emendaretur, cum multis rationibus hostes possent induci ad ea castra inuadenda. Philippus viribus potius, quàm vlla militari rationi fretus, nullam opportunitatem inuadendi hostis obseruabat; quippe qui non modo commune esse belli periculum non intelligeret, sed etiam ausus esset promittere fœderatis sese intra trium mensium spatium eiecturum è Germania Cæsarem, vel captiuum ducturum. eius promissis cum creditum esset, collecta sunt ad octoginta peditum, quindecim equitum millia, tormenta tradita centum & triginta. atque tanti faciebant Cæsarianos Philippici, vt neque dispersos quidem equites nonnullos contraxerint, nedum curarint Cæsaris consilia impedire. Cæsar eo die, qui secutus est, in iisdem castris moratur comparandis iis, quæ viderentur necessaria aduersus conatus hostium intentus, cum armatos assiduè haberet milites, verereturq; ne se propinquus hostis in loco nondum non satis tuto adoriretur; qui non plus distans quinque millibus passuum in loco munitissimo fuerat castrametatus. at Philippus imperitia, vti dicebam rei militaris tam opportunam inuadēdi hostis facultatem prætermittens postea inductus est in summas difficultates, & rerum omnium iacturam. non enim in colligendis magnis exercitibus solùm, aut comparandis classibus, aut castris in tuto, munitoq; loco legendis & muniendis consistit Imperatoris prudentia; sed multo magis in arripiendis opportunitatibus, quæ se se offerunt rei præclarè gerendæ; cum plus utilitatis uel situs, vel temporis momentum repentè afferre possit, quàm uniuersa comparandi & instruendi exercitus industria. nam ut paruus ignis & succrescens adhuc facilè extinguitur; qui postea latēdo ubi uires sumpserit proxima quæq; deuastat, neque potest nisi cum summo resistentium periculo retardari; sic belli initia

Castrametatio ad Ingolstadiū, & castrorum descriptio.

Copiarum coniuratorum numerus.

Imperatoris prudentia q̄ necessaria in rebus bellicis.

Castrametatio coniuratorũ.

aliquando supprimere facillimum est, at ubi paulatim acceden tibus auxilijs sunt aucta; non nisi cum summis populorum peri culis opprimuntur. Habebant igitur Philippici à dextra parte parte fluuium, qui in semiplenæ lunæ formam morem castra cir cundabat, à fronte paludem, & oppidulum quoddam, quod castra Philippi & Lantgrauij tuebantur in ripa fluminis situm. à tergo sylua erat prægrandis, apud quam erat collis leuiter ab infimo accliuis, ad cuius radices utrinque reliquæ copiæ fuerant castrametatæ, ubi Philippici omnia tormenta bellica ere xerant. Postero die Cæsar Octauium Farnesium cum ducentis equitibus ad excitandum leue certamen, & exploranda castra hostium mittit. uentum est ad Scherteli milites, cũ nunc hi, nunc illi cedere cogerentur, cæsariani denique nulla re memorabili facta ad suos redeunt, Cæsari nuntiantur quæ uiderant, qui eadem nocte mille & quingentos Hispanos sclopettarios mittit, illi cæsis multis ex hostilibus excubijs, inter se arma conuertunt per noctis obscuritatem, mutuisq; uulneribus confodiuntur. Postridie eius diei cum Schertelus esset stipendia militibus earum ciuitatum nomine collectis, quarum dux creatus fuerat, daturus, uisum est copias esse extra aggeres educendas ac recensendas, ne Cæsarem prius inde disce dere paterentur, quàm fortunam eius belli tentassent. sic censi milites in castra redeunt, quo tempore data est Cæsari facultas muniendi castra. Philippus eo errore cognito ita propinqua castra Cæsarianis locat, ut non plus spatij quàm tria millia pas suum interesset inter utraque castra. Enimuero cum super quibusdã collibus constitisset, quos Cæsar ocupare decreuerat, in loco ẽt tutiore quàm antea castrametatur. Cæsar cũ Proceribus cõsulẽs quid esset agẽdum iubet sandæũ cũ duobus millibus sclopettariorum per syluam quandam transuersè profectum paulò post mediam noctem hostium castra inuadere, qui cæsis primis excupijs, magnam facit in hostes impressionem, tandiũque obuios trucidat, ut copijs in aciem ab hoste instructis paucis è suis desideratis cum captiuo uexillo equitum ad suos redierit. cecidit in ea pugna è Philippicis Rodericus Crasterus & Rittius Ioannes insigniores: quare cognita spe gloriæ moti,

quæ

qui maximè omnium stimulorum uel in tela hostium impellit, & in aperta pericula, Octauius Farnesius, Ioannes Baptista Sauellus, & Alexander Vitellius Romanarum copiarum duces, antequam illucesceret, statuunt planitiem quandam in densiore parte syluæ occupare, ibiq́; locum ad insidias eligunt cum mille & quingentis peditibus, equitibus sexcentis. Philippici eodem consilio Gulielmum Tumbesirnum cum duobus millibus sclopettariorum, Io. Segernum, Iacobum Hacchum, aliosq́; nonnullos duces cum sexcentis equitibus in morem leuiorum armatis cum sclopettis & hastatis telis uerutis scilicet ad patriæ ipsorum consuetudinem mittunt. Hi obuij inuicem facti prælium atrocissimum ineunt, fortunaq́; sæpius hinc inde alternante victoriam Cæsariani denique uirtute ac numero superati coguntur ad quendam pagum se recipere, atque inde mittere qui auxilia peterent à Cæsare. His responsum est nolle Cæsarem eo die fortunam belli experiri, vt suæ pristinæ virtutis & prudentiæ recordarentur, quoquo modo possent sibi salutem compararēt. Qui diu resistentes cum ignis vndique iniectus pagum absumeret, coacti sunt uiam per hostes sibi ferro aperire. cæsi sunt è Cæsarianis complures, & calones capti qui pabulatū iuerant, reliqui ex ea clade se se in castra recipiunt. Captus est Bartholamæus Montius, è Philippicis quoque nonnulli desiderati. Distabant inter se se castra ad tria millia passuum, inter quæ fluuius multis in locis ob longos, multiplicesq́ue anfractus, traijciendus percurrebat, ijsque Philippicorum magis, quàm Cæsarianorum castra complectabatur; idcirco non poterant ad leuia certamina nisi traiecto flumine excitari. quæ cum ita essent, excogitabat Cæsar quibus rationibus esset hostis infestandus, cum sciret vtile sibi futurum, vt è tam munito loco abduceretur, quod palam non audebat, cum esset inferior numero, sciretq́; sibi opus esse arte magis quàm aperto marte pugnare. Philippici die postero castra locāt propinqua Cæsarianis ad mille passus, instructisq́; copijs ad profectionē cū tormentis, quæ per liberā, apertamq́; planitiem trahi commodè poterāt fluuiū traijciunt; atq; in formā lunæ semiplenæ iter faciūt, quod facile & loci amplitudo, & numerus copiarū patiebatur.

enimuero

Ordo acierũ in lunę formã qualis sit.

enimuero forma illa lunaris exercituum maximè formidabilis apparet si in apertissima planitie procedat, cum uideatur undique hostem uelle circumuenire; at nisi ex maximo copiarum numero constiterit, multo debilior omnibus propè alijs figuris efficitur, cum dissipati ferè sint milites si pauci existant. equitatus erat in quinque turmas distributus. dextra turma ad ripam Danubij, & ad paludes quæ sinistra erant Cæsarianis, Hernestus imperabat Regulus, & Brocardus, eaq́ constabat è duobus millibus equitum, habebatq́ decem bellica tormenta. in sinistra procedebant cum pari equitum numero Ioannes Bonicauus, & Gangulphus Eilinguus cum uiginti tormentis. tum paulo post pari numero Georgius Roccherottus, qui uniuersum peditatum ab eo latere includebant. Ab altero latere cum paribus turmis procedebant duo Theodorici, hic Marcellus, ille Pesirdus ita peditatum includentes. Sic uniuersæ copiæ Philippicæ procedebant in primo agmine tormenta trahentes in hostem conuersa. cum domui cuidam Cæsarianis castris uicinæ propinquasset, quæ non amplius duobus stadijs distaret ab aggeribus Cæsaris, Hispani quidam sclopettarij uisa hostium multitudine ex illa in castra refugiunt. Philippus cum neminem exire è reparationibus intueretur, displosis nonnullis tormentis in castra Cæsariana, quæ poterant à quatuor lateribus diuerberari, ibi commoratur, tormentaq́ in hostes dirigit. Cæsar iubet suos in aciem instrui cognito hostinm aduentu, milites hortatur, ut bono sint fortiq́ animo, neque uel numerum, vel clamorem hostium formident, cum nihil horum prudentiam ac uirtutem superare posßit. Iubet Albanus fossarum aggere instaurari, qui ingredientium, et exeuntium pedibus non nullis in locis erant conculcati. iubentur sclopettarij nisi propinquo hoste non displodere, ductus est etiam agger, qui à duobus lateribus exercitum aduersus hostes protegeret, atque aduersus tormenta erecti sunt (orbes complures perampli terra repleti; arboresq́ complures cæsæ ad uallos faciendos. his operibus milites uicißim permutati erant intenti per duos dies, ac totidem noctes, qui sibi alterni succedebant ad laborem et quietem. Cæsariani pro regionibus castrorum in aciem instruunt

Ordo coniuratorum procedentium.

ita vt Hispani essent à fronte, paludemq́; haberent à sinistra. à dextra erant Germani cum praualida sclopettariorum Hispanorum manu. à tergo Itali ubi castra flectebantur, cuius loci non nulla pars erat intra munitionem illam, quæ fuit intra paludem erecta. Et quoniam spatium quoddam copiarum Madruccij apertum erat, & sine vllis reparationibus ad vrbem vsq;, illud & carris, & lintribus, & pontibus clausum est. id uero spatium cum non satis munitum videretur propter amplitudinem, muniuit etiam equitatu in quatuor turmas diuiso: ut si equitatus hostium in eam partem irrumperet, facile loci, reparationumq́; beneficio sustineri posset. Erat ille situs peraccommodatus conserendo prælio, quippe qui tum per aggeres fossarum parum extolleretur, tum etiam spatia quædam haberet relicta inter ipsa agmina. Philippici quòd neminem exire audere cernerent, lætari, tormenta displodere, crebris globis cæsariana castra infestare, tantam globorum tempestatem, tamq́; horrendam procellam effundere, ut terra contremiscere uideretur. at Cæsariani tormentorum bombum minimè formidantes, quem propter multorum bellorum vsum facilè perferebāt, cum præsertim paruam militum iacturam inferret tanta globorum frequentia, non solùm intrepidi consistunt in castris, sed etiam è reparationibus egreßi pugnandi studio cum hostibus congrediuntur. Cæsar in terra recognoscit vt Albanus copias intruxerit, ipse nunc armatus in equo ante suam turmā consistit, nunc Germanos, nunc Italos, nunc Hispanos visit, & vt forti sint animo hortatur, qui mirificè hostium conatus cum Cæsarem adesse viderent, contemnebant. Plurimum enim semper profuit in omnibus difficultatibus vt adsit summus Imperator, qui verè est anima & vniuersum militum robur. Neq; enim aliud est, quod poßit tantopere ad gloriam & ad honoris desiderium milites excitare, quàm si cognouerint non in obscuro loco res agi, sed in conspectu Principis, & uniuersi exercitus, multorumq́; populorum præsentia. Hac ipsa res, atq; hoc ipsum gloriæ desiderium impulit Alexandrum Vittellium, & Ioannem Baptistam Burgensem ad densius vsq; magisq́; confertum agmen Philippicorum, tanta strenuitate, tantaq́; animi

Cæsaris industria utilissima & præsentia.

Philippi dictum.

mi magnitudine, vt Philippus horum virtutem admiratus dixerit, quòd si tantæ strenuitatis essent omnes milites Cæsaris, neque tota quidem Europa posset Cæsarem è Germania dimouere, ne dum Philippicæ copiæ. inflammati ita sunt eo dicto nonnullorum Germanorum animi, ut fortißimè huiusmodi temeritati restiterint, multosque nimis audacter irruentes trucidarint. Nam profectò illam audaciam nunquam laudabilem esse duxi, quæ sit à prudentia, uirtuteq́ seiuncta; cum omnis laus à uirtute procedat. qui uerò solus plures inuadat, nisi proposita insigni utilitate, aut neceßitate, sicuti fecit Cocles, aut qui ita gloriam appetat, ut propter eam uitam inconsultò profundat, ille magis stultus & uitæ prodigus, quàm fortis est iudicandus. Philippus cum per crebritatem ictuum non posset non modo cogere hostes ut mutarent castra, sed neque illud quidem consequi, ut quisquam priuatorum militum è suo loco discederet, denique censet aliud consilium esse capiendum, atque copias in castra, quæ duo millia passuum distabant à Cæsarianis reducit. Atqui dum Cæsariana castra tormentis impeterentur, Albanus Hispanos sclopettarios extra aggeres collocarat, qui ab ea parte, quæ prospectabat paludem cum ijs leue prælium committerent, qui seruabant tormenta, qui tamen in castra nulla re memorabili commissa redeunt. Philippus tormenta ad uillam quandam apud Danubium fluuium constraxerat distantem à castris Cæsarianis circiter sexcentos passus, apud quam secundo fluuio erat castrametatus, perpetuoque aggere ducto & tormenta & tentoria clauserat. Neque mirari sanè conuenit, quòd Cæsar inter aggeres & fossas equitatum incluserat, cum libera, apertaq́ planities magis equitatui, quàm carceres & clatri & fossæ conueniant, inter quas peditatus est aduersus equitatum includendus, cum fossæ atq; aggeres ita essent humiles, ut possent ab equitibus uel armatis facilè transiliri. ferunt cœnatē Lantgranium Schertelum poculo prouocasse, Germanico more, in honorem eorum, qui tormentis laniati fuissent; at Schertelus magis in honorem uiuorum conuenire respondit, cum neque è uestigio quidem cesserint: quamquam fuit Scherteli consilium

Fortitudo quæ sit.

Scherteli dictum.

ut inuaderentur Cæsariana castra, cui consilio Lantgrauius repugnauerat. Cæsariani ad instruendas diligentius castrorum reparationes omnes carros iubent exire ad fasciculos lignorum per eam noctem comportandos, atque ita castra muniunt, ut iam intra aggeres tutò esse possent. Albanus eadē nocte fossam dilatari iubet, atque ex ea parte, qua castrametati fuerant Hispani magis hostibus propinquat: sic pars illa castrorum, quæ hesterno die aperta fuerat, & clausa & magis tuta aduersus conatus Philippicorum efficitur. Postridiè ante quam sol cōsurgeret, terramq́ primis radijs illustraret eadem ratione Philippus copias è castris educit, castris Cæsarianis propinquat, undique instructa acie cingit, ad præliū prouocat, cunctantes tanta globorum frequentia, tantaq́ grandine diuerberat, ut omnium fidem, atque credulitatem superaret. Exeunt è castris Cæsarianis sclopettarij complures, minutum prælium in libera, apertaq́ planitie committunt, atque Philippus cum suos uideret numero inferiores, Nicolaum Bernardum, Georgium Roccherottum, Golphangum Golducherum cum mille equitibus in tres turmas diuisis mittit. Prima turma habuit centum equites, qui soluti incedebant expediti, aliæ duæ ordine succedebant. Hispani sclopettarij trecenti erant in prima acie, at in postrema quingenti. Primi equites soluti in sclopettarios impetum faciunt, atque cum sclopettarij pedites facilè uincantur ab equitatu in planitie, tamen ita sclopettarij Hispani excipiunt priores equites ut eos in fugam verterint, coegerintq́ secundam turmam moueri. ea cum vexillo mota est ad suos protegendos, sed & in hanc tantā effundunt glandium procellam Hispani, ut eam aperuerint, atque tanquā primos terga uertere compulerint. altera turma cum prætorio vexillo mota est, & non minus iacturæ ea quoque patitur, cū & ipsa cedere sit coacta, & ītra aggeres repulsa: quod facinus sanè fuit memorabile, cū longo interuallo uirtus equitum soleat pedites in planitie, & in æquis locis superare. Cæsar neque eo quidē die vniuersam belli fortunam experiri voluit, cum essent eius copiæ multò inferiores numero, & tria peditum millia cum trecentis equitibus, duodecimq́ tormentis

Sclopettariorū Hispanorum virtus.

F muralibus

ſtiterat apud propugnaculum, quod erat à fronte inter Inſubres, Neapolitanoſque milites, cum ea regio eſſet ijs nationibus aſsignata, in hos plures globi conijciebātur ſine multis cædibus, quamuis Cæſari multa pericula imminerent. quippe quòd illi propinqui milites fuerint dilaniati, & eius tentorium atque cubiculum caſtrenſe globo perforatum: Vbi diu Philippici caſtra ita diuerberaſſent, Albanus cum quingentis ſclopettarijs mittit ſui Tertij Alonſum Viuenſem ad minutum prælium cōmittendum. Nam, vt apud Romanos legio, Phalanx apud Macedones certum continebat armatorum numerum, ſic Tertium apud Hiſpanos, Regimentum apud Germanos nuncupatur militaris profectura, quæ decem vexilla peditum contineat. Certatur acriter, Cæſariani primam foſſam caſtrorum prætereunt atque impetu facto, multisq; trucidatis ex hoſtibus in caſtra redeunt. Cæſar vt hoſtes aſsidua moleſtia, diuturnisq; laboribus defatigaret, mittebat per noctem qui ad arma conclamare cōpellerent, at per diem leuibus prælijs infeſtabat; quare & per noctem armatos eſſe oportebat, & per diem inuadentium conatus repellere. ea ratione factum eſt vt impetus & furor Philippicorum paulatim reſtringueretur, animusq; deficeret: nam cum prius ad ducentos paſſus propinquarent ad caſtra Cæſaris exploranda, nūc diſtabant plures mille & quingentis, cum eos ſclopettarij longè ſummouerent: putabatq; vtile fore Cæſar vt per nouas foſſas, nouosq; aggeres hoſtes cogerentur caſtra mutare. Aucta ſunt præterea Philippi caſtra trecentis equitibus comitis Palatini; ſed tanta erat moleſtia, quæ à Cæſarianis inferebatur: tantus labor, cum nunquam arma deponere tutò liceret; tam propinqua caſtra paulatim facta ſunt, vt ex alteris exire altera ingredi eſſet; quare omnino Philippici caſtra mutari oportere decreuerunt, ne tam infeſtum haberēt vicinum. qui tanta diligentia, tantoq; ſilentio cum carris & tormentis antequam illuceſceret Danubium traijciunt, vt illuceſcente die nullum tentorium in caſtris viſum ſit. traiecerat peditatus omnis ſub auroram, ſolaq; equorum turmæ reliquę erant, quæ & ipſæ c perant pertranſire; quarum in poſtrema acie nō nulla tormenta trahebantur; quo ordine Neoburgū verſus ſigna

Tertiū decem uexillorū militariū præfectura. Regimentum quid & legio.

Coniurati è ſuis caſtris cur pelluntur.

gna vertunt. Cæsar leuis armaturæ equites ad explorandum iter hostium, & ordinem, quo procedebant mittit. Præmittebantur ab illis maiora tormẽta, post quæ subsequebatur peditatus, cuius latera turmæ equitum vtrinque cingebant. Enimuero formidabile erat tanto armatorum numero tectam planitiem uidere, atque id præsertim cum omnia circum reniterent splendore armorũ: cũ tantus equitatus, tamq; magnificè instructus procederet, eo ordine progreßi ad Neoburgum castra ponunt. Nuntiatum est in castris Cæsarianis, copias, quas Buranus Comes ex Ambiuaritis siue Brabantia per Incrionensem Batodurensemq;, & Mocontiacum agrum adduxerat contra conatum hostium Rhenum traiecisse; quamuis Vbertus comes Oldẽburgius cum mille equitibus, & quindecim millibus peditum ad impediendum traiectum relictus fuerat. Cæsar per nuntios certiorem facit Buranum coactos fuisse hostes castra mutare, atque Neoburgum primùm, deinde Tonauertam se recepisse, vnde videretur rationi consentaneum, vt ad impediendum iter sibi obuiam prodirẽt in agrum Vsipetorum, cum præsertim Vbertus scripsisset hostes pagum occupasse distantem ad quindecim millia passuum, per quem sibi Rheni traiectum aperuissent. fieri non posse ut hostes impediret tum ob distantiam, tum etiam quòd illi multo armatorum equitum numero præstarent. Nam tria millia equitum Buranus comes adducebat, quibus addita erant quatuor millia Alberti, & Io. Alsi Volphegangi Merchingi, Prussiæ Reguli, & Maximiliani Regis Bohemorum: quæ copiæ cum Rhenum transire prius non auderent, aduentum comitis Burani præstolabantur. adducebat secum Maximilianus Florentii filius Burani comitis uti dicebam Busaterorum præfectus, quatuor Hispanorum, & duo Italorum ueteranorum uexilla, qui pro Rege Angliæ aduersus Gallorum Regem milita[u]erant. ducentos Italos sclopettarios equites, uiginti & quatuor Germanorum uexilla, duodecim bellica tormenta. Maximilianus ad ripam profectus prima nocte quinque milli a hominum procul ab hostium castris fluuium traiicere iubet; qui trangresfi statim pagum occupant, eius beneficio omnes copiæ sine controuersia traiiciunt. cum in agrum

Burani comitis auxilia quanta.

Vsipetorum

Vsipetorum uentum esset, minutum prælium committitur. pugnatur acriter, belli fortuna diu fit anceps, denique multis undique cæsis Vsipeti in vrbem includuntur. Philippus relictis tribus uexillis peditum Neoburgi in præsidiis, iam præterita Tonauerta ad Vendalingam oppidum accesserat, ibi fit certior comitem Buranum transmisso Rotemburgo in agrum Noreiensem aduenisse; nam Philippus conabatur pro uiribus impedire quominus nouæ copiæ cum Cæsare coniungerentur; quod non mediocriter animos Cæsarianorum perculerat: quòd illis profligatis ipsi non possent diutius impetum Philippicorum sustinere. Philippus ea re cognita Tonauertam redit, munitione in ripa lyci fluminis structa, quod flumen est Sueuiæ regionis, ubi uocatur Vindelicia, castra posuit apud Raynum oppidum, quæ aucta fuerant triginta & sex uexillis peditum, qui Rheni traiectum obseruarant. Enimuero prudenter castrametatus fuerat Philippus, cum ita fieri uideretur, ut per lyci opportunitatem Augustam urbem, per Tonauertam & Danubium Alcimenium tueretur. Ibi consistunt nonnihil spatii copiæ Philippicæ ut in loco natura munitissimo, & non inepto ad impediendum Burani accessum. Cæsar, quod ea non ignoraret, Io. Baptistam Sauellum, Alphonsum Atestinum, Rodulphum Baleonum, Principem Sulmonensium cum tribus millibus equitum mittit ad iter hostis explorandum; & si iter faceret, tandiu leuibus certaminibus agmen postremum retardarent, ut Burani copiæ cum Cæsarianis coniugerentur. Sed cum uisi essent postridie Philippici in loco castrametati, unde non possent nouas copias impedire, ad suos redeunt Cæsariani. Cæsar contra summa diligentia vti vt illa auxilia quàm citissimè accederent; multos ignes accendere quà erant uentura, cum per noctem iter erat faciendum; obuios mittere locorum peritos, qui comites essent & duces uiarum; leuia certamina ex altera parte castrorum hostilium excitari, ut Philippici detinerentur, cum putarent omnes Cæsarianos ibi esse castrametatos. Istud uafrè consulitur, quia Philippus consilii Cæsaris

ignarus

cessura si occupata fuisset, cōmeatus, omnisq́; apparatus bellici eò conuehendi; multorũ pagorũ imperiũ, liberum agrum Noricum ad Monachum vsque, quod oppidum est Norici non procul à Vindelicia, Veruntamen quidam censebant his tantis quæ proponebantur commodis occupandæ vrbis, non minores opponi difficultates; quare censebant his rationibus vrbem non esse tentandam, vel quòd Cæsar in eam necessitatem adduceretur, vt opus esset cum multò superiore exercitu hostium fortunam experiri, qui vellent opem ferre obsessis; vel quod si istud facere Cæsar deuitasset, erat turpiter ab incepta oppugnatione cessaturus; quorum alterum periculosum, alterum turpe videretur. Nam profectò non satis est ab inceptis tutò, & nulla accepta clade recedere; verum etiam illud tentare oportet, quod uideatur nobis non posse resistere, ne temerè & inconsulto aliquod negotium suscepisse uideamur. Nihil est siquidem tam hosti formidabile, quàm Imperatoris prudentia & calliditas; & opinio nullius negotij frustra suscepti; cum irriti contrà vaniq́; conatus, & oppugnationes frustra tentatæ ridiculam faciant omnem potentiam, omnesq́; bellicos apparatus. Quare præclare diuinus Homerus callidum Vlyssem, & non fortissimum Aiacem aut Achillem populatorem urbium appellauit. His rationibus commotus Cæsar ipse cum leuiore equitatu, & magna manu sclopettariorum Hispanorum summo mane ab Ingolstadio ad explorandam vrbem proficiscitur. Vt autem melius eam ad expugnationem exploraret & ipse & Albanus ex equo descendit. Vrbani nonnulla campestria tormenta in eos, sclopetosq́; displodunt, qui explorato negotio ad suos redeunt. Non defuerunt qui reprehenderent hoc Cæsaris facinus, quòd dicant illud esse magistri castrorum, aut etiam priuatorum militum munus. Atqui ego non facilè dijudicauerim an liceat aliquando istud facere Imperatori, cum ex altera parte summum periculum considero, quod certè est illi non negligenter deuitandũ qui summum habet Imperium, & in cuius incolumitate vniuersi exercitus salus consistat, plurimi tamē interesse alicuius negotij ipse vt suis oculis res intueatur ac percipiat. Cæsar urbe ad expugnationem explorata postero die iubet duos tumultuarios

Turpe imperatori est id tentare quod perficere non possit.

tuarios pontes iaci supra Danubium ad copias citius traijciendas. sic igitur per tres pontes breui traiectis copijs ad tria millia passuum à Neoburgo castra ponit. At uerò ubi apparuit Cæsarianorum multitudo, cum uniuersæ copiæ in primum agmẽ & in phalangem essent instructæ, urbis præfecti in castra Cæsaris mittunt, qui agerent de deditione. sic autem instructæ iter fecerunt copiæ Cæsarianæ, ut uniuersæ è primo agmine & Phalange consisterent, tũ quia nullum hostem timerent à tergo, tũ etiam ne postremi agminis adiectione uniuersus exercitus debilitaretur, cum multitudo ordinum faciat copias debiliores, nisi præpotens numerus extiterit. At uerò cum in duas acies Cæsariani fuissent distributi, quæ singulæ constabant è duabus Phalangibus peditum, & totidem turmis equitum, exercitus ita fiebat ab ea parte ualidus, ut hostes posset contemnere. Vbi apparuerunt Cæsarianæ copiæ uel splendore armorum, uel acierũ multitudine territi ciues ciuitatem arbitrio Cæsari offerunt; quod ipsum faciunt præsidiorum profecti, ueriti fortasse nequa subesset proditio. Atqui duces illi condignum tantæ timiditatis præmium & ipsi & milites retulerunt; quippe cum in Insulam per eam noctem expositi quæ inter duo cornua Danubij intercipitur urbi propinquam postero die iurare compulsi sint, quòd inter quatuor mensium spatium neque Philippici, neque fœderatorum stipendia mererentur: quibus etiam arma adempta sunt ad ignominiam, quòd uiderentur indigni tam timidi milites, & qui suum Principem tam facile prodidissent, ut arma gestarent. Postea libertati restituuntur. Cæsar, ut qui non posset non grauiter ferre tantam militum inerciam, neque tamen posset in hos sæuire pro iure belli, quod iubet in imprudentes & obstinatos & temerarios potius, quàm in timidos hostes animaduertere; atque ut uideretur potius pro clementia, quàm seueritate rebus moderari se parcere illis ducibus inquit, quia decepti ad id bellum conuenissent. Hi etiã ad extolendam causæ suæ honestatem non solùm deceptos, sed etiam coactos aduenisse affirmant. Enimuerò præter omnem spem, omnemque bellicam rationem accidit, ut tam munita, tam potens, tam facilis ad accipiẽda subsidia, in potestatẽ Cæsaris urbs ueniret.

Neoburgũ captum à Cæsare.

Quare

Quare quis certam fortunæ rationem posset comprehendere? Nam sæpius ea, quæ ardua, quæ difficilia, quæ insuperabilia in consultationibus apparent, fortuna, & euentus demonstrat esse plana, facillima, & maxime ad nostra uota propensa. contrà verò accidit aliquando; vt quæ ratio plana, faciliaq; esse demonstret, nullam seruent fidem, cum euentus ipsarum rerum nostra consilia magnopere fallat. Quòd siquis animos militum posset inspicere, aut præfectorum vrbanis præsidijs prudentiam; ille omnibus melius de rebus agendis consultaret; quoniam nulla vel antiquissima mœnia, nulla tormenta, nulli bellici apparatus, nullæ munitiones, nulla propugnacula sunt cum virtute ducum, militumque strenuitate comparanda; quorum timiditas vniuersa hæc facit inutilia. Vrbanorum facultates neque direptæ sunt, neque violata mulierum pudicitia: sed quæ erat in arce Otthonis Henrici suppellex & opulentia direpta est à Cæsarianis, quòd ille fœderationis esset socius. Cæsar Neoburgensibus per hunc modum in fidem receptis, cum satis feliciter succedere bellorum initia viderentur, ea victoria vti statuit: sed prius omnes copias recensuit, quòd optimum factu fuit, vt sciretur quantas copias secum adduceret. accidit siquidem vt nunc in assuetorum bellis interitu, nunc vitio transfugarum, quod non inferius proditione iudico: nunc belli pertæsorum fuga castra debilitentur, quod vt deuitetur, si bellum appareat inueterascere, solent Imperatores emittere edicta sub capitali pœna ne quis inconsulto castrorum magistro, aut ipso Imperatore exeat ex aggeribus, locanturque leniores armaturæ equites ad angustias viarum, opportunaq; loca, qui spolient; de proximis arboribus suspendant, & tanquam in hostes animaduertant in eos, qui sine imperatoria tessera profugiant è castris. Cæsar censis quadraginta, & octo peditum, equitum nouem millibus confirmata iuramento. Neoburgensium fide relictis in vrbe octingentis peditibus, post triduum, in hostem sublatis vexilis castra mouet. erat illud Cæsaris consilium ut si parem locum, aptumque pugnæ sortiretur iam non amplius

Remedia quæ adhibentur ne soluantur exercitus.

tergiuersatione, sed aperto Marte, & collatis signis de summa rerum cum hoste dimicaret, qui tunc etiam fuerat ad Tonauertam castrametatus. Rursus traijcit Danubium per tumultuarios, & urbis ipsius pôtes: duobus castris quinq; millia passuum ad hostem peruenit, in pago Marchesana uocato castrametatur in acie. erat iter illud perbreue, sed multæ difficultatis plenum: quippe quod sylua intercederet inter utraq; castra densissima, tanquam crebris arboribus, ut uix esset peruia, cum transitus tam angustus uiarum plerumq; daretur, ut uix plaustri amplitudo capi posset: quæ densitas nemorum per quinq; millia passuum inter utrumq; exercitum extendebatur. At læua fluuius amplissimus Danubius Cæsarianis castris erat cõiũctus, recurrebatq; ad dextram, semperq; eũdẽ tenebat cursum, donec ad Monhanum pagum quendam distantem à castris Cæsarianis decem millia passuum perueniretur. Cæsar mittit qui syluã recognoscerent, hostiumq; castra explorarent, ut his perspectis & ipse commode castrametaretur: sic enim opportunum fore uidebatur, ut si sclopettarij syluam occupassent, securus transitus daretur copijs: iussus est igitur Albanus cum sclopettarijs & turma equitum syluam ingredi, ijsq; in opportuna loca distributis ea explorare; qui paucis comitatibus ad duo stadia Philippicis castris propinquat. cum quatuor comitibus relictis equis in Sylua, egreditur, hostium castra diligenter spectat. hostis struendis reparationibus intentus reliquas partes accurate custodiebat, at in eam neq; prospexerat quidem: Sic igitur erant instructa castra Philippica; Sylua quæ inter utrũq; exercitum percurrebat ita Philippicos circumdederat, ut sola area quædam esset in medio, quæ occupat spatium quingentorum passuũ. Hãc attingebat descẽsus ualde asper, et perdifficilis, eiusdemq; naturæ ascẽsus, in cuius suprema parte ad subiectæ uallis formã quæ ascẽsui ac descẽsui subiacebat, suas fossas & aggeres & reparationes Philippici excitauerũt. A sinistra itaq; cũ sylua iungebantur, uallibusq; amplissimis protegebantur pro fossis, quorũ castra Danubius à dextra tuta faciebat, à tergo Tonauerta & ignobilis fluuius Bernizzus uocatus, qui ibi influit in Danubium. Cæsar cum nimis distaret ab hoste, cognouissetque

Secũda castra coniuratorum qualia.

que castrametandi difficultatem; quam maximam faciebant cum locorum angustiæ tum descensus ad Danubium difficilis, quia nulla alia daretur aquandi copia, cœpit cogitare quibus rationibus effici posset, ut subuerteret hostium consilia, eosq; è tam munitis castris eliceret. Nam procul ab hostibus ita morari, intercedente tanto syluarum interuallo inter ipsa castra, uidebatur esse quoddam bellandi genus nimis amplum, at non ut res proposita poscebat strictum & propinquum. Nam profectò plurimum interest quibus temporibus, auxilijs, copijs, locis bellum geratur: cū in frigidioribus locis, regionibusq; septentrioni magis propinquis acerbitas hyemis; in æstiuis & meridionalibus imminens æstas caueri debeat, non solùm ob difficultates & labores exercituum; sed etiam quia corpora militum sub die fatigata facile morbo corripiuntur, atq; uires debilitant; quòd etiam magis alijs, minus alijs contingit. In temperatis uero regionibus omnia propè tempora sunt rebus bellicis accommodata: Idcirco si timeatur uis hyemis, uel tentanda est ante hyemem belli fortuna, uel per hyemem grauissimis & diuturnis sumptibus copiæ alendæ, uel dimittendæ, & deserendum susceptum negotium. Cæsar tanta difficultate cognita, cū propinqua castra collocare non posset, hoste à sinistra relicto ad Bendiguenū, idest oppidi nomē contēdit, mox castris in pagis Marchesana Falange, alijsq; nōnullis positis quosdā duces, inter quos fuit Iulius Vrsinus, Thomas Coccapanus, Pyrrhus Colūna, Baptista Castalius, Alexāder & Paulus Vitellij cū sexcentis Hispanis Italisq; sclopettarijs mittit, & sexaginta leuioribus equitibus, qui hostes infestarent, explorarentq; consilia. Philippus contrà ubi nuntiatum est Cæsarem capto Neoburgo in se signa inferre contractis copijs, quæ ex utraq; Danubij parte ad Tonauertam castrametata fuerant, reparationes, & munitiones erigit. Federicus præmissa magna Saxonum manu abbatiam quandam inter utrumque exercitum occupauerat pedestribus ac equestribus præsidijs firmatam circū quam multi erāt Saxones in insidijs collocati in sylua densissima; in quas insidias cū Coccapanus incidisset, in fugam facile repentino impetu hostium uertitur. at Alexander Vitellius cognito periculo, quod immi-

 nere

nere uidebatur si hostis pontem occupasset, liberumq; transitũ haberet, qui intercedebat, eũ strenuè defendit, quare Coccapanus resumptis uiribus certamẽ restaurat. pugnatur diu ancipiti utrinq; fortuna modò his, modò illis cedentibus. multi ceciderunt, at maior numerus fuit Cæsarianorum, uulnerati plures, capti nonnulli. Cæsar ea pugna cognita, cum uideretur hostis per eam Abbatiam Cæsarianorum uim frænare, neque liberum exitum è castris ab ea parte concedere, statuit locum esse occupandum: iubet Octauium Regulum in posterum diem ad expugnationem explorare, cui profectò uidetur negotium perdifficile, quod ea omni genere apparatuum & tormentis bellicis egregiè esset munita. neq; tamen erat ualde commoda, cum propter aquarum penuriam ibi non aptè castra eligi possent. castra mouet hoste à sinistra relicto, atq; ad Bendiguenum oppidũ contendit, quod non procul distat à Norlinga, ubi castrametatur. est autem Norlinga urbs Sueuorum nobilissima, præpotẽs, munita, & una liberarum ciuitatum, quæ non procul distat à fluuio Nechare uocato rerum omnium abundãtissima. erat locus ille accipiendis copijs accommodatus cum eriperet hosti cõmeatum à tergo, qui plurimus ab ea parte afferebatur. quæ antequam agerentur, inter milites leuibus prælijs quotidie utrinque pugnabatur: Quo die Cæsar erat castrametaturus Marchesana Mohanum proficiscens, quod oppidũ est Neoburgensis ditionis, Philippici equites postremum agmen inuadunt, ad cuius defensionem nonnullos sclopettarios mittit; cum ratio itineris magis sclopettariorum, quàm equitum operam postularet. Seruatus est ãt hic ordo non tunc solùm, sed etiã in uniuerso huiusce belli negotio, ut prior acies instructa procederet, quam subsequebantur copiæ & ipsæ in Phalanges instructæ: atq; dum tentoria, castraq; caperet prima acies, Phalanges eam protegebant quæ postea protegebantur eadem ratione ab acie postrema; quæ ubi priores fuissent castrametatæ & ipsa assignatũ locũ occupabat; quare efficiebatur ut tanquam in itinere, ita in locandis castris, nunquàm solutus exercitus ab hoste posset reperiri. Philippus cognita hostium profectione atq; itinere, exploratoq; cõsilio, quod ea urbs uideretur parum firmis præsidijs firmata, ea-

Ordo acierum seruatus à Cæsare in bello Germanico.

dem nocte summa diligentia octingentos pedites, equites ducẽtos immittit. præter hæc subsidia nihil innouauit, aut castra mouit. Cæsar postridie eius diei, ubi castra ad Norlingã posuisset, leuiores equites ad explorandos hostes præmittit, quorum duæ ingentes turmæ, & magna peditum manus dicebatur apparuisse iter facere, neq; tamen sciri quò procederent. Interea Cæsar præcones ad Norlingenses ad deditionem sollicitandas mittit, iubetq; commeatum copijs præbere: qui eos fœderatis omnem quem poterant commeatum præbuisse, & bidui spatium ad deditionem postulare in castra referunt. at contra ad fœderatos mittunt qui peterẽt auxilia, Philippumq; de rebus omnib. certiorem facerent. Cæsar, etsi biduum ad deditionem tam propinquo exercitu fœderatorum satis magnum spatium esse intelligebat ad mittenda auxilia; tamen quia difficultas locorum plurimum spem eius potiundæ urbis confirmabat, quod ipse à duobus lateribus colles occupasset, cum ualles illas prospectaret, haberetq; à tergo paludem peramplam ac difficilem, & à fronte fluuium, qui in multos riuos diffundebatur; expectandum ducit. Philippo uerò sola uia, eaq; perdifficilis, ad subsidia relicta fuerat, quæ cùm inusitata esset ante illud tempus, neq; tũc quidẽ uidebatur ulli usui futura. is igitur acceptis nuntijs Norlingensium, duplicatis tum carrorum, tum etiam tormentorum equis, cæterorumq; apparatuũ, multis operis comparatis, impedimentis Tonauertæ relictis, & mille & quingentis peditibus, equitibus ducentis summa celeritate; silentio, alacritateq; usus Norlingam accedit, atq; prius in tutum primam aciem perduxerat, tormẽtaq; collocarat è regione uallis in qua Cæsar constiterat, quàm ab ullo Cæsarianorum sentiretur: ad quod nõ parum iuuit obscuritas & densitas nebularum eius diei. Cæsar contrà cum nuntiatum esset castra ab hostibus moueri, iubet copias instrui, ne repente inuaderetur; quod cum ante diem nũtiatum esset, acies totæ ad diem usq; instructæ consistunt, ut si nebula decideret, inuaderenturq; castra, aptum ordinem seruarẽt. Sin aliud iter haberent, situsq; opportunitas pugnandi facultatem ferret, quam toties Philippus obtulisset, ne contemneretur. Nam profectò tanta erat densitas nebulæ, ut non modò hostis cer ni,

cerni, sed neq; equites quidem, qui frequentes in turmis constiterant, se inuicem uidere possent. Ea nebula protecti sunt Philippici, oppurtunitateq; que temporis usi, per quam duas difficultates locorum sine controuersia superarunt, quoniam neque Hispani neque Germani equites eorum iter exploratum missi eos cernere potuerunt. Nam profecto summi est Imperatoris munus, scire uti præsentibus temporum opportunitatibus; cum plus opis momentum temporis aliquando offerat uti scientibus, quàm ulla mortalium industria. Neque ullus est tam fidus, tamque diligens belli socius, quàm ipsum tempus, si rectè eius imperio, & cōsilio parere sciatur, celerrimeq; conficiatur quod illud monuerit. Vt enim uentus, & cursus aquarū plurimū conferunt classibus, & inituris naualia certamina: cum secundi uenti, fauorq; secundarum aquarum pro multis sint armatis nauigijs: sic mox, et tenebrarum, & nebularum beneficium plurimum confert ad multa militaria munia, quæ sine cōtrouersia efficiuntur, quæ alioquin sine summa difficultate ac periculo nulla ratione conficerentur. Nam quoties inclusi exercitus, per noctem deceptis hostibus euaserunt? quoties urbes per noctem admotis scalis sine controuersia captæ? quoties obsessis intromissa auxilia nemine sentiēte? quod ipsum per nebularū, aut pluuiarum opportunitatem aliquando factitatum est. Philippici igitur temporis opportunitate freti cum per totam noctem iter confecissent, atq; dies obscurus fuisset pro alia nocte sub meridiem, duabus angustijs & fluuio superatis, ubi dabatur difficillimus transitus ad montem, quà Norlinga adiri poterat, ad ipsum montem perueniunt: tantaq; diligentia usi sunt, ut Cæsari uisi sint omnino Germanā celeritatem superasse, cum illi populi magis statarijs certaminibus, quàm ulli celeritati apti sint. At uero non solùm prudentissime, optimoq; ordine castra mouerunt Philippici, sed etiā tā ordinate procedebant, tamque in opportunis acierum locis tormenta pro natura situum mutabant, ut nullum militaris disciplinæ munus in illis, & nō magis quàm in Cæsare, desideraretur. Quippe cū plurimi sit in omni re bellica, & non mediocris ingenij aptum seruare ordinē in mouendis castris, & in munitissimis sitibus eligendis; quibus

Quā utendū opportunitatib.

bus in rebus si quis error committatur, uniuersus exercitus incidet in magnum periculum; cuius salutis reliqua spes est aut in fortuna, aut in hostis imperitia. Summa igitur laude & digni sunt Heluetij, qui soli ferè omnium mortalium prorsus sunt militaris disciplinæ obseruantissimi, cum ordinatè castra moueant, ordinatè procedāt, ordinatè ponant, ordinatè castrametentur: quos tam facile est fusos in aciem instruere, quàm multas alias nationes fugare. Neque minus uirtutis & prudentiæ Philippici in leuibus certaminibus ostenderunt; cum semper equites leuiores præmitterent, quos nigros ab armorum colore appellabant, quod haberent manicas ex orbiculis ferreis compactas, galeis coopertis, & breuibus sclopettis & uenabulo commode uterentur, facileque peditibus laborantibus nossent succurrere. At uero cum alia Dei munera, aliæq; uirtutes alijs hominibus datæ sint, nemoq; omnibus officijs sit accommodatus, idem genus hominum facilius infestatur, ubi noctu sæpius ad arma conclamatur in castris, neq; sunt parandis nocturnis insidijs, aut similibus laboribus ualde apti. Cæsar, cum post meridiē Sol nebulas dissipasset, hostem prospicit in situ munitissimo super colle Norlingæ, quem ipse prior occupare decreuerat. intercedebat inter utraq; castra fluuius, qui paucis in locis ab hominibus aut equis uadari poterat, nisi ut fieri solet in traijciēdis copijs aliquando, equi collocentur in superiore parte cursus, ut ita fluuij; aquarumq; impetus infringatur. ille uero modus traijciendi exercitus neq; commodus, neque tutus erat in conspectu hostium, præcipuè cum per pontem etiam esset periculosus. Cæsar cum fluuius hora iam tarda inclinate die à nonnullis esset tentatus copias instructas habuit, quia hostem propinquum putabat traiecturum, atq; totis copijs dimicaturum. sic enim Albanus ad recognoscēda castra, ordineq; & situ hostiū missus retulerat. Copiæ sic sunt instructæ: primam aciem ac frontem exercitus ducebat Albanus & Buranus cum uniuerso uoq; equitatu ac peditatu, & Hispanis peditibus. Post hāc subsequebatur phalāx, quam ducebat ipse Cæsar cum suo domestico equitatu, & ducentis equitibus Belgicis, quibus omnibus Sabaudiensis Dux imperabat. cum his erat Maximiliani equi

Traijciendorū fluminum ratio.

status,

tatus, & Ioannis Marchionis Sennonum. Phalangis equitatus erat Italus, & Regimentum Alliprandi Madrucij; postremam aciem ductabat Prutenorum siue Prussiæ præfectus regioni Marchioq; Albertus: atq; semper ferè cum illa Phalanx pari passu incedebat, eodemque spatio à prima fronte ambæ distabant. Constabat prima acies è decem & septem millibus peditum in tres Phalanges instructorum, & tribus equitum millibus. Postrema ex octo peditum in unam Phalangem, & duobus equitum millibus. Vniuersus hic equitatus pro opportunitate locorum diuidebatur nigris equitibus & armatis lanceis, in aptas partes distributis. his ita constitutis Cæsar ex altera parte Malaspinam, ex altera Sfortiam oriuettum cum quinquaginta equitibus mittit ad tentandos hostes, si possent è suo ordine turbare. in hos impetum faciunt ad mille equites Saxones cum sclopettis in alæ formam, hos ad sua castra repellũt cũ multorum clade. exit è castris rursus Octauius cũ magno equitum numero ad infestãdos hostes, & Io. Baptista Sauellus, qui tam atrox prælium cum militibus Scherteli commiserunt, ut necesse propè appareret fortunam belli eo die tentari, nisi noctis aduentus certamen diremisset; cum utraque copiæ egregiè forent instructæ, & mirificè pugnandi cupidæ. omnes enim miro quodam gloriæ desiderio incensi erãt, cupiebantq; ut primi uiderentur, cæterisq; anteirent in ipsis prælijs, quare multi è principibus utrinq; cedebantur. fortuna itaq; & uirtute militum sæpius alternante uictoriam, certamineq; acriore non semel renouato Cæsar ad futurum prælium uniuersas copias instruit. Sed cum putaret hostem ut in situ munitissimo castrametatum nulla arte tunc allici posse ad fortunam totius belli experiendam, quem cogere erat magnopere periculosum; cum in tutis castris pauci multis possent resistere, receptui cani iubet. at postridie eius diei Cæsar ratus sibi opportunitatem pugnandi darì si castra inde mouisset, sæpiusq; mutasset; quæ ratio & ad facultatem commeatuum non mediocrem commoditatem allatura, & ad infestandos hostes parum assuetos assiduis itineribus utilis fore uidebatur. at ubi signa ad profectionẽ cõuelerentur, colligerenturq; uasa, nuntiatur hostis non procul abesse, quare

omne

omne profectionis consilium ad pugnam conuersum est. Verumtamen ubi cognitum fuit hostem parum pugnam curare, inceptumq́ iter sequi, statuit postremam aciem inuadere, multosq́ sclopettarios à tergo iubet adoriri; illi re cognita in insequentes Italos duas ingentes colubrinas displodunt, quo bombo audito constitit uniuersus exercitus, atq; signa conuertit ad suos subleuandos. At enim cum magna pars diei iam esset collapsa, paludesq́ & aquarum copia certaminibus esset non leue impedimentum utriq; consistunt in acie, expectantq́ uter fluuium traijcere conaretur, qui medius inter utrosque per paludosam uallem labebatur. Sed propter Solem iam propè occidentem Cæsariani in sua castra redeunt, Philippicæ copiæ super collibus propinquis Norlingæ castrametantur. Cæsar grauiter ferens, quòd non potuisset impedire Norlinga subsidia, mox ad duodecim stadios ab hoste castrametatur. Emittitur Alphonsus Atestinus & Ioannes Sennonum Princeps cum Italo equitatu duce Regulo Sulmonensi; contra quem Hernestus Bransuicensis, & Daniel Schemedoffus cõiuratorũ duces insignes profecti atrocissimum prælium committunt; quod tantis uiribus utrinque accedentibus certatum est, ut nisi nox pugnam diremisset, omnino iusto Marte decertatum esset eo die. uulneratus fuit Brãsuiuensis, quo ẽt ex uulnere paulò post Norlingæ interijt; alijq́ complures uiri insignes. E Cæsarianis cecidit Andreas Forulensis præstans cohorti Italæ præfectus, at ignobiles ex utraq; parte complures. ibi aliquot dies Cæsar castrametatus, hostem infestare conabatur; sed is tam in munito situ constiterat, tamque ad accipiendos commeatus idoneo, ut appareret bellandi genus necessariò esse mutandum. neq; molestum erat tam diu tempus frustra absumere, cum id nihil aliud esset, quàm uires hostium, quæ constabant è multorũ auxilijs, suapte natura inaniri. Atqui cum uirtus & robur & audacia non sufficere ad hostem profligandum uideretur, ratio omnis bellandi ad astutiã & ad artes conuertitur. Atq; cũ ars bellica non minus in præoccupandis locis opportunioribus consistat, quàm in superandis uirtute hostibus; illa eligenda sunt loca, quæ tutum exercitum faciant, quæ apta sint accipiendis auxilijs, & commeati-

 bus

bus, & si opus sit, traijciendis copijs. Cæsar ægre ferebat, quòd nuntiabantur hostes omni commeatuum genere abũdare, cum iam non nihil ipse leboraret inopia; cum illi uniuersa planitie potirentur, quæ inter Tonauertam Alcimeniumq́ interiacet rerum omnium fertilisſima & ampla; poſſentq́ in Noricum principatum, multasq́ Sueuiæ ciuitates commodè penetrare. nam cum Danubio potirentur, multisq́ urbibus in ripa Danubij positis, statuit Cæsar illas esse ocupandas, quod magna pars uictoriæ in ijs subiugãdis sita esse uideretur; magnamq́ existimationem ad suas res accessuram putabat si eas occupasset plurimumq́ detrimenti rebus hostilibus inde eenturum. erat prætere a earum facultas infestando Alcimenio & Augustæ Vindeliciæ neccessaria; quæ duæ erant è primarijs potentia, dignitate, et opulentia coniuratarum urbium. Quæ cum ita se haberẽt consultatur in castris an Alcimenium aut Augusta prius tentanda sit, quæ ambæ ciuitates tãti momenti esse putabãtur, ut si altera illarum fuisset occupata, præter id quòd debilitasset infregissetq́ uires fæderatorum, appareret plurimum omni auxiliorum genere Cæsariana castra subleuatum iri. sed quoniã bellica ratio minime pati uidebatur, ut hostilia loca à tergo relinquerentur: quæ plurimũ possunt semper consilia infestare, & aliquando funditus euertere; apparuit Alcimenium contendere, nihil aliud esse, quàm se intra hostium uires intrudere, & non minus obsideri ab hoste, quàm hostem obsidere: cum presertim urbs illa bonitate murorum, & omni genere apparatuũ & externis præsidijs egregiè esset munita, & multorum ciuiũ armis protecta. Tonauertæ uerò expugnatio uisa est facilior, cũ præcipuè non opus esset omnibus copijs, ut ad expugnandam Alcimenium ad quod cõmodum illud etiam accedebat, quòd Tonauerta tam propinqua esset Cæsarianis castris, et non plus duodecim miliaribus distaret, & una nocte si res parum è sentẽtia succederet, possent se se in castra recipere. Ea dum tractantur in castris à Cæsarianis, Inutrinses & Castellatus Erembergæ expugnationẽ tẽtãdã rati, quæ urbs fæderatorũ parebat imperio, collectis repentè copijs, quas tẽporis angustia patiebatur, duodecim uexillis peditũ ex Inutrio, locisq́ finitimis, supera-

ra-

ratis Inutrij montibus cũ tribus muralibus tormẽtis nihil tale suspicantibus Eribergæ ciuibus se mœnibus ostẽtant, atq; super colle munitionẽ desuper despectante castrametãtur. ad illud negotiũ suscipiendũ uisa est adhortari illa ratio, quod Philippus per tantum distans interuallum non posset suppetias mittere, cum neque posceret bellica ratio, ut tã propinquo Cæsare castra debilitaret, ac minueret copias. Erembergenses tã repentinam & inexpectatam obsidionem intuiti, cum mœnia statim profectis copijs acriter cõcuti cœpta sint, ad inopinatã rem obstupuerũt, quare uexillo super mœnibus ipsius arcis relicto clam per obscuram noctem aufugiunt. Cæsar ubi decreuisset Tonauertam, ut diximus, prius expugnare, iubet ducem Puteum cum ducentis lectissimis equitibus explorare urbem ad expugnationem: est autem Tonauerta urbs opulenta Sueuiæ ad radices nonnullorũ collium sita, atque planitiem & collium partem intra se capit, per quam defluit Danubius, qui fluuius maiorem partem eius urbis ad colles relinquit. Exterius murus est alius præter mœnia, qui multa complexus ædificia suburbium continet. Puteus dum ad expugnationem partes urbis debiliores explorat à nõnullis præsidiarijs militibus comistis ciuibus, & regionis incolis magno impetu inuaditur; sed cum uirtus & scientia militaris facit ut superet tumultuariã multitudinem, urbana arma funduntur, multisq; è suis desideratis ciues intra mœnia fuga se recipiunt. Puteus urbe diligenter cognita, quæ uiderat Cæsari nuntiat, qui per noctem Octauium cum equitatu peditatuq; Italo, & Sciamburgum cum suis Germanis & duodecim bellicis tormentis mittit, iubetq; summa diligentia usos Tonauertã contendere. distabat Tonauerta quindecim millibus passuum ab ipsis castris, tamen tanto studio usi sunt, ut antequam illucesceret in mœnia tormenta directa sint, & cum prima luce urbs concuti cœpta. Cæsariani itaq; per obscuram noctem eò profecti per diem tantum offuderunt terroris illis ciuibus, ut statim de deditione cogitare cœperint, seq; Cæsari dediderint: atque ante quã Philippici quidq horum cognoscerent. Cæsariani cũ tormẽtis redierint in castra. Nam cũ distarent inter se castra nõ plures mille & quingentis passibus tanta diligentia, tamq; occultè

Fremberga capta à Cæsarianis

Tonauerta capta à Cæsare.

res à Cæsare fuit instituta, ut hostes neque opportunè succurrere, neq; scire, nisi confectum nogotium potuerint. exeunt per conditiones deditionis duo uexilla præsidiariorum militum, qui à fœderatis ibi relicti fuerant per pontem Tonauertæ, quorum in locum duo uexilla rursus posita sunt Cæsarianorũ. Cæsar eo fœlici successu lætatus repentè castra mouet, erectisq; uexillis ad profectionem sub lucẽ pridiè idus Octobris uniuersas copias ad Tonauertam traducit: ubi urbem habens à tergo, à sinistra Danubium, à dextra agrum fertilißimum castrametatur. Philippici equites nulli eo die Cæsarianos infestarunt, neq; iter facientes turbarunt, quamuis plurimum haberent equitatum, essentq; regionis periti; atq; scirent nonnullas locorum angustias non sine aliqua ordinum perturbatione posse pertransiri: uel si ordo seruandus esset, plurimum temporis forè amittendum, uel tardè, uel incommodè opportere castrametari, quæ ex re multa poterant contingere, quæ imperitè, aut, ut tulit fortuna, & necessitas, castrametantibus solent accidere. Cæsar tamen contra huiusmodi hostium consilia, si qua forent, Italos, Hispanosq; sclopettarios in opportuna loca distribuerat, cũ acies extrema satis esset ualida, corroborareturq; pro natura & situ locorum cũ ea nocte Cæsar Tonauertæ fuisset, mox conuelli signa iubet ad profectionem, iterq; faciens secundum ripam Danubij nocturna castra ad Telingam, quæ ciuitas est purpurati Antistitis Augustani in ripa Danubij posita, ubi Gleda parui fluuij & Egueida parui fluuij Danubium ingrediuntur; posuit; quòd urbs illa pontem haberet ad traijciendum Danubium peraccommodatum. Telinga cùm præsidijs careret, quæ ad Laugingam oppidum se contulerant, statim uisis Cæsarianis copijs se dedidit. Philippus ueritus ne Laugingа eandem fortunam subiret, certiores facit per literas Louingenses se postero die subsidia esse missurum; quare illi non modo Cæsarianis præconibus ad deditionem hortantibus, ut mos est bellantium, non paruerunt, uerum etiam acriter & superbè minati sunt. Missus est eadem nocte Schertelus, qui pro adducẽdis subsidijs uniuersa præsidia, hoc est quatuor uexilla peditũ quæ aderant, exemit, Augustamq; abduxit. Laugingẽses ut pri-

Telingæ deditio.

mum illuxit mittunt ad Cæsarem qui agerent de deditione. Cæsar illa urbe in fidem amicitiamq; accepta, audita Scherteli profectione misit Io. Baptistam Sauellum cum uniuerso equitatu Romano, & centum ac quinquaginta sclopettarijs equitibus qui illa quatuor uexilla insequeretur, & Nicolaum Siccum cum suis Italis sclopettarijs. Tanta usus est diligentia Sauellus ut Schertelum comprehēderit; qui uir sane strenuus & intrepidus uisis hostibus, neq; animo concidit, neq; locum mutauit, sed constitit in situ percōmodo, quē munitissimū faciebat magnū spatium culti agri è regione ubi se instruxit, parauitque ad defensionem tribus tormentis à fronte in inuasuros Cæsarianos directis. Sauellus perspecta huius ducis uirtute, & fortitudine, primùm ob iniquitatem loci aliquantulum constitit. Sed cum subiret, quòd si diutius res protraheretur, salutis facultatem hostibus concederet, suas copias in partes tres ad pugnam distribuit. in dextra collocat Hispanos, in sinistra Italos sclopettarios, ipse in medio sistit, atq; ita iubet hostem inuadere. At enim cū Schertelus fortissime resisteret, Cæsarianis multis è suis desideratis receptui canere coguntur, seque ab ea pugna recipere, quia equitatus nō mediocriter culturæ profunditate impediebatur, atq; ita ut equi fræno parere non commodè possent. Schertelus eo defensionis honore cōtentus suorū salutē incertæ postea uictoriæ ante ponit, atq; institutum iter facere aggreditur. At Sauellus intelligens non mediocre dedecus si hostē incolumem discedere pateretur in se esse redūdaturū, tāto impetu, tantaque uirtute hostē denuo inuadit, ut non paruam impressionē fecerit, multiq; utrinque ceciderint. Schertelus periculosum negotium esse ratus paruas copias tanto equitatui diutius resistere syluam proximam, quæ aderat, relictis tormentis, & duodecim carris annona onustis, reliquoq; bellico apparatu ingreditur frequentissimis arboribus consitam. maluit enim certam exiguarū copiarū salutē cōseruare, quàm propter illa īpedimēta omnia in discrimine cōstituere. Cæsar motis castris Laugingā cōtendens à sinistra Danubiū, à dextra syluā densissimā inter utrunq; exercitū percurrētem habeat, cū per apertā glabramq; planitiē iter faceret. Laugingam profectus, ibiq; excubias habens postea

Lauginge deditio.

Scherteli uirtus.

[illegible]

sexcentis Germanis in præsidijs relictis ad Suntum castrametantur; qui pagus est in ripa Prenzi fluuij ad quindecim millia passuum à Tesinga ubi fluuius ille Danubiũ ingreditur. Distat rursus ille pagus per tantundem spatium ab Alcimenio, ad quam urbem expugnandam cum Cæsar castra mouere diceretur, Philippus ueritus tantæ, tamq́ potentis urbis iacturã, quæ plurimum ad exercitus commoda, ad existimationem, sociosq́ in fide retinendos, & ad omnẽ rem bellicam deniq; faciebat; cũ properatio rerum in illam partem inclinauerit, plurimi referat & in principio bellorum præcipue cum esset in legibus fœderationis caput prudenter scriptum, ut laborantibus rebus sociorum subsidia statim mitterentur, quod ni fieret, intelligerentur ab omni suspicione perfidiæ absolutæ; uel si arma pro uictoribus contra fœderatos cœpissent, contento passu castra mouet ad eam urbem subleuandam, tamq́ uicinus castris Cæsarianis castra iter facit, ut apertissime tympanorum sonitus à Cæsare audirẽtur. Cæsar ut castra hostium, profectionemq́ despectaret cum nonnullis proceribus collem suis castris finitimum ascendit, atq́ ab hostibus equitibus cognitus, colubrinarum globis petitur, quæ in prima fronte exercitus fuerant collocatæ: uocantur colubrinæ tormenta bellica longiora, & auctioria aa morem fortasse colubrarum; quæ animalia teretem formam habent; atq́ hæc tormenta minores globos contorquent, triginta librarũ scilicet plerumq;, qui magna ui propter longitudinem tormenti impulsi ad longinquiora loca perueniunt. Horum tormentorum usus muris concutiendis utilis est cũ cãnonibus vocatis, qui duplicis ponderis globos contorquent, quòd illi concutiant & globi magnitudine, & aeris impulsu, & bombo; cum colubrinæ propter uim eximiam penetrent tantum; at non etiam concutiant. Hæc de ordinarijs tormentis intelligimus; cum maiora & extraordinaria vtrumque possint efficere sed propter magnitudinem & pondus sunt faciendis itineribus inepta. Cæsar ex eo colle hostium iter prospectans cognouit eos Ghengam proficisci, quæ urbs est una liberarum distabatq́ ad quinque milliaria à castris Cæsarianis apud fluuium Prenzum sita, vbi castrametati sunt. Eo die initum est leue prælium, in quo nihil

Tormentorum usus.

uctum

actum dignum memoria. Sed fieri collatis signis certamina impediebat Prenzus fluuius, qui inter utraq; castra intercedebat tantæ profunditatis, ut sine ponte traijci non posset, cum ad traijciendum, uel pontem construendum, nonnihil temporis esset absumendum, vt vniuersæ copiæ possent pertransire ea diligentia, eoq́ue studio, quod breui pugnaturis erat necessarium. At enim Cæsaris dum Telingam procederet, ab Hochstata, Gundelfinguenaq́; urbibus ad ripam Prenzi positis legationes de deditione mittuntur, cum prima haberet munitissimam arcem, altera fuisset Cardinalis Augustæ à fœderatis postea occupata. quæ facilè ambæ in Cæsaris fidem sunt receptæ. Cæsar urbes in ripa Danubij occupari plurimi ad rem bellicam, futuramq́ue victoriam referre ratus nocturno tempore an accedendum sit Alcimenium consultat, post uarias sententias in utramque partem prolatas, tandem die postero decernit locum ad castra transferenda deligere, vt hostis, si ferre suppetias urbi conaretur non sine aliquo incommodo cogeretur dimicare. Philippus cum vidisset non ausum fuisse Cæsarem signa conferre, cuius consilium occupandi Alcimenij uidebatur impedijsse, decernit Ghengæ castra firmare, atque tria Heluetiorum millia, ex indigenis mille & quingentos mittit ad Alcimenij præsidium, vt satisfieret ciuium desiderio. At Cæsar ita munitæ vrbis perdifficilem expugnationem arbitratus mutauit consilium transferendi castra; quippe cũ uideretur parũ rei militari, bellicæq́; prudentiæ conuenire ut urbem obsidere tentaret, cum habiturus esset nonaginta armatorum millia & amplius à tergo, qui ut clarè patebat, eadem castra, quæ Cæsariani reliquissent, statim erant occupaturi; quà ratione fiebat, ut facillimè commeatum Cæsarianis intercluderent, cum nulla alia esset uia; omnibusque locis, & urbibus essent potituri quæ fuerant à Cæsarianis occupatæ. nam si ibi constitissent Philippici omnem subsidiorum opem urbibus ademissent. quippe cum Cæsar sic esset à fronte, Alcimenium à dextra intuergos, siue Vertembergi principatum, à sinistra regionem Augustæ, & Danubium loca hostilia habiturus. cœpit igitur bellum castrorum eligendorum ratione potius agi, quàm armis; cum uterque

Hochstatæ & Gudelfingueuæ deditio.

que

que in conspectu hostis consisteret. certatum est frequenter leuibus prælijs, dum Cæsar Sunti, Philippus Ghengæ castra munit, sed nihil actum memorabile. unum tantum certamen memoria dignum referunt; nam ante lucem tria sclopettariorum millia in sylua locantur in insidijs, Prenzo flumini finitima, neque plures sexcentis passibus distabat à castris Philippicis; quibus accessit italus equitatus duce Regulo Sulmonensi, Rodulpho Baleono, & Alphonso Atestino, hostesq; ad certamen, ut mos erat, prouocarunt. Princeps tanta arte eos attraxit, ut ad eum locum, ad quem cupiebat, perduxerit. initur tùm ab equitibus tùm etiam à peditibus sclopettarijs atrox pugna, multi è Philippicis cadunt. in eo prælio utebantur multa tormentorum opera, tamen non mediocre damnum passi sunt à Cæsarianis sclopettarijs. equites magna uirtute cuneatim in Cæsarianos impressionem fecerunt, sed tamen leuiores equites Cæsariani denique sustinent impetum, cum præstantiores equites ex omnibus nationibus, quæ Cæsari militabant, eò gloriæ, præclariq; edendi facinoris desiderio conuenissent. Cæsar postea iubet canere receptui cùm suos inclinare uideret. hostes pari consilio in sua castra redeunt. nam exierant è castris Philippicis ad illud certamen Ioannes Federicus, Georgius Roccherottus, Bartholamæus Heimbruccus cum trecentis equitibus, & nonnullis sclopettarijs. Cæsar ut aliqua insigni clade hostem afficeret, in uarias partes Syluæ, ubi tegi posset, equitatum Germanum distribuit, postea Hispanos: Italosq; sclopettarios latere iubet, uniuersas reliquas copias in aciem instruit ad omnem necessitatem. iubet nonnulla tormenta in opportunis locis tecta collocari, Sulmonensem hostes, ut hesterno die fecerat, ad certamen allicere. Philippici exeunt è castris eductis duabus densis turmis equitum, quæ nunquam à suis aggeribus discesserunt, nisi tam propinquæ ut suis tormentis protegi possent, cum uerò diu certatum esset, neq; potuissent in insidias allici Philippici, utrique in sua castra redeũt. Cæsar cùm uana & irrita sua cõsilia euadere diurna uidisset, hostesq; uel nimis cautos, uel admonitos insidiarum ratione putaret, ad nocturnas insidias animum conuertit. Imperat Hispanũ peditatũ; Madrucciq;

Reggimentum

Regimentũ interulis tegi, & Præfecti Prutenorũ et Marchionis Alberti equitatũ: Cæsar ut certior fieret, si opus esset subsidijs, cum nox iam longa frigidißimaq; esset in illis regionibus, in curru cooperto dormiturus, iubet se certiorẽ fieri si qua re opus esset. at copiæ iã ad quatuor stadios tantùm distabant à castris hostium, ubi cognitũ est duplicatas esse uigilias, quare significatum est non esse ulterius procedendum. cum diligentius etiam exploratũ esset, perspicitur admonitos fuisse Philippicos, cum multos ignes accendissent, in multaq; agmina uiderentur instructi. Cæsariani qui putarant repentino conatu, nihilq; tale cogitantes Philippicos, somno ac uino sepultos profligare: ubi & uigiles, et instructos, & paratos ad propulsandos impetus uidẽt spe potiundæ uictoriæ frustrati, in castra ante lucem redeũt, nullo cõmisso prælio. Cæsar parum conferre suis rebus arbitratus aduersus tantam uim peditatus & equitatus existimationem, & imperium, quod tanta industria hactenus defenderat fortunæ arbitrio uno horæ momento committere, putauit præstare in posterum ut frequenter leuibus prælijs hostem defatigaret, ut belli diuturni pertæsus arma abijceret: cum præsertim uix ullum bellum poßit esse diuturnum, quod è multorum Principum conspiratione sit conflatum, multarumq; urbium cõsensu susceptum. Nam si cuius animum uel discordia, uel defatigatio, uel diuturni sumptus molestia inuadat, quod facilè accidit in multitudine: omnium postea uires suo ipso pondere breui labefactãtur. interim Cæsar curare ut commeatus hostibus interciperetur, prædabundos & quos prædæ cupiditas longius à castris euocasset calonesq; trucidare, cogere ad arma sæpius per noctem in castris conclamari, quæ res eam nationem non nihil solet infestare. fiebant autem manifesta inita omnia ferè Cæsaris consilia, cum nihil esset de quo non certior statim fieret Philippus in singula diei tempora, qui plures ducentis fidelißimis exploratoribus habere in castris Cæsarianis dicebatur, atq; profecto maximi semper fuit momenti ad omnes res bellicas, ut fidißimi ac diligentißimi exploratores habeantur, pro qua re nullis parcẽdum est sumptibus; quoniam unum hostium consilium opportunè cognitum potest aliquando uniuersum negotium ad optatũ

finem perducere; aut uniuersum exercitum ex aliquo imminente periculo seruare. Siquidem ijs, qui ad recognoscenda loca mittuntur, & captiuis parum fidei tribuendum est aliquando; quòd illi timidius aut negligentius res perscrutentur, isti ad intima consilia, ut parum curiosi non penetrent: at diligentes exploratores omnia dicta, facta, uisa, audita studiosissimè obseruant: quare ex his intima consilia hostium, ex illis externa indicia, an cum horum significatione consentiant, sunt expectanda. Quare, cum tanta sit utilitas, quæ è diligentissimis fidelissimisq́; exploratoribus percipitur, ut sæpe uictoria in cognitione consiliorum hostilium, quæ per exploratores significantur, consistat, salusq́; uniuersi exercitus patet liberalissimos esse principes in huiusmodi genus hominum oportere; qui non, nisi magnis præmijs propositis, tantæ periculorum moli, tantæq́; crudelitati, quanta patefactis exploratoribus proponuntur se exponunt. mirificè igitur prudentia Lantgrauij laudibus extollenda est, quòd tanta uteretur diligentia, cum Cæsar contra ob exploratorum inopiam diutius etiam bellum protraxerit. Cæsariaui igitur duplicatis custodibus armatisq́; Philippicis copijs tantum periculum non subeundum rati in sua castra redeunt. Atque Schertelus, qui Louinga profectus peruenerat Augustam, ut ibi spectaret quò tenderent hostium consilia; ut si eam urbem tentarent, præsens defenderet; in castra reuersurus dicebatur quinquaginta nummûm millia ex Augusta, finitimisq́; fœderationis urbibus collecta secum afferre: quem tria peditum millia comitabãtur. Cæsar ea de re certior factus obuiam mittit Franciscum Atestinum cum quatuor peditum, & & duobus equitum millibus. Franciscus omnes aditus occupat, mittit qui aduentum obliquè explorarent, omnia loca custodijs diligenter munit, ut eum interciperet. Schertelus factus certior per exploratores, ea nocte minime exit; at per diem alias uias in castra ad suos denique peruenit incolumis. Atestinus ea spe frustratus ad occupandam Frictenam contendit: quæ cum nulla haberet præsidia, ultro ab ipsis ciuibus apertis portis admittitur. Aucta sunt per id

tempus

tempus castra Philippica triginta intuergorum, finitimorumq́ populorum uexillis; at totidem ex altera parte diminuta. Eum enim morem seruabant fæderati, ut tertio quoq; mense noua ac recentia subsidia subministrarent, militesq́ laboribus bellorum defessos per aliquod tempus immunitate belli donarent. At Cæsarianæ copiæ cum propter longinquitatem regionum renouari non possent, erant magnopere diminutæ; quòd multi non solùm ferro, sed etiam morbo absumerentur. Moriebantur multi Hispani & Itali; quippe quòd eorum corpora neq; acerbitati frigorum, neq; aeri eius regionis, neq; tot incommodis ferēdis essent assueta; sed multò plures ex Italis, quia propter inopiam stipendiorum à Pontifice debitorum illa deficerent, quæ conseruandæ saluti sunt necessaria; quæ non ita deficiebant Hispanis, cum illis à præsente Cæsare stipendia tribuerentur. Ea de causa ad conseruandas reliquas copias Cæsar Louingam in hyberna concessit, quòd locus ille uideretur ad omnes res neccessarias accommodatus: quo etiam tempore Farnesius Cardinalis legatione apud Cæsarem in eo bello perfunctus propter ualetudinem, Romam reuertit.

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS LIBER SECVNDVS.



I quis diligẽter ea, quæ superius perscripta sunt à nobis, inuestiget ac perpendat; multa profectò inueniet quæ felicitati, et fortunæ Cæsari tribuẽda sint, multa quæ egregiæ uirtuti militum, at multò plura, quæ singulari prudẽtiæ ac diuino propè Cæsaris ingenio. Siquidẽ omnium consiliorũ rectorum facultas, & ratio rectè cogitandi, & principia ac semina, ut ita dixerim, singularum actionum, & actiones singulas ad optatum finem dirigendi diuinitus nobis concessa sunt. Facultas uerò euẽtuum & felicitas & exitus ipsarum actionum in diuina uoluntate oportet collocari: quæ uis quoniã ignota est mortalibus, fortunam licet appellare: cum nihil uerè sit fortuna, nisi ex ignotis & obscuris causis rerũ singularũ euẽtus. Atqui cum Cæsar omniũ Imperatorum præstãtissimus creditus fuerit, plusq́; sibi laudis & gloriæ & existimationis in re militari comparauerit, quàm Imperatores omnes quotquot à Romano Imperio ad hæc usq; tempora floruerunt: & omnium bellorum ab eo gestorum Germanicum hoc maxime memorabile gloriosumq́; creditum sit, per quod ille sibi uniuersam ferè illã existimationẽ comparauit, non erit absurdum si perquiramus qua in re tanta hæc præstantia constiterit, tantaq́; uirtus, quæ quidem res est causa nobis huius conscribendæ historiæ. Sic enim rem cognitam diligentes historiarum lectores poterũt non solum ut eximiam admirari; sed etiam ut maximè utilem in posterum imitari. Vniuersa igitur Cæsaris laus, & uirtus, & gloria in eligendis castris consistit ante captum Neoburgum, aduentumq́;

Cæsaris laus in castris eligẽdis præcipua.

aduentumq́. Burani comitis cum eorum opera mirificè conseruarit exercitũ; & postea ijs auxilijs auctus si non cõtemnere, at certè non magnopere formidare hostem poterat. Fuit igitur illud admirabile in hac re tanta prudentia Cæsarem castra tamq́. in opportunis locis delegisse, ut propter egregias castrorum munitiones cum septem millibus hominum primum restiterit tam potenti exercitui, tantis hostium copijs, tanto tormentorum, equitum, peditumq́. numero, ut si conuiuia celebrata fuissent tunc à Germanis, singulisq́. decadibus pincerna Cæsarianus ministraret, multæ decades pincernarum inopia cogerẽtur ad accipienda pocula à mensa consurgere. Illud uerò est fortunæ felicitatiq́. Cæsaris tribuendum, cum tam diligentes haberet hostes, tam strenuos, tam prudentes, tam obseruantes rerum militarium, & Philippus pro tantis apparatibus castra summo conatu antequam augerentur nouis auxilijs, non sit adortus: quod si factum fuisset, conclamata fuisset sine dubio omnium Cæsarianorum salus, & in una castrorum expugnatione, tota uis belli constitisset. At enim cũ euentus bellorũ, ut rerum cæterarum, in uoluntate Dei sint collocandi, existimanda est Cæsaris uictoria diuino potius quàm humano consilio, ut ipse postea contigisse dixit, cum salus in eligendis castris consistat; at uictoria in expugnandis hostium, & in cognoscendis erroribus, si qui ab ijs cõmittuntur. Cæsar quo tẽpore Sunto profectus ita instructis copijs, uti consueuerat, Louingam procedit; quadringenti equites ad infestandam extremam Cæsarianorum aciem contendunt, sed nihil actum memoria dignum, cum illa egregiè Sulmonensis Principis opera defenderetur. coniecta esset à Philippicis in magnum discrimen res Cæsariana, quorum castra aucta nuper fuerant quindecim Intuergorum millibus; cum Cæsaris uires contrà fuissent diminutæ multorum Germanorum, Hispanorumq́. obitu, ut diximus quòd Itali ad quatuor millia essent redacti, reliqui aut ferro, aut morbo absumpti. At uerò non ita placuit diuinæ uoluntati ut Germani cæteris in rebus diligentissimi hoc etiam per exploratores inuestigarent, quod patet uel illa de causa, quòd nullo horum commodorum uti sciuerunt: cum non minus debellandi hostis opportunitas

per

per aliqua eius incommoda sit aucupanda cuique; quàm explorada consilia ad salutem suorum militum. Philippus Cæsarem ratus copias retraxisse, futurumq́, ut uires Cæsarian e breui labefactarentur, monet principes fœderatarum urbiũ Cæsarem ab instituto bello destitisse. at Cæsar ibi per dies uiginti & duos commoratus nihil memoria dignum commisit; cuius in castris cœptum est plurimum annonæ inopia laborare. Angebat præterea milites non mediocriter cœli inclementia, cœnosaq́, itinera, & lutulentæ uiæ, quorum tantorum malorũ perætsi multi aufugiebant è castris. Terrebantur magnopere cæsaris duces ne uniuersus exercitus solueretur, quæ res cum fuisset ad Cæsarem delata, breuiter illos ad perferenda incommoda hortatur; quòd si pro re mediocri, & quæ sine summa turpitudine, uel potius scelere transmitti posset bellum susceptum fuisset, libentißimè tot insignium ducum commoda, militumq́, salus cæteris rebus esset anteferenda. Sed quoniam nõ de dignitate, non de gloria, nõ de imperij maiestate solùm hoc uno bello decernitur; sed etiam cum illis de sacris ceremonijs, de cultu Deorum immortalium, de auita religione obliteranda, nemo uir bonus dici potest, qui pro rebus tantis non modo durißimos quosque labores non proferat, sed etiam certißimo uitæ periculo si ita res postulet, non sese offerat: cum præsertim uniuersa gloria lausq́, militaris non in fruitione uoluptatum aut in delitijs, sed inedia, uigilijs, laboribusq́, plurimis fortiter perferendis constituta sit. Nam gloriosis & honorificentißimis quibusq; negotijs summi labores, summæq́, difficultates sunt præpositæ; cum Deus altißimus nihil laudabile, & illustre, & gloriosum mortalibus per ignauiam, & socordiam proposu rit. His Cæsaris uerbis ad milites delatis mirum est quantopere ad labores, omnesq́, difficultates superandas omnium animi sint accensi. Verumtamen cum cœli inclementia perduraret, imbresq́, aßidui propè fierent, propositum fuit in castris cæsarianis copias in hyberna esse traducendas, in loca finitima distribuendas, neque habendas sub dio, cui sententiæ Cæsar multis de causis non assensit. Cognitum est postea experientia illud consilium optimum fuisse. Mauritius unus è

Cæsaris hortatio ad militũ duces.

Saxo-

Saxonum ducibus aduersus Philippum & Fœdericum auxilia & pecuniam ab initio eius belli obtulerat, quamuis alterius esset gener alterius consobrinus: quem ad arma contra affines suscipienda allexerat imperatorium exilium, & facultatis electionis spes oblata, ita rumpit prosternitq́; omnia humanitatis & naturæ iura cupido dominandi, cum omnia spolia Fœderici ad se unum pertinere uiderentur, cuius aui Saxonum duces antiquißimi, & electores fuissent, cuius auxilia Cæsar ut minimè necessaria & suspecta reiecerat, quia & is particeps fuisset smacaldicæ coniurationis. At uero cum plurimi referret Romanorũ Regis Silesiæ, Lusatiæ, Boemiæq́; imperanti Saxonibus finitimis ut arma Mauritij suis adiungerentur, cum etiam communibus armis sæpius Saxonum impetus retudissent, ipse egit cum Cæsare, fecitq́; ut electio Mauritio adpromitteretur. sic igitur nouis auxilijs conscriptis, contractisq́; copijs, quas in suis prouincijs habebant, ad quatuor equitum, octo peditũ millia sunt collecta. Hi Saxonum imperium inuadentes omni bellico apparatu uacuum, & propter fœderationis bellum exinanitum magnam eius partem breui occupant; quod nuntiũ ubi fuisset ad Cæsarem in Castra delatũ, magna facta est tormentorũ, & sclopettariorũ militaris salutatio. Cum igitur castra adhuc haberet Louingæ Cæsar, quotidie ut mos erat eius in uniuersis bellis, uniuersa castra obequitabat, proximumq́; agrũ prospectabat dilig͂eter an aliquis esset locus, quem hostes aduersus ipsum, uel ipse aduersus hostes utiliter occuparet. statuit igitur hoc tempore mutare castra, sicuti antea in animo designauerat, copiasq́; in duas partes diuisas mouit, cum in altera procederet peditatus, & tormenta, in altera aduersus hostem equitatus. Enimuero uix fieri poterat, ut diutius in ijsdem castris Cæsariani morarentur, cum cœnum ita esset profundum ut annona propius plaustris non posset aduehi, & milites ad genua usque in cœno plerunq; morarentur. Poterat eodem die Philippus tot difficultatibus oppressos, & circumuentos Cæsarianos inuadere non sine maxima spe rei præclarè gerendæ: sed noluit uel fortuna Cæsaris, uel diuinum catholicæ fidei patrocinium, uel tam oculatos

Maurii auxilia Cæsari data.

Cæsarij diligentia.

esse

esse exploratores ac tantum felicitatis fœderatis tribuere, ut certiores diligenter & opportunè fierent, uel tanta clade rem Cæsarianam, quantam acceptura uidebatur, affligere: quippe cum Cæsari iter per nemora esset faciendum, ubi necesse erat disiunctas plerunque habere copias. Peruentum est ad castra designata, quæ non plus duobus millibus passuum distabant à Philippicis; ubi Cæsariani sibi uisi sunt salutem recuperasse, respirasseq́ue aliquantulum à tantis laboribus & molestijs, cum & lignorum & aquarum copia abunde suppeteret; quæ in primis spectanda sunt in deligendis castris, atq; commeatus conuehendi facilis facultas. Erat ipsius loci natura magnopere castris accommodata & munita; quippe cum à fronte collem consurgentem aduersas hostem haberet, super quo constituta sunt tormenta, quæ uniuersam planitiem possent infestare. à dextra lacus claudebat, profundumq́ue, cænum & difficile: cum sinistram partem nemus per longũ spatium extensum, ac terga clauderet, tutaq́ue ab hostibus faceret ob densitatem arborum. cœpit Philippus ita frequenter leuibus prælijs ob uicinitatem castrorum infestari, ut nisi natura loci in quo constiterat ualde munita fuisset, cogeretur omnino castra mutare. Cæsar mittit qui commeatum interciperent, quod tanta diligentia factum est ab equitatu leui & scloppettarijs equitibus, ut uniuersum agrum Norlingam Augustam & Alcimenium vsque prædabundi excurrerent, & direptionibus atque cædibus cuncta replerent: nam vbique in planitie cæsa commeatum conuehentium corpora, & fusa impedimenta, & plaustra iacentia uisebantur. Tanta rursus in castris Philippici afficiebãtur molestia per noctem cum sæpius ad arma conclamare cogerentur, & per diem leuibus prælijs esset dimicandum, ut nulla propè quies à laboribus diurnis & nocturnis concederetur. concidit paulatim illis pristinus animi uigor, & omnis pugnandi alacritas, cum uel demissiores, uel non exirent prorsus ad leuia certamina, ut antea solebant; quare cognitum est Cæsari quanti referebat castra mutasse, sed solum displosis in Cæsarianos prouocantes tormentis è suis aggeribus significare uidebantur se eius belli iam esse

Mutatio castrorum Cæsaris, & corũ situs.

pertæsos: quibus incommodis illud etiam accedebat, quòd eximiè in castris Philippicis laboraretur panis penuria, cum affirmarent captiui se iam quinque dies panem non uidisse. Cæsar ut magis etiam intimis coniunctisq; molestijs hostem affligeret ac defatigaret, mittit qui alium collem recognoscerent ad occupandum, unde hostis castra possent facile infestari, cũ illis immineret. istud dum fieret ne impedirentur à Philippicis leue certamen ex alia parte apud aggeres fossasq; Philippicorum committitur; atque cum ualde opportunus collis uisus esset, Cæsar eum occupat, atque eo castra transfert. illud prudenti sanè factum est consilio à Cæsare, quòd apparebat breui futurum ut hostes castra mutare cogerentur, si sese Norlinga dedisset ad deditionem compulsa; ubi si haberetur equitatus, uniuersus commeatus Philippicis poterat intercipi. Enimuero nullum consilium neque magis hostibus pernitiosum, neq; formidabilius excogitari poterat à Cæsare; cum fames & penuria rerum uictui necessariarum magis uiolenta sit ac formidabilis, quàm ulla tormenta bellica, uel peditũ equitumve ordo; cum arma retundantur armis & consilio & reparationibus, at fami & inopiæ uictus, nulli aggeres, nullæ fossæ, nulla propugnacula possunt resistere. Philippica res eò deniq; redacta est ut diu postero decreuerit collatis signis dimicare, iusseritq; corpora curare, parare arma, omnia instruere ad pugnam in diem crastinum. Ea dum struuntur à Philippicis fit certior Federicus per literas Sibillæ uxoris Mauritium & Ferdinandum coniunctis copijs suum principatum inuasisse, omniaq; uenisse in eorum potestatem, præter pauca loca munitissima. Maturè succurrendum esse domesticis rebus, neque committendum ut propria bona amitteret occupandis alienis intentus. Huic nuntio in castra Saxonum delato, primũ nulla fides habetur, ac neque ijs quidem qui sese ex illis cladibus fuga seruassent. denique certiores facti Federici milites incredibili flagrant desiderio tecta, lares, liberos, uxores defendendi ac uisendi. Philippus multis precibus, multisq; rationibus conatur Federicum ab ea profectione retardare; sed plus potuit amor patriæ, uxorisq; ac liberorum, quàm ullæ rationes;

Fames terrẽtũ acerrimum ad expugnandum.

qui

qui ubi cognouit se operam ludere, quòd etiam fœderatæ urbes belli diuturnitatem iam grauiter ferrent, neq; suppeditarent stipendia, decernit communi consilio cum Federico belli laborem omnino esse deponendũ, si possent honestæ pacis cõditiones reperiri. Istud autem facile pati posse honor & existimatio fœderatorum uidebatur, quia si non uictores, et certè neq; uicti quidem à Cæsare dici possent. Erat in castris Philippicis uir quidam acri ingenio, singularíq; prudentia Adamus Trottus, familiaris & plurimæ autoritatis apud Ioannẽ Electorem Marchionem Alisi, cui iniuncta est à Philippo ea prouincia ut ageret de pace. Additæ sunt & nõnullæ conditiones, & literæ ad ipsum Ioannem præscriptæ ut de hoc negotio transigeret cum Cæsare. continebatur ut summatim dicam in literis Philippi se idcirco ad pacem animum flexisse ꝙ cognouisset Cæsarem Imperatorem sapientissimum atque clementissimum pacem & tranquillitatem communemq; totius Germaniæ salutem & conseruationem proprio ultionis desiderio prælaturum. His additæ sunt nonnullæ conditiones ad religionẽ spectantes, quas sese obseruaturos coniurati profitebantur, de quibus actum erat etiam cum Mauritio. Petitum est ab Adamo ut difficultates Philippicorum castrorum summa diligentia occultarentur, quæ si cognitæ fuissent à Cæsare uidebantur pacis uiam præclusuræ, aut certe facturæ difficiliorem. Ioannes re cum Cæsare clam consultata responsum dedit, se diligẽtius secum negotium perpendisse, optime cognouisse animum Cæsaris: nihil cum eo agi posse de pace, nisi positis armis Philippus & Federicus principatus & seipsos Cæsaris arbitrio cõmisissent. Nõ esse è dignitate maiestateq; imperatoria ut cũ subditis armatis & propè minitantibus ageretur de pace. Responsum est à fœderatis Cæsari, opus esse accuratiore diuturnioreq; cõsultatione negotio ad principatus seq; ipsos arbitrio Cæsaris dedendos spectanti. quare, si ita sibi uideretur, ipse cũ comite Lutiburorum in colloquium, cum Lantgrauio & Federico ueniret; quem locum colloquij Cæsar ipse delegisset. renouatum est rursus à Saxone idem responsum. Enimuero Cæsar difficultatibus hostium cognitis, cum distraherentur con-

Philippus pacem petit.

ſilia ſtipendia deficerent, milites quererentur, uiderenturq́; arma abiecturi, noluit hoſtium legationes amplius in caſtra admitti. Federicus ſpe pacis deſtitutus decernit quàm primum rebus domeſticis conſulere & opem ferre, quem Philippus non amplius retardare conatur, ſed rogat ut clam, & quàm fieri poteſt occultiſsime, iſtud agatur. Schertelius horum diſceſſum grauiter ferens nuntiat facinus ab urbibus fœderatis minime probatum iri, ſi ſine illarum conſenſu caſtra eſſent relicta; neque rem omnino futuram ſine ſuſpicione ducum corruptorum largitionibus: curandam eſſe communem ſalutem & propriã exiſtimationem, qua amiſſa mors vitæ debet anteferi. Norlingenſes interea clam agere de deditione, cum propter præſidia Lantgrauij iſtud facere palam non auderent: at ex altera parte mittere qui ſubſidia poſtularent. Cæſar eo colle occupato nititur ui hoſtem ex ijs caſtris detrudere, cum optaret negotium iam ad finem perduci, difficilimumq́; eſſet eſſe ſub dio. decernit idcirco ad octauum calẽdas decembris ut caſtra mutarentur veſperi, impeterenturq́; tormentis caſtra hoſtium. iniungitur munus id albano ut opportunè res curaret, cum Norlingenſe negotium differretur. Poſtridie initum eſt leue certamen, pauci cæſi, nihil memoria dignũ actũ. Ad quartum cal. Philippici caſtra mouent, nuntiatur Cæſari ſub meridiem, cum nuntius ob denſitatem nebulæ à uia aberrarit, neque prius in caſtra Cæſariana redire potuiſſet, quàm Philippici noua cepiſſent. is monet Philippum carros. & impedimenta, & maiora tormenta præmiſiſſe, ſub mediam noctem peditatũm iter cepiſſe, in extrema parte proceſsiſſe equitatum omnẽ cum quadraginta campeſtribus tormentis, quæ in prima acie trahi conſueuerant. eo nuntio accepto Cæſar mittit leuiorem equitatum qui explorarent an uerè hoſtes diſceſsiſſent, ſibiq́; quàm celerime nuntiaret. eò profecti nullos uigiles, nullas cuſtodias, ageres relictos, caſtra uidẽt inania. His allatis Cæſar ipſe cũ equitatu comitis Lutiburorũ iter capit, iubet Germanũ ſequi, peditatum inſtrui ad iter cũ iuberetur, ſeptingentos ſclopettarios hiſpanos expeditiſsimos abducit, caſtra hoſtiũ uiſit, multi erãt relicti uulnerati aut ægri cũ Philippici ſumma diligentia

Schertelii querela. — Philippus Caſtra mutat.

diligentia iter fecerint. monetur Cæsar tria millia passuum apparere hostes, quos iubetur equitatus insequi, leuiq; certamine retardare. Albanus à Cæsare Lutiburensem equitatū petit, eo cōcesso Cæsar cum Germano consequitur. præcesserant equites, leue præliū initur, Philippici nihilominus iter facere cum occupassent collem mille sclopettarij, uniuersusq; equitatus, præter duo uexilla cum sclopettarijs coniūcta, præterijsset. ubi Albanus distās ad mille passus apparere procul incœpit. uniuersusq; Cæsaris equitatus, omnes in planitiem descendūt. Albanus quāto potuit studio usus cū equitatu, hispanisq; peditibus contendit collem ab hostibus desertum occupare. distabat ab eo alius collis paulo plus mille passibus, quem occuparant Philippici; atque inter hos colles intercedebat planities, quam vniuersam Philippici sex tormētis diuerberabant. interea iter facere sclopettarij nemori propinquū, quod ad dextram habebant, cū esset omnis equitatus in nouem turmas diuisus. Descendentibus Philippicis nonnullis initur leue præliū, Albanus equitum scloppettariorum uexillū demittit è colle, certam.n atrox cōmissum. interea Philippici tantum itineris conficiunt, ut infra sua tormenta constituti, ab ijs defenderentur, sclopettarijq; ad oram nemoris cum equitatu coniungerentur, qui tormenta in colle tutabantur. Cæsar collem adit à suis occupatum paucis comitantibus equitibus, cum alij subsequerentur. ibi excogitat an aliquid memorabile posset effici: sed cum nox iam aduentaret, Philippiciq; in colle castrameta ti multos ignes accendissent, uisum est & ipsi Cæsari ubi consti terat per eam noctem castrametari. iubetur Albanus uniuersum peditatum ea ipsa nocte adducere ne opportunum tēpus hostium profectioni concederetur, cum Cæsar sequi decreuisset, donec aptū locum ad eos profligādos nactus esset. Istud nisi daretur, studebat propellere è castris, cum maxima incommoda Philippici ita mutandis castris pati viderentur, ꝙ sæpius patiebantur annonæ penuriam, cum ijs commeatus facultatem præcludere Cæsar plerunque niteretur. iubet igitur Cæsar attrahi etiā tormenta in usum posteri diei, quæ omnia, cū præoccupare niteretur, summa conficiuntur cū diligentia.

utraque

utraq; castra ignes possent inuicē prospicere, Philippici p totā noctē accēsos ignes relinquētes iter capiūt: postea cū mane illuxisset. fluuū Brenzū traiecerant, cuius in ripa castrametantur apud Haidenam, quod oppidum est munitissimum. Missi sunt qui hostes per eam noctem explorarent, atque nuntiatum est eos discessisse: sed cum mane illuxisset tanta fuit uis niuis, quæ per eam noctem deciderat, ut pedites ad genua usque mergerentur, maximè affliстarentur, ac uix frigoris acerbitatem possent perferre. Equi præterea tam erant afflicti, cum pabulum deficeret, nocturnisq́ laboribus essent defatigati, cum fræna nunquam pernoctē fuissent detracta, ut inhabiles ad cæteros labores uiderentur. Tamen nulla neque temporis iniuria, neque magnitudo incommodorum, neque munitio castrorum hostium retardare Cæsaris ingenium potuerāt, quo minus hostem insequeretur, nisi necessitas ut aiebant antiqui magna Dea ab instituto illum reuocasset. Quippe Cæsar propinquus hostibus castrametari non poterat propter commeatuum pabulorumq́ inopiam, cum ibi diu castrametati Philippici proxima quæque Deuastassent. At contra fœderatorum copiæ habebant à tergo Vertemberga regionem fertilissimam, quà videbantur iter factura. His incommodis, & fame omnium incommodorum Regina uetitus Cæsar ne hostem insequeretur, ad quod accedebat acerbitas temporis, & distantia hostium, statuit alia uia negotium esse aggrediendum, ut & commeatus suppeditaretur copia, & liceret aliquando non esse sub dio, cum homines in aperto iam omnino non possent consistere. in eo sanè summa belli, omniumq́ calamitatū origo consistit quòd Philippus & Federicus castra Guinguena mouerint: atque paulo post nuntiatur Cæsari hostes Haidenæ fuisse castrametatos bifariam diuisos, cum altera pars urbanarum copiarum Augustam Alcimeniumq́ peteret; altera, quæ erat peditatus & equitatus Federi & Philippi, Franconiam. atqui si rei militaris rationem diligenter quis consideret, ea postulabat ut summo conatu collatis signis dimicare studeret Lantgrauius cum in mora certissima esset iactura; in pugna uictoria si non certa, at certè ambigua: atque huic

pro

pro victoriæ præmio propositum erat totius germaniæ imperiũ & viuendi licentia, quam ille libertatem appellabat. Sin profligatus fuisset, collapsuræ erant copiæ omnino dissoluẽdæ, cum fieri non posset ut diutius coniunctæ tenerentur, omnesq; vrbes Germanæ ita essent hominibus plenæ vt debilitatis etiã & afflictis per eandem cladem Cæsaris uiribus facile possent resistere, At Cæsar contrà nulla in re magis periculum imperij erat subiturus, quàm si confligeret; quia proprijs uiribus sustentatus, alienis tãtum adiutus, uidebatur bellum diutius posse protrahere. qui si profligatus semel fuisset, futurum erat ut omnis eius uis & autoritas tanquam nebula à rapidissimo uento dissiparetur: cum omne ciuitatum imperiorumq; pondus ad nutum arbitriumq; victoris proruat, cuius uoluntati omnia quæ fuerant victorum obediunt. Verebatur cæsar, ut ad institutum redeamus, ne si Philippici illis regionibus potirentur, denuo renouaretur bellum, cum & nouos apparatus essent habituri, & annonæ copiam, & pecuniam multam in futura stipendia. Poterat autem franconia facilè occupari, quia non satis ualida haberet præsidia; quibus locis occupatis maiori difficultate opus erat ad Philippicos inde diuellẽdos et eijciendos, quàm fuerat ex omnibus prædictis locis; cum ea commoda inde consequi possent, quæ valerent profligatum exercitum restaurare ac reficere. Cæsar cognito per exploratores hostium consilio maxima diligẽtia quamuis niuibus & gelu infestaretur duobus castris ad urbem exiguam Possingam Imperatoriam peruenit, quæ distabat à Norlinga ad mille passus, quo itinere rectà Rotemburgum petebatur: nam Cæsar dimissis Philippi copijs fugientibus, ad subiugandas nonnullas urbes & castella animum adiecit, qua ratione sibi & commeatibus viam patefaceret ad primarias vrbes subiugandas. Cæsar cum trecentos equites Belgas ad retardandos animos infestandosq; Possingæ ciuium præmisisset, mox obuios habuit principes vrbis qui urbem ipsam & oppidulum eius arbitrio dedunt, quas ille in fidem perhumaniter accepit. eius rei fama perculsi Norlingenses & ipsi ad deditionem aspirare incipiunt; sed res duæ eorum animos maximè infestabant, altera

Ratiocinationes bellorum.

Possingæ deditio.

ra fœderatorum præsidia , quæ erant satis ualida aduersus urbanos ; altera quòd erant memores quantum fraudis aduersus Cæsarem commisissent, quòd simulassent se poscere tempus ad deditionem, cum tamen ad accipiēda subsidia poposcissent . sollicitabant autem ad deditionem & urbis debilitas, & infirmitas præsidiorum ; quia neutra harum rerum satis ualida fore uidebatur ad sustinendas tantas Cæsaris uires . accessit ad hoc, quòd ipsa præsidia ciuibus diffidentia per obscuritatem noctis erectis quatuor uexillis ad profectionem , se ad oppidum Groppiam uocatum satis amplum & munitum distans ad duo millia passuum à Norlinga recipiunt, ubi erāt alia duo vexilla peditum . Postridie cum mane illuxisset Norlingenses legationes ad Cæsarem mittunt , quæ vrbem Cæsaris arbitrio dedant : atque triginta sex millia nummùm præterea offerant . Cæsar relicto ibi cum mille & quingentis Germanis Cardinale Augustano cum magna parte peditatus & equitatus Tegespillum urbem imperatoriam signa pro mouet, cum Lutiburonum comes Vissemburgum petijsset . Hæ urbes etsi uisæ sunt velle Cæsari resistere, atque transitum liberum negare, & iam leuia prælia etiam forent commissa, tamen antequam copiæ ad obsidionem expugnationemve accederent, se dedunt. istud autem fit, quia cum Hispanis præcesserat Teghespillum Albanus dum attraherentur tormenta, iusseratq́; per præconem de more bellorum significari ciuibus ꝙ si uel unum tormentorum ictum expectassent, futurum erat ut urbs dederetur arbitrio militum rapinis & cædibus & direptionibus. Duabus igitur uexillis peditum in custodijs relictis Cæsar Rottemburgum castra mouet, quod iter biduo superatis grauissimis locorum ac temporum difficultatibus conficitur : quæ urbs etiam per deditionem in amicitiam Cæsaris recepta est . Dum Cæsar esset his locis subiugandis occupatus, quæ fœderatorum imperio parebant, fœderati Franconia potiri student, quæ regio cum fertilissima sit ad Meridiem cum Sueuia coniungitur, ad occidentem habet Rhenum fluuiū, ad septentrionem Menum uocatum fluuium , ad orientem montes Boemiæ, unde Menus defluit in Rhenum, multisq́; fluuijs

Norlingæ deditio.

Vissemburgum & Teghespillū se dedunt.

Rottēburgi deditio.

Franconiæ descriptio.

tota

tota quamuis ignobilibus, tamen plurimum ad fertilitatem cō ferentibus irrigatur. uocati sunt autem Francones populi illi, quia pulsis Alanis eorum imperium infestantibus, omni immunitate donati sunt in decennium à Valentiniano, atque ab ea immunitate populi illi dicti sunt Francones, quod nomē vulgo immunes significat. Cæsar acceptis in amicitiam Thegespillensibus fit certior hostem parum distare, uniuersas copias monit eo consilio, ut reliquias hostium regionem illam infestantes dissiparet, aut in fugam uerteret: quare cito curauit occupare Rotemburgum vrbem munitissimam & frequentem, quòd ea vrbs uidebatur particeps Smacaldicæ coniurationis plurimum auxilijs hostibus datura. at illa occupata apparebat nonnihil iter conatusq́ hostium retardatura. Hortabantur Cæsarem complures è suis proceribus ut esset Norlingæ in hybernis per id tempus, & in locis finitimis in ripa danubij subiugatis apud Augustum & Alcimenium, quia vis frigoris, & gelu, & niues exercitum maximè infestaret: at Cæsar maximi esse ponderis ducebat hosti resistere, Franconiam defendere, se fœderatis opponere, ne ad Alcimenium & Augustam castrametarentur. Apparebat enim futurum ut Philippici maximis uiribus comparatis, si res diutius procederet, maius bellum ac difficilius in annum sequentem essent collecturi. Philippici contrà audito Cæsaris itinere ad vrbem Rotemburgum mutant consilium, deserunt Franconiam, per maxima frigora, in frigidissima regione, mense decembri, per montes asperrimos iter capiunt Aspergum versus & Chichernam & Vertembergam maiora tormenta nonnulla in oppida ditionis Vertembergensis distribuunt, ob difficultatem uiarum. Nam si eo pondere tormentorum grauarentur, uidebantur nonnihil commodorum Cæsari concessuri ut ab eo apprimerentur; atque & tormenta, & reliqua omnia erant in maximo periculo constituta. Sic igitur Federicus Saxoniam repetit, qui iamiam uniuersis Germaniæ urbibus uidebatur cum Lantgrauio imperaturus. Philippus cum ducentis equitibus domum reuertit, qui dum

Lantgrauius & Federicus dissoluunt copias.

L per

per Vsipetorum regionem iter faceret, ad eum conueniunt in colloquium urbis præfecti, tanquam ad summum fœderationis ducem, consilium petunt quid sibi in tanta rerum difficultate esset faciendum. His respondit Philippus oportere quemque suis rationibus ac saluti consulere. Quæ dum in Germania geruntur à Cæsare, fortuna quæ non simplices calamitates imperijs plerunque minitatur, sed pluribus è partibus suscitat incendia, alia molestia Cæsaris animum vexare conatur. Nam sub finem anni 1546. mense Decembri Neapolis vrbs totius Italiæ nobilissima & opulentissima magnis tumultibus & bellorum motibus fluctuare incœpit. eorum autem motuum causa fuit, quòd Petrus Toletanus Neapoli Prorex cum imperatoria potestate illi regno præfectus curauit ut quæstio in hæreticos ad consuetudinem Hispaniarum in eo regno & in ea ciuitate institueretur. Quæ quidem quæsitio ualde seuera esse dicitur, utpote quæ non solùm ad refrænandos animos & audaciam & temeritatem scelestissimorum populorum sit inuenta, sed etiam ad cæteros atrocitate suppliciorum ab impietate deterrendos: quippe cum non nisi grauissima supplicia grauissimis sceleribus conueniant. Est autem huiusmodi quæsitio apud Hispanos, ut eximia seueritate puniant propter impurissima semina impietatis ibi nata, eos qui hæreseos condemnati fuerint. atque condemnatorum bona ad terrorem cæterorum omnia ita addicuntur, ut una pars accusatori, altera pauperibus, tertia fisco Principis assignetur ad sumptus bellorum aduersus impias nationes. Istud apud se fieri nolebant Neapolitani, quòd extraordinaria uia non seruatis omnibus solennitatibus iudiciorum cæterorum per hunc magistratum procederetur. Toletanus itaque nonnullos insigniores ciues multis honoribus ac beneficijs sibi obstrinxerat & deuinxerat, quò non solum ipsi non repugnarent per hanc opportunitatem, uerum etiam cæteros hortarentur, ut admitterent Toletani sententiam tanquam piam & sanctam & illi regno salubrem. cum igitur sibi uisus esset Toletanus rem satis aptè instruxisse, iubet quæsitionem populo proponi, perque huiusmodi uiros

Neapolis tumultus ob quæsitionem Hispanam.

se,

beneficii astrictos rogari ad eam æquo animo amplectendam; qui quidem multis rationibus illud persuadere conabantur. primum quia si ciuitas foret impuritate hæreseos cantaminata, ita facile posset expurgari ab ea nefaria impietate. Deinde futurum ut uiri boni & sapientes in sua probitate confirmētur, qui nihil mali inde erant accepturi; cum leges non in uiros bonos, sed ad bonorum tutelam & patrocinium ferantur. leges enim solis consceleratis esse timendas, multorumq́. flagitiorum sibi consciis, & scelerum pœnas; qui nō possunt nisi grauitate suppliciorū refrænari. Deniq; uel hac una de causa quæstionem hanc esse admittendam, si nullæ honestiores subessent, quòd Cæsar ita fieri ad pietatis ac religionis suorum maiorū exemplum & imitationem studeret. eos qui dissuadere tantum honestatis populo conarentur, inuidere Cæsaris felicitati, ac studere rebus nouis, eamq́. ciuitatem per hanc inuidiam in magnas calamitates coniecturos: cum simulatione religionis nonnulli studeant Cæsarem Germanicis bellis pro religione implicatum ex Italia detrudere. Habita sunt hæc ipsa de causa, ut de proposita quæstione consultaretur, publica Neapolitanorum comitia; in quibus post multas disputationes utrinque ita responsum est; optimum esse & pernecessarium hisce præsertim temporibus omne aptum remedium quod aduersus detestabile scelus hæreseos adhiberetur, summaq́. seueritate esse in hæreticos animaduertendum, cum religionem animā legum, & conseruatricem solam ciuitatum ita incontaminatam seruari oporteat, sicut accepta est à maioribus, sed tamen harum rerum iudicationem ad Romanum Pontificem, & ad sacratos Antistites, ut in canonico iure continetur, pertinere; non autem ad Imperatorem & ad laicos principes, qui potius spe prædæ alienis opibus imminentes, quàm ullo uerè religionis & diuini cultus desiderio iudicationem huiusmodi affectam. Cōcluditur denique ac decernitur in illis comitiis post multas in vtranque partem habitas disputationes summo studio, omniq́. conatu esse enitendum nē in eorum patriam lex tā crudelis, tamq́. inhumana per laicos iudices admitteretur; quæ posset uniuersarum ciuitatum ruinam & populatio-

Quæstio ut admitteretur rationes hortantes.

Neapolitanorum responsum.

nem afferre; quippe cum per simplicem alicuius maleuoli accusationem nullis requisitis probationibus, nullisq; defensionibus acceptis posset quisque in carceres detrudi, & uita, honore, ac facultatibus priuari. Toletanus percepto communi totius ciuitatis consensu suspenso animo fuit aliquandiu, atque diutius secum cogitauit quid sibi in tanta rei difficultate esset agendum: putauit itaque differendum esse negotium, omniq; industria procurandum ut coniuncti animi nobilium & popularium distraherentur per suos amicos. Quæ dum clam aguntur Pontifex his tumultibus motibusq; populorum cognitis significat per literas Toletano hæreseos iudicationem, ut omnium rerum sacrarum ad sanctam sedem apostolicam, aut ad cardinales, qui eius uicem gererent pertinere; quare iubet ne se his negotijs ad pontificem spectantibus implicaret. His literis populus ita inflammatus non mediocriter in sua sententia confirmatur. Atqui si recte rationem, rerumq; publicarum administrationem perpendamus, & quid ad conseruationem regnorum requiratur, inueniemus profecto maximum habere pondus religionem, cuius omnis non modo mutatio, sed etiam accessio uel diminutio maxime periculosa est imperijs, cum nunquam fere mutetur religio, quin antiquorū Regum imperia excutiantur. Idcirco in nouādis rebus prius animi populorum tentandi sunt per amicos regum, ut sciatur quo pacto tantam nouitatem sint laturi: qui si magnopere renuere ac grauissime ferre apparuerint, abstinendum est omninō nisi tamen amissa & perdita imperia sine hac ipsa nouitate intelligantur. non enim decorum neque honorificum aut utile est regib. aut leuissimis de causis regna in maximis periculis constituere, aut leges cogi reuocare, quæ parum prudenter latæ fuerint. Prorex tamen, ut faciunt nonnulli, qui in utram partem animum flexerint portinaciam pro constantia complectuntur, suæ sententiæ tenacissimus iubet significari ciuibus se uelle omnino quæstionem illam institui, ut exequeretur Cæsaris institutum, quo regnum illud etiam purgatum ab omni hæresi seruaretur, sicut alia regna Cæsaris. multa utitur humanitate uerborum, quia uidebat cum populari-

Quid in regnis seruādum cū leges ferēdæ sunt.

bus animis conspirasse nobiles ad illud iugum à suis ceruicibus excutiendum: sed nullis neque blanditijs neque minis ciues ab instituto dimoueri possunt. Habita sunt sæpius comitia mense Ianuario anno 1547. hac ipsa de causa, in quibus undecim ciues priuati sunt ijs magistratibus, qui sibi à populo fuerant delati, eiectiq́; cum magno strepitu è comitijs, quia palam Proregis partibus fauere, & animos populi à nobilibus distrahere conabantur, quò separatæ vires utrorunque efficerentur debiliores: quòd dicerent non aduersus plebem, sed aduersus nobiles tantum illam quæstionem institui. Inter cæteros magistratus abdicatus fuit conseruator ut illi uocant, atque in eiectorum locum statim alij sunt suffecti, cõseruatorq́; creatus Ioannes Suessanus è Paschali familia uir callidus negotiorumq́; ciuilium peritißimus. Enimuero quoniam omnia Toletani consilia ad distrahendos separandosq́; ciuium animos spectare visa sunt, in qua concordia sola consistit salus & conseruatio omnium ciuitatum, fit decretum in ijs ipsis comitijs vt ad defensionem patriæ, libertatis, ciuitatis, propriæq́; omnium salutis ne liceat ullo pacto à defensione nobilium dissentire; quòd populi institutum gratißimum fuit nobilibus per Suessanum significatum. Verebantur enim ne disiunctis uiribus in maximas calamitates illaberentur. sic igitur uniuersa ciuitas hilari animo ad mutuam defensionem aduersus oppressuros concorditer conspirauit. Toletanus cognitis his ciuium motibus & consilijs, quòd esset Puteolis mittit Scipionem Sommeum, qui populo nuntiaret sibi quidem gratum fore si ad expurgandam ciuitatem quæstitio illa admitteretur; sed tamen non esse vehementer sollicitum; ac neque verbum quidem amplius facturum, quando populorum animi abhorrere ab illa tantopere viderentur. ea de causa duodecim oratores misßi ad agendas gratias. illi cum magna verborum humanitate & admißi & dimißi sunt. sed paucis diebus interiectis cognitum est populares testes interrogari, inuestigarique autores repellendæ Quæstitionis. ea de re animi ciuium non mediocriter commoti sunt, & rursus oratores mißi conquestum quod

1547

Magistratus abdicati Neapoli.

quod contra promissa legationibus istud fieret. Sed quoniam plerunque fit ut turbatos animos, & in aliquem motum propē sum fortunæ euentus non modo exacuant, sed etiam magno impetu impellant: accidit per id tempus ut quidam inops captiuus ad carceres traheretur. Huic fiunt obuij quinque adolescentuli è primarys, quorum unus eo seruo usus fuerat. iubent satellites consistere, rogant cur captiuum traherent, petunt mandati formulā ostendi: cum illi sibi non opus esse mādato respondissent, ait captiuus se non posse capi sine mandato. inter has uerborum altercationes captiuus elabitur. unus è iudicibus superueniens, iubet adolescentulos comprehendi. Ea re ad Proregē delata cū vesperi forte Puteolis accessisset, iubet in oppidulum adolescentulos ad se adduci, atque clausis portis tres eorum à Mauro seruo iugulari. Eius sententiæ cum reliqui etiam iudicandi propositi essent Regium consilium iustitiæ non assensit; quia neq; ætatis, cum nemo decimum sextū annum præteriisset, neque criminis ratio capite plectenda uideretur. Ea seueritas, uel potius crudelitas ita populorum animos exacerbauit, ut vix dici posit. cum illud etiam ad explendam suam feritatem addidisset ut cadauera cæsorum adolescentum traherentur pedibus extra oppidulum propositis grauissimis supplicijs si quis ea attigisset, donec tracta sint denique eiusdem iussu in Sacellum è regione oppiduli positum. Additus est his alius etiam Toletani error, qui non sine uitæ suæ periculo, nondum deferuescentibus aut refrigeratis odijs ciuium in tanta populi indignatione, quasi ad omnium contemptum, statuit per urbem obequitare cum Hispanis sclopettarijs & pluribus ducentis equitibus, qui eum comitari cō sueuerant. Vrbani magistratus perspecto periculo, & quantus malorum cumulus inde manare poterat, cum populus esset armatus, mittunt rogatum Toletanum ne tunc exacerbatis animis ciuium in tanta rerum omnium perturbatione obequitaret: sed aliquantulum differret. ille cum neque consilio neq; precibus magistratuum aures præbuisset, rursus magistratus ipsi populum, qui iam uias confertim occupauerat, rogatum mittunt ne quid noui aduersus Toletanum molliretur, sed, ut

Petri tolerani crudelitas.

mos erat, reuerenter exciperet: quorum alterum factum est, vt incolumis & illæsus præterierit: alterum prætermissum, cũ nemo vllius ætatis aut conditionis inuentus sit, qui vllum reuerentiæ signum ediderit, ita inflammati & incensi erant animi omnium ciuium. Toletanus cum aliquantulum obequitasset, rediit in oppidulum. Cæsar dum hæc aguntur in Italia auditis hostibus ita se habentibus, ut superius commemoratũ est, cum nulla reliqua spes esset illis exercitum uiresq; colligendi propter eximia frigora, asperitatemq; locorum, statuit aliqua parte exercitus dimissa se grauißimis sumptibus stipendiorũ subleuare, concessitq; Lutiburorum Comiti ut suas copias in Belgas reduceret, iubetq; inuadere hostiliter Vsipetorum agrũ, enitiq; potiri urbe Francfortio vocata, vel vi uel arte, quæ esset ualde opulenta & ampla, maximeq; ad rem præsentẽ pertineret. ipse cum nonnulla parte copiarum redit in Sueuiam, cum Albanum cum reliqua parte Halam versus misisset, omnesq; vrbes occupare nititur, in quibus tota uis belli, & uictoriæ dignitas consistebat. Erat autem Hala una è fœderatis ciuitatibus in ripa Cocceri fluminis sita inter Charetinos populos, quæ duas habet ualles, alteram ad Orientem, alteram ad Occidentem: quæ vrbs sine vlla controuersia se dedidit. per idem tempus trecenti equites cataphracti è regno Neapoli mirificè instructi in castra Cæsaris accedunt duce Ferrante Signorello Duce Castrouillæ. Federicus comes Palatinus Rheni, & Alcimenienses cognita fœderatorũ imbecillitate, fortunaq; Cæsaris eò profecta, ut certißima calamitas eius hostibus immineret, saluti libertatiq; suæ maturè consulendum statuunt; atque Halam legationes mittunt, qui agerent de deditione. Federicus statuto tempore ad pedes Cæsaris per Granuellium admissus suppliciter petit veniã eorum, quæ aduersus Cæsaream maiestatem, dignitatemq; Imperij commisisset; iureiurandoq; affirmat summam se diligentiã in posterum usuram, ut fide, studio, obseruantia præteriti temporis iacturam resarciat. Cæsar & pro veteri consuetudine, & pro commissorum pœnitentia, & pro naturæ coniunctione se eum in fidem amicitiamq; ueterem recipere inquit, oblitera-

Cæsar copias minuit.

Halæ urbis descriptio, & deditio.

Federicus palatinus rheni se dedit.

obliterata prorsus omni errorum delictorumq́ memoria, quòd speret bonum & affinem & amicum fore. ibidem cum Cæsar podagra laborans plures dies moraretur Alcimeniensium legationes agunt de deditione, quæ Cæsari inquiunt, Alcimenij ciues cognouisse in quos errores inciderint, & quantopere nonnullorum fraude capti Cæsaream Maiestatem offenderint. Veruntamen omnem spem salutis in misericordia clementiaq́ maiestatis tuæ reponunt, quem ad imitationem Christi tanta, tam grauia, tam atrocia nobis peccata condonaturum esse speramus: cum nulla tanta sint scelera, quanta Dei clementia, si quem pœnituerit, non superet: se statuisse ac decreuisse in posterum sanguinem, libertatem, facultates, uitam ipsam denique à Cæsaris benignitate & clementia accepisse. His responsum est errorum cognitionem plurimum cōferre ad ueniam consequendam, sed cognitionem liberalitatis etiam ultro inuitare ad conferenda beneficia: quare Cæsarem eos recipere in fidem libenter, & quæ spectarent ad conseruationem imperij mox instituturū. erat adhuc mensis decēber, quo maxima uis frigorum solet esse illis præsertim regionibus, sed inusitata apparuit aeris clementia, cum neque imbres, neq; niues infestarent, cœlumq́ esset serenum cum mirifico tepore solis: quæ ratio etiam magis animum Cæsaris auxit, vt ad reliqua ardentius cœli fauente clementia aspiraret. Paucis inde diebus interiectis Cæsar discedit. quare calegia, siue Vitembergensis dux sentiens imperatoria uexilla propinquare cœpit ad pacem conditionesq́ aspirare: quoniam Cæsaris iā Alcimenio occupato uiderentur arma suo principatui imminere. At veritus Cæsar ne facilitas illa propensioq́ ad pacē ad aliam opportunitatem rerum nouarum respiceret, cum Alcimenium, utpote finitimus facile posset occupare: atque cum Argentorati, Canoduri, Augustæ, aliarumq́ finitimorum copijs nouas perturbationes, ac bellorum motus excitare in Germania, subfrigidas conditiones pacis renuit: statuitq́ vi armorum illum ad obedientiam esse redigendum. copias igitur eò signa promouere imperat ad eum principatum occupādum: qui vt non amplissimis finibus circumscribitur, tamen

Alcimenium sese dedit Cæsari.

Vitembergēsis principatus descriptio.

& ho-

& hominum frequentia & fertilitate rerum omnium est opulentissimus multis fluminibus perplacidis regionem irrigantibus etsi non nobilibus, tamen ad fertilitatem agri plurimũ conferentibus. inter eos principatum tenet, qui ab illis Nechar, vocatur, & è Sylua Martiana defluẽs inter Canodurũ & Borbetomagum siue Vormatiam cum Rheno coniungitur. vocatus est Nechar ab incolis, & uinum, quod in planitie & collibus huic fluuio propinquis nascitur ob bonitatem, quasi cæteris præstans, nectar sit appellandum. terminatur hæc regio ab occidente fluuio rheno, ad septentrionem Franconia, ad oriẽtem partim Meno partim Danubio fluminibus, ad meridiem desertis Heluetiora & Sueuorum finibus. prima igitur castra Cæsar fecit Ettingæ, secunda Neostati, tertia Alpruni quæ ciuitas est libera & fœderata in ripa Necharis posita, ubi Charitini populi vocati habitarunt, ibi Cæsar podagra laborans statuit aliquãtulum quiescere, quare reseruata apud se custodia, quæ ad dignitatem imperatoriam spectabat præmisit Albanum cum reliquis copijs ad eum principatum occupandum. erant autem illæ copiæ Regimentum Madruccij, tribunatus Xomburgi, hispanus peditatus. italus paruus erat reliquus propter multas eius belli difficultates. trecenti illi equites cataphracti, & Germanus equitatus. cum primum igitur Cæsariana signa apparuerunt, urbes nonnullæ & oppida se Cæsari dedunt: at Vingena & Bertauum quia resistere ausæ fuissent primis conatibus captæ direptionibus & cæde repletæ sunt, arbitrioq; militum concessæ. eius rei timor omnes pagos,, omniaq; oppida eius regionis in Cæsarianorum potestatem redigit, præter Aspergum, Chirchenam, Scorendorfum oppida natura & arte munitissima, omnibusq; rebus ad repellendum hostem instructissima. Nam profectò ita postulat ius belli, ut infirma loca & parum apta defensionibus ac repellendis conatibus hostium, si per imperitiam defensorum obstinatorum conentur cursum potentissimorum exercituum retardare, dent pœnas suæ temeritatis, & tanquam à rapidissimo flumine calamitatibus inuoluantur; ut turpissimum est contrà

defensoribus munitissimorum oppidorum, & in quibus salus & spes ac propè uis tota regnorum sita est, propter timiditatem suorum principum salutem dignitatemq; prodere, cum illud sapientissimum antiquorum dictum, ne quid nimis, rebus etiam bellicis accommodari posit. cæteris igitur locis Vitembergensis principatus occupatis, quoniam illa prædicta diuturna uidebantur indigere obsidione, Cæsari difficile uidebatur negotium. at Odericus Vitembergēsis regulus salubrius consilium sibi amplectendum ratus in has conditiones denique cum Cæsare conuenit; ut trecenta millia nummûm in sumptus belli Cæsari solueret, ut tres munitiones quas vellet Cæsar concederet imponēdis quæ vellet Cæsar præsidijs. ut omnes alias fœderationes refutaret, solumq; fœderationem perpetuam iniret cū austriaca familia. ut se perpetuū hostē profiteretur rebellium imperij. ut in omnes illos animaduerteret qui pro quouis alio principe militarent, è suo principatu egressi. occupauit Cæsar per has conditiones munitiones tres prædictas, in quibus reperta sunt tormenta fœderatorum principum, quæ illi propter difficultatem itineris ibi reliquerant, cum magna annonæ copia & multiplici uarietate bellicorum apparatuum. ea dum aguntur à Cæsare Lutiburorum Comes iam urbem Vsipetorum compulerat ad deditionem, ibiq; tria millia peditum & trecentos equites in præsidijs cum duodecim vexillis collocauit; Alprunumq; profectæ legationes in fidem & amicitiam Cæsaris accipiuntur. Nec multo sanè interiecto tempore, dum Cæsar ibi commoratur, omnes ferè vrbes Sueuiæ se Cæsari per legationes dedunt præter Augustam, quæ de nonnullis conditionibus dissentiebat. sic enim accidit plerunque, ut magis uictoriæ existimatio per uniuersas regiones finitimas uagata, urbes & populos compellat ad deditionem, quàm ipsa uictoria: quoniam magnum quiddam & admirabile est rerum in aliquam partem inclinatio & propensio; cum omnia confluant, quò fortunæ benignitas aspirat, omnesq; amici & affines afflictam fortunā deterriti relinquant. Cæsari Alpruno profecto per agrum Vitembergensem fiunt obuiæ cum centum nobilibus. apud Gestingā

Reguli Vitembergēsis deditio

Vtipeti dediti.

Alci-

Alcimenij legationes, omnia ciuitatum commoda offerentes ad eum excipiendum; quibus responsum datum est tantæ plenum humanitatis, vt pater Germaniæ à nonnullis vocaretur; procedunt obuiæ Augustanæ legationes, rogant Cæsarem ut ueniam Schertelio concederet, ne religione res nouarentur, aut saltem ne illi sua castella adimerentur. istud cum obtinere non potuissent nuntiant Schertelium esse Augustæ cum duobus millibus hominum, tantisq; viribus amicorum, ut non facile posset subiugari. his respondit Cæsar ne de hac re magnopere essent sollicitii, quod breui iam fieret. eo responso tantus terror iniectus est Augustanis ciuibus, ut Senatus haberetur in palatio rursus de deditione: quò ingressus Schertelius eos hortatus est ut istud ipsum facerent, quod se quoque facturũ pollicitus est. rursus igitur Augustanæ legationes profectæ cũ omni solennitate imperatoria à Cæsare accipiuntur, quæ cũ summa reuerentia ingressæ præfatis titulis Imperatorijs, ut mos est, ueniam primum commissi erroris pro suis ciuibus deprecantur, orant pro clementia misericordiaq; sua Cæsarem ut se in fidem, benignitatem, amicitiamq; recipiat. liberaliter studia populorum, obseruantiam, fidelitatemq; promittunt. agebatur iam mensis Ianuarij 1547. dies sextus ante calendas Februarij cum Cæsari Alcimenium profecto, magnisq; cum lætitiæ signis muneribusq; excepto, offerunt Alcimeniẽses promissam pecuniã in cõditionib. pacis; quibus subridẽs Cæsar ait esse bona nomina, sed reseruarẽt pecuniã in tempus magis opportunũ. Acceptis igitur in fidẽ Alcimenio, Augusta, urbe Vsipetorũ, solũ deerat Argentoratũ è quatuor principibus urbibus, quæ petitũ miserat Alcimeniũ (ibi.n. Cæsar nõnullos dies ad cõponendas res Germanicas commoratur) ut aditus pateret suis legationibus. illæ admissæ vrbem Argẽtoratum fidei clementiæq; Cæsaris dedunt ijsdem conditionibus quibus reliqui principes & urbes admissæ sunt, ut deletis & obliteratis cæteris omnibus fæderationibus perpetui fæderati Austriacæ familiæ intelligerentur. armatos quos uellet Cæsar in suas urbes admitterent. neque extra Cæsaris castra militare subditum impunè paterentur: Rebellium impe-

Argentorati deditio.

rij hostes essent perpetui, quod in sacro concilio statutum fuerit obseruent. Reliquæ omnes copiæ fuerunt tunc in hybernis in finitimis locis, at itali, qui superfuerant è tot laboribus, totq; calamitatibus quas pertulerant ex hostibus, temporum iniuria, inopia stipendiorum, & penuria rerum omnium, ad id bellum à Pontifice missi, dimissi sunt inopes, & uictum propè ostiatim postulare coacti in patriam reuertunt: ad duo millia scilicet; uel etiam pauciores ex omni numero. Quæ tamen calamitas non semel italis accidit, aut in Germania solum. Præclare igitur se habent Rhetorum & Germanorum omnium instituta militaria; qui ad euitandas has calamitates ad nullam militiam accedunt, nisi prius paciscantur aptis conditionibus; ut tribuni militũ ipsi, qui copias è regione deducunt, teneantur omnia stipendia persoluere. quibus Reuersis in patriam uel patrimonia uendantur ad stipendia disoluenda per magistratus. ut siquis nascatur in castris statim illi debeatur stipendium. ut si in bello uir moriatur, stipendium eius belli tempore paruis filiolis, aut uxori dissoluatur tanquam uiuo marito, ne misellæ fœminæ mendicæ patriam repetere amissis maritis cogantur. ut statim atq; urbem uel munitionem aggrediuntur, seq; uitæ periculo exposuerint, aut instructi constiterint, accepta stipendia obsoluta intelligantur. ne exeant extra patriam nisi accepto stipendio, quod fit cum primum censi sunt. & aliæ plures sunt conditiones, quæ opportune à nobis alibi explicabuntur. Ferrariensia præterea florentinaq; subsidia, quoniam stipendia his opportune fuerant suppeditata, cum se aduersus omnes aeris iniurias, cæteraq; incommoda tutati essent, non mediocriter erant instructa: quæ cum ad promissum tempus Cæsari satisfecissent, liberaliter dimissa in patriam incolumnia redeunt. Nuntiatur Cæsari interea, Henricum Angliæ Regem ad quintum calendas Februarij decessisse impubere filio relicto è Semera suscepto, qui annum ætatis suæ duodecimum agebat. eius mors occultata fuit ad initium usque Februarij, ut filius sine aliquo tumultu coronaretur, quia futuræ seditionis erat aliqua suspicio, cum paulo ante capite plecti curas-

Conditiones germanorum militares nó. nullæ.

Hérici angli mors.

curasset filium Reguli Neotorti, iussissetq; post coronationem noui Regis vt Regulus ipse item capite plecteretur. Reliquit autem ad odoardi filij tutelam uiginti è primarijs proceribus, quibus summa diligentia & regni & filij incolumitatem commendauit. Federicus cum suis copijs in Saxoniam profectus non solum multas è suis vrbibus recuperauerat, sed etiam præter paucas urbes camanorum, quam Misniam vocant, in finibus Hermundunorum, qui sunt Boemi, uniuersum principatum Mauritij occupauerat. inter urbes, quæ Mauritij adhuc parebant imperio, erat Lipsa quam summa diligentia Federicus tormentis pluribus diuerberabat. Mauritius facit Cæsarem per literas certiorem omnem suum principatum in magno periculo versari, nisi maturè subsidia mittantur: quare Cæsar cognita rei magnitudine, & quanti referret ad uniuersum rem bellicam ne Federicus eos populos prorsus subiugaret, Albertum Casmiri filium Alisi siue Brandeburgi Marchionem, & Christophorum Lantgrauium Lichtembergensem cum mille & octingentis equitibus, peditum duobus millibus Germanorum. his enim viribus additis, si non superiores at certè non inferiores Ferdinandus & Mauritius fore uidebantur. Cæsari nihil reliquum deesse apparebat ad absolutam victoriam, præter quam Philippi Federiciq; subiugādi occasionem & Canoduri atque Argentorati; quare decreuerat aliquot dies Alcimenij commorari, tum ut pharmacis corpus noxijs humoribus propter bellicos labores repletum purgaret; tum etiam vt pararet necessaria ad futurum bellum absoluendum. interea Federicus cum armatis copijs nonnihil eius partibus fauentibus Boemiæ populis illi regioni imminebat, vrbemq; opulentissimam propter auri argētiq; Fodinas Iaquimistalam uocatam tētabat. istud fieri per duces Saxonis fingebatur, quorum summus erat dux Tumeshiernes: sed nihil verè fiebat per vim, nisi assentiētibus Boemis oī sui Regis eiecta reuerētia aut timore. Cæsar etsi quiescere aliquātulū decreuerat, tamen de tāta rerū magnitudine

per

per literas Mauritij & Ferdinandi quotidie certior factus, cum alter ualidiora auxilia flagitaret, quia Federicus cum quatuor equitum, decem peditum millibus omnem principatum Mauritij, præter Lipsam, Fresenam, & Cuibiccam occupasset; alter rogaret Cæsarem ut adesset, suaq́ præsentia negotium adiuuaret, nouos apparatus bellicos facit, putatq́ nõ minoris referre & ipse ut huic, quàm ut præterito bello interesset. Nam Federicus eò rem iam deduxerat ut vniuersi Saxonum Boemorumq́ populi suam amicitiam complecterentur, seq́ amicos Saxonis profiterentur publicè omni prorsus neglecta Regis memoria. per honestam itaque simulationem uel ipsas Regis filias tanquam captiuas tenebant inclusas in oppidulo Casurgij siue Pragæ, quæ vrbs est metropolis Boemiæ. Cæsari hoc negotium difficile faciebant multæ difficultates etsi plurimi referebat ut interesset: primum quia paruas haberet copias propter inopiã stipendiorũ, ꝑ magnitudine sumptuum anni superioris ualde extenuatum esset ærarium; quòd timeret earum ciuitatum uires quæ nondum se dedissent; quòd nõ satis confideret ijs, quas accepisset per deditionem; deinde rerum italicarum motus tanti, quanti futuri uidebantur, non mediocriter sollicitabant. Excitati enim tumultus Neapoli eò creuerant flagrantibus quotidie magis in Toletanum odijs ciuium, ut tota vrbe ad arma conclamatum sit per æris campani tinnitum uniuerso populo arma capessente: quod factum est quia dedita fama fuerat exijsse ex arce trecentos Hispanos Sclopettarios. is rumor etsi uanus fuerat, tamen armatus populus uoluit per publicam formulam coniunctionem societatemq́ belli stabiliri. ea re confecta Franciscus Aualus Marchio pescolius adolescens sumpta Christi cruci affixi imagine multis armatis comitantibus per uniuersam urbem uagatus omnes conclamans ad Dei Cæsarisq́ honorem protegendum, & ad defensionem patriæ hortabatur. iurarunt super eandẽ imaginem, quam sustinebat idem adolescens, societatis & coniurationis participes omnes; cuius principes fuerunt Ioannes Suessanus, & Cæsar Marmirus, & duo è Caracciola familia.

Neapolitani tumultus magnitudo.

Coniuratio Neapolitanorũ.

milia. id facinus plurimum Proregis animum infestauit, qui tantam audaciam ac temeritatem populi non impune ferendam ratus, cum ad æris campani tinnitum conclamatum esse ad arma genus quoddam rebellionis uideri arbitraretur, cum iussisset Cæsar præcipuè vt opprimerentur tumultus aliquo pacto, quia clam res nouas aduersus ipsum parari sentiret à potentissimis principibus in Italia, emisit quadraginta sclopettarios postridie eius diei sub meridiem ex oppidulo. illi super ponte in acie consistunt, tormenta in opportunis locis oppiduli eriguntur, cecidit glande transfixus iuuenis quidã, quia quò tenderet Hispanorum conatus obseruaret. discurrunt sclopettarij ad forum vectigalis cædendos esse obuios conclamantes, disploduntur tormenta in forum, & in domos urbanas non sine ciuium cæde. Sed populus magno impetu facto aduersus oppidulum neglecta ui tormentorum fossas duxit ad urbis tutelam leuibus prælijs cum Hispanis commissis, quibus per tres dies assiduos ac noctes decertatum est, semper tormentis ac sclopettis ex arce displosis. erant in arce tria Hispanorum lectissimorum millia cum præter ordinaria præsidia aliunde nonnulli essent acciti. Infestabat urbem sanè non mediocriter arx sancti Eremi, turris sancti Laurentij, & triremes quæ stationem habebant in portu: quòd ea omnia essent in potestate Hispanorum. Vrbani ueriti ne res in aliquã eximiam ciuitatis calamitatem desineret, super eminentiore turri Diui Laurentij purpureum uexillum cum Cæsarianis insignibus extollunt, ne possent rebelles appellari, atque ne putarentur arma aduersus Cæsarem, sed aduersus Toletanã crudelitatem sumpsisse. sic igitur utrinque Hispania & imperiũ conclamabatur. multi vtrinque ceciderunt in illis certaminibus. denique intercedentibus nõnullis Toletani amicis res eò deducta est, ut induciæ fierent, per quas promisit Toletanus se in nullum præteritorum commissorum autorem animaduersurum uel publicum uel priuatum, nisi pro Cæsaris iussu cum rem cognouisset. Populus item qui nihil erroris se commisisse arbitrabatur, ultro rem Cæsaris arbitrio deferebat. decernitur itaque ut suas legationes ciues ad Cæsarem mitterent,

Induciæ Neapolitanæ.

rent, quæ rem docerent, tuerenturq́. partes ciuitatis, qui Salernitanum principem eloquentia, gratia, & autoritate præstantem eligunt; & Placidium Sanclium. Toletanus rursus ad suas partes tuendas, docendumq́. Cæsarem mittit Petrum Gonzalezum Mendocium Marchionem vallis Siculæ, & ipsum uirum eloquentia & autoritatem insignem. Quibus ad Cæsarem proficiscentibus neuter alterius rebus fidebat: ciues quia suspectam haberent nimiam Toletani seueritatem, quodq́. intelligerent assidue noua auxilia florentia à genero Toletani mitti Cosmo Medices. Toletanus ciuium suspecta habebat arma non solum ob pristinos motus, & quòd assiduos esse vigiles armatos in urbe intelligeret, sed etiã quia clam nonnulli uiderentur aliquam occasionem rei agendæ oppiduliq́. occupandi, aut cædendorum Hispanorum aucupari; quamuis neutris militibus inuicem uersari esset interdictum. Cæsar denuo per literas sollicitabatur ut maiora auxilia fratri submitteret, qui Aluarum Sandeum castrorum magistrum cum suo Tertio Hispanorum, Marinianium cum octo Germanorum uexillis misit; quæ copiæ possent tandiu rem retardare si postularet necessitas, ut Cæsari daretur facultas & commoditas ipse ut illi bello interesset: qui quidem cum videret in maximo periculo res fraternas & Mauritij collocatas, nulli neq; labori, neq; periculo, neq; industriæ parcere statuit. Nam si copias cũ illis coniunxisset plurimũ ad res Germanicas referebat: sin autem illud incẽdium progredi passus esset, breui erat futurũ ut uniuersam per tot labores, tantamq́. diligentiam partam uictoriam in præcipiti & in fortunæ arbitrio collocaret. Ferdinandus interea comitia principibus Boemiæ Litomarizzi, quæ ciuitas est in finibus Boemiæ Saxoniã uersus indicit. Eò profectos docet quo pacto Cæsaris res successerint, & quo in statu sint; rogat subsidia aduersus hostium uires. docet petitionis honestatem, quòd aduersus rebelles imperij, & religionis, & eorum patriæ bellum geratur. orat ne se suum principem per vim iniuriamq́. hostium propè è regno deiectum negligant. His responsum est neminem neque velle, neque teneri aduersus eos subsidia suppeditare, quæ ad

sui

sui defensionem, nõ ad expugnationem amicorũ dare debent: cum illi sint amici, & fœdere coniuncti ad mutuam defensionem: id responsum etsi Ferdinandi animum commouit, tamẽ nullũ indignationis dedit indicium, confestimq́; ad urbem camanorum siue Misniæ Presenam uocatam se contulit, quem ad duo millia peditum, equites quadringenti beneuolentiæ simulatione, at non debitæ operæ secuti sunt. Hæc omnia per literas Cæsari significauit Ferdinandus, monetq́; quo in statu res sint nisi maturè succurratur. Nam facile futurum apparebat ut eius regni uires cum Saxone coniungerentur, quod esset potentissimum, cum ibi colligi possit intra biduum ad uiginti equitum, & quinquaginta & amplius peditum millia: qui etsi non eodem genere armorum plerunq; quo cæteri Germani utuntur, cum multi hastata tela breuiora gestent sarissis, neque eodem genere militiæ, tamen cum armatis copijs exterorum commissi milites sunt feroces, & minime negligendi. Est autem urbs præclarissima Casurgium eius regni metropolis, quæ muris cincta fuit primum à Libissa Cracci filia, uocataq́; Praga à primo portæ opere siue limine, cum pratiin operari significet apud Græcos. Sita est apud Multauiam uocatum fluuium, circum se habet urbes non pauciores triginta, oppida muris cincta ad trecenta, pagorum ad quinque millia ita ut omnes externos impetus armatorum facile possit hæc regio sustinere, & repellere. Situs eius regni etiam non parum facit ad regionis defensionem, quam hinc ad septentrionem & ad occidentem scilicet altissimi & asperrimi montes aduersus externos muniunt, ad meridiem Syluis protegatur densissimis: ad orientem uariorum fluminum obiectu, quæ etiam illam alluunt, quorum tutum sit regnum copia & amplitudine. Cæsar missis aluaro & Mariniano cum ijs copijs, quas diximus, statuit Noreiam siue Norimbergam proficisci ut bellicosam ac potentissimam urbem, omniumq́; Germanarum fortasse opulentissimam ita componeret, cum esset particeps fœderationis Smacaldicæ, ut nequid inde timere posset. His ita secum cõstitutis animũ adijcit primũ ad peditatũ equitatumq́; colligẽdũ, ut in

Boemiæ uires.

Boemiæ descriptio

N præci-

præcipuis vrbibus idonea præsidia relinqueret, ne quid noui urbes se absente molirentur. idcirco Georgium Sciamburgiũ Augustum cũ tribus millibus et quingentis militibus mittit. Alcimenij alia reliquit præsidia tria millia peditum Ioanne Gulielmi Nansoi filio præfecto. Francfortij, quòd essent tria millia Belgarum peditum, equites quadringenti nulla addita sunt præsidia; quæ vrbs Rheno & Meno fluminibus in ea parte dominatur, cũ is in duo cornua diuisus ad mænia eius urbis confluat & coniungatur. trecenti pedites Neoburgi, duo millia Germanorum madruccij in Chirchenam, Aspergũ, Scorendorphum loca munitissima sunt distributa. Cæsari igitur his ita instructis iamiam Alcimenio exituro odericus dux Vertembergensis, cum æger non potuisset prius ad Cæsarem accedere, se nunc ultro submittit. tum paratis solennibus plus opportunitatis petens veniam delictorum, & eorum, quæ aduersus imperiam maiestatem commiserat, per scribam præfatis titulis, in amicitiam Cæsaris accipitur. postea cum vellet odericus ad exosculandam Cæsaris manum consurgere, non passus est Cæsar senem debilem, & omnibus membris inualidis istud facere, cum ipse prior surrexit, & contendisset ad dextram coniungendam ad amicitiæ humanitatisq; indiciũ. postea Cæsar discedit Alcimenio, primaq; castra Ghengæ posuit, ubi castrametati fuerant hostes cum ipse esset Sunti: cum quo processit Hispanus peditatus, erantq; iam in itinere cum defensoribus tormenta Alcimenio attracta. considerauit Cæsar diligenter hostium castra, è quibus facile numerum cognouit, perspicit munitiones, speculatur ubi Saxones, ubi Hessij, ubi Sueui, ubi Vertembergẽses sua posuissent tentoria: quippe cum maxima sit cognitio uirium hostium, non solùm numerum & armorum genus cognouisse; sed multo magis si disciplina militaris, & castrorum eligendorum aut collocandarum acierum ratio rectè intelligatur. Inde profectus secunda castra ad Norlingam posuit. Interea Federicus auctis viribus multis sese quotidie addentibus vniuersam Saxoniã occuparat. Albertus in urbe Rocanizzo, quam per deditionem ceperat cum decem uexillis peditum & mille atq; octingen-

gentis equitibus morabatur, ubi de rebus bellicis aduersus Saxonem consultabat. Erat autem urbs Rocanizzum, quam Albertus occuparat in ijs finibus aduersus Saxoniam Biudæ sororis Philippi Lantgrauij, quæ tripudijs, & conuiuijs, & cæteris huiusmodi blanditijs Germaniæ domesticis Albertum oblectabat, regijsq; apparatibus detinebat, ut paulo negligentior neque ita uigilans fieret ut conuenit imperatori præcipuè inter res bellicas. eadem contrà certiorem clam de omnibus faciebat Saxonem, qui erat cum triginta & sex uexillis peditum, & non satis validis copijs equestribus, indeq; distabat ad quindecim millia passuum. is summa diligentia usus postero die Albertum nihil tale suspicantem aggreditur, nulloq; negotio obuium factum in planitiemq; egressum profligauit & in fugam vertit. captus fuit Albertus atque Christophorus Litembergensis, cum multi sese fuga & equites præcipuè ad Mauritium postea seruauerint. Qui refugerant in vrbem cum insequentibus hostibus mistim ingressi partim trucidati sunt, omnibusq; quæ habebant spoliati; partim facti captiui, atque, ut mos est Germanorum, compulsi iurare quòd arma non amplius aduersus Saxonem sumerent. Est enim ea Germanorum consuetudo ubi victis & captiuis libertatem restituunt ut iurare cogant, se non amplius aduersus eos uictores, & aliquando intra præscriptum tempus arma laturos. Quod nisi seruarint; si rursus capiantur capitis condemnari solet tamquàm rebelles & sacrilegi, cum summo dedecore. Atqui Albertus, si quis eius facinus spectet, magis strenuus miles in eo negotio, quàm prudens dux apparuit; cũ nõ minus aduersus fallacias, quàm aduersus arma sit aliquando dimicandum. omnium quippe fallaciarum callidissima est ac potentissima uoluptas; quæ sæpius uictrices copias, potentissimosq; exercitus insignibus cladibus triumphantes adhuc afflixit. capta sunt omnia peditatus Alberti vexilla, quæ decem fuerunt, duodecim bellica tormenta, multumq; commeatus & apparatuum, pecunia, aureæ uasa & argentea, & multa supellex. Albertus missus est captiuus ad Gottam oppidum munitissimum Turingæ; quod erat Saxonis principa-

Albertus marchio p muliabres delitias captus.

 tus,

tus, qua victoria potitus Federicus erravit, quod non ea vteretur, procederetq. adversus Mauritium propinquum, ut ratio belli postulare uidebatur; omnesq. factum iri arbitrabantur, ut eas reliquias de medio tolleret. Mauritius propinquitatē potentiamq. hostium veritus Chennizzo oppido egressus ad coniungendas copias cū Alberto properat, sed uix quatuor millia passuum processerat, cum clades illa nuntiatur. visum est difficile factu primum, vt vrbs tā munita, tātisq. praesidijs obfirmata venerit in potestatē hostium tam breui: quare rem ut parum probabilem non credidit, inceptumq. iter peragit: sed obuijs factis nonnullis profugientibus equitibus tunc demū credidit. existimauit praeclare actū iri Mauritius si uel minoribus copijs hostem palantem, reliquias insequentē, & ad praedam dissipatum repentino aduentu opprimeret, quod facile fieri posse uidebatur; ut solet in his opportunitatibus eueni re. alij non esse tam propinquum hostem ut hoc fieri commode posset, cum peditatus si contento passu procederet futurus esset defessus; sin, multum temporis spatium ad se colligendum hosti datum iri, quare futurum ut reliquarum copiarum salus in magno periculo uersaretur. His rationibus commotus Mauritius iubet copias Chennizzum reuerti unde discesserat, ac postridie se recipit Friburgum. Federicus iam Boemorum animos amplificatae etiam victoriae nomine extulerat & confirmauerat ad spem rerum nouarum: cum magis ad Boemiam subiugandam, quàm ad reliquias hostium dissipandas aspiraret. idcirco illis libertatem per nuntios, seq. ab omni tyrannide breui liberaturum liberaliter adpromittit. simulata igitur defensione mittit Gulielmum Tumēzhiernum cum duodecim vexillis peditum & sexcentis equitibus ad occupandam uallem Iachimistallum. Boemi audita Saxonum victoria, quorum vires suum regem non amplius posse sustinere existimabant, vt sunt mobiles per victorias populorum animi, & ad omnes fortunae mutationes labiles, uel quia Caesarem formidarent, uel quia se liberos omnino sperabant, maximè ad Saxonum fauorem spectare uidebantur. potitus est autem ea valle Federicus per clandestinum

num

num Boemorum consensum, cum ad illud negotium conniuere aperte apparuissent. tantarum rerum spe elati Boemi comitia interse habent casurgij contra antiqua eius regni instituta totiusq; Germaniæ: in quibus comitijs summum rerum bellicarum imperium defertur Gaspari Flucco uiro autoritate, nobilitate, oppulentia præstanti. conscribunt triginta peditum, duodecim equitum millia ad eius regni defensionem. His uiribus confirmati ad arma Cæsaris aut Ferdinandi contemnẽda, primum omnium in oppidulum casurgij includunt Regis filias, deinde ad copias adaugendas etiam animum conuertunt. Rex cum uires hostium adaugeri indies, suasq; debilitari paulatim ac deficere intueretur, Cæsarem facit certiorẽ se omnes spem regni in sua tantum uirtute ac fortitudine collocare, quare nisi vel magna auxilia peditatus & equitatus misisset, vel ipse accederet, actum esse de illius regni conseruatione. His precibus fratris, omnibusq; rerum superiorum euentibus cognitis Cæsar statuit ipse ad illud bellum proficisci, quare iubet Nicolaum Madraccium supplementum veteribus cohortibus Alliprandi fratris in cuius Alcimenij demortui locum successerat, conscribere; colligere mille & quingentos pedites; Hanzbalterum sueuum tria peditum millia; accersit Neapoli Hispanos & cataphractos equites, & hoc leuiores, sed ante quam Norlinga discederet, Argentorati legationes urbis opulentissimæ ac natura & arte munitissimæ ijsdẽ conditionibus se Cæsari dedunt, quibus Alcimenij, Augustæ, ac Francfordiæ in amicitiam Cæsaris acceptæ fuerant; una præsidij conditione obliterata, quam omnino admittere recusarunt, quod plebs nõ esset admissura, quæ pro suo arbitrio plerisq; ciuitatis rebus moderaretur. Cæsar qui in his difficultatibus existimaret præstare quoquo modo hanc vrbem propter autoritatem & potentiam esse amicam quàm hostilem ijs solennibus quibus cæteras consueuerat, in fidem recepit. Iurarunt præterea se imperatorem defensuri atque in leges imperij, quod nunquam antea fecerant; cum profiterentur se liberos esse, ut sunt vrbes in extremis Saxoniæ partibus oceanum versus. Vocata fuit hæc ciuitas Argentoratum vt quidam

Argentorati deditio.

dam crediderunt ab antiquis, propter argenti copiam, quod eò computabatur ab Rheni commoditatem, cum statutum ibi esset ærarium publicum Tribocorum à Iulio Cæsare Heluetijs Heduisq; subiugatis Romano imperio. Hi tormenta, multumq; apparatum bellicum ad eam expeditionem Cæsari suppeditarunt. Cæsar statim significari iubet Marignanio & Aluaro Sandeo ne fines Norciæ, quò iam peruenerant, transirent; atq; cum ipse propter valetudinem procedere non posset, præmittit Albanum cum reliqua manu Hispanorum italoq; equitatu ut cum reliquis copijs coniunctis ibi se præstolaretur. Sed quoniam Turingi ea victoria elati coniunctis viribus popularibus nonnullorum ad Syluam incolentium vniuersum principatum Alberti finitimum cædibus et rapinis infestabant, Plassemburgumq; præterierant munitissimum oppidum in ripa Meni fluminis situm, veritus Marinianus ne illud oppidum veniret in potestatem hostium propter inopiam præsidiorum summo studio trecentos pedites mittit, qui oppidum sine controuersia ingrediuntur. Albanus igitur Noreiam contendit, vt cæteris rebus consuleret, quæ vrbs est Norici principatus amplitudine, diuitijs, magnificētia facileprinceps. ibi nata de hospitio contentione inter ciues & exteros, uix denique res composita est. Cæsar Noreiā uersus proficiscēs prima castra Etinguæ, secunda GuncheZausenæ, tertia Sbouæ posuit, quarta fecit Noreiæ suis solitis custodijs & cataphractis stipantibus. excipitur à prutenorum magistratibus cum magna omnium lætitiæ significatione, multaq; munera Cæsari offeruntur ad copias uictus inopia defatigatas restaurandas. at Albano argentea vasa donantur miri artificij. Ibi dum Cæsar ad res bellicas instruendas comparandasq; aliquantulum moratur, Ioachinus unus è marchionib. Brādeburgi Elector, cognita Federici victoria ex profligatis copijs Alberti cōsobrini, cū principatus totus ferè iā esset occupatus, quem ex altera parte Sylua Turringiæ claudit; ex altera cū Saxoniū regione et ab Adorso ad Egram usq; protenditur: uenit in suspicionē sui quoq; principatus; qui & ipse cū Saxonib. cōiunctus est Albim fluuium versus. is igitur cum neutris partibus hactenus fauisset,

uisset, statuit antequam de proprijs finibus dimicare cogeretur, quod videbatur factum iri si nimis aucte fuissent vires Saxonum; cum nulla tam firma sit aut sancta amicitia inter Reges quam non superet uel minima imperij suspicio; mittit qui Regi omnem auxiliorum genus offerat in ijs calamitatibus, ut autem manifestius animi sui specimen & indicium præberet, ipse accedit paulo post ad regem, statutumq́; est ut Cæsari obuiam iretur. decernit ipse ad suos redire, sed mittit Io. Georgium primogenitum cum quadringentis equitibus. fit certior Cæsar de omnibus per sigismundum Lodronium, interea rebus necessarijs computatis, præsidijsq́; in opportuna loca distributis, Cæsar collegit ad mille & quingentos equites, peditum duo millia, cum quibus Tresena Litomerizzum uersus, atque inde Egram iter cepit, ubi statuerat castra coniungere. Sed quoniam vrbs illa parum erat fertilis rerum uictui necessariarum, ipse cum cataphractis Neapolitanis, suisq́; custodijs ad dextram recessit ad commoditatem uictus; iussitq́; Albanum cum cæteris copijs procedere, quo ordine ad compe tum vsque. Iam Federicus factus erat certior de fœderatione electoris Ioachini cum Rege & Mauritio: quam veritus in vrbes Saxonum inferiores redundaturam, statuit albim fluuium traijcere, ut præsens armis audaciam impetumq́; hostis frenaret, si opus esset. & quia intelligebat Cæsarem cum magnis copijs propinquare, regemq́; obuiam procedere, statuit ex altera parte pacē postulare, ex altera nisi res succederet armis rē experiri. erat ī inferiore Germania Gulielmus cleuēsis dux uir summæ autoritatis apud Cæsarē & Ferdinandū, ꝙ alterum copijs adiuuisset in bello aduersus Lantgrauium, alterius filiam Mariam haberet in matrimonio, eratq́; Federici coniunctus. huius ergo autoritate fretus, & Sibillæ uxoris prudentissimæ mulieris consilijs permotus, rogat ut captata opportunitate impetrare à Cæsare niteretur, ut Federicum suo principatu potiri pateretur, cuius pars fuerat iam à Ferdinādo extorta: cum desiderio suorum populorum tyrannidis potius, quàm ulla iniuria commotus suum principatum inuasisset. hortatur igitur ut ipse ad eos principes accedat, rogetq́; ut

ut desistant ab incœptis, seq; in fidem & amicitiam accipiāt. His addit nonnullas fuisse causas bellorum aduersus Germanos quæ legitimæ uiderentur; sed cum alij in amicitiam accepti sint, se quoq; dignum videri qui in amicitiam Cæsaris reciperetur. misit etiam nonnullas conditiones pacis ut honestius agi posset. Ea tamen dum aguntur nullum strenui ducis officium prætermittit, omnesq; res tantis uiribus repellendis necessarias comparat summa celeritate. Ne igitur copias minueret, cum opus esset ualida præsidia relinquere in prouincia citra Albim fluuium, accersit triginta popularium conscriptorum vexilla, cum ad viginti & octo peditum millia essent, præter equites. distributa sunt ea præsidia in loca, quæ defendi posse videbantur; Adorfum tria uexilla cum centum equitibus missa. Aldimburgi quatuor imposita. Halæ sex. Torgæ quatuor equites ducenti. RocaniZzi duo, totidem Elsnicci, Lesnicci tria. Chersbergi octo. Heldruni & Sonoballæ quatuor, in Turingia Namburgi, Grettentali, & Salfeldi sex cum quingentis equitibus. reliquos conscriptos, qui erant ad decem & nouem millia iubet Gulielmo Tumbesirnij, & Alberti Masfeltij imperijs parere: quorum alter erat in finibus Boemiæ cum quinq; millibus peditum, & mille & ducentis equitibus; alter in inferiori parte ad Albim cum paribus propè copijs. Erat ijs consilium ut si Cæsar Saxoniam inuaderet, hic fauentibus Boemis, ille opem ferentibus maritimis urbibus, omnem facultatem commeatus castris hostium præcluderent, semperq; hostem insequerentur. His rebus ita comparatis ipse ad Albim fluuium properat, quo in itinere occupat Triburgum vrbem Misniæ, ubi impositis mille & quingentis peditibus ad Tressenam castrametatur. eius loci tentata expugnatione cum ciues se egregiè defenderent, re infecta recedere coactus est. Boemi per id tempus animos suos iam non occultè, sed appertissime sedarant; ostenduntq; non uanam esse spem Saxonis, quam in eorum uoluntate collocarat. Nam cum Cæsar iam tridui iter confecisse à Noremberga significaretur, ut castra cum Ferdinando & Mauritio coniungeret, veritus Gaspar Flucchus uir, ut diximus potentia, nobilitate,

auto-

autoritate apud Boemos insignis omnes hos apparatus ad infe stãdos fines Boemiæ redũdare, collectis ijs viribus, quas breuitas temporis patiebatur, iubet Syluas omnes prosterni, quà Ferdinandus Rex erat transiturus, omnesq; aditus occupari: qua ratione iter nonnullos dies tardauit, coegitq; regem per alias vias, & per difficiles montes transire. Cæsar magnam manum peditatus obuiam mittit, qui à Boemis Regem protegeret, si impedire iter ei conarentur. sed cum per difficilia loca, & minimè à Boemis credita pertransisset, iter liberum explicatumq; habuit, cum equitatus transitus maturè occuparet. Sic igitur nonis Aprilis Ferdinandus Rex & Mauritius, & Brundeburgensis electoris filius cum tribus equitum millibus & ducentis, ac trecentis solum peditibus, reliquis partim in castra Flucchi transfugientibus, partim in domos dissipatis conueniunt in castra Cæsaris. Cæsar his auxilijs auctus ad Egram ita à fluuio mœnia alluente vrbem vocatam iter capit: quæ sita est inter Nariscos vocatos populos in Norica ragione. Cæsar ibi moratur aliquot dies, dum solennitatem resurrectionis seruatoris nostri Iesv Christi *celebraret, cum maxime omnium conueniat bono prudentiq; principi non solum priuatim, sed etiam publicè sacris ceremonijs, & diuino cultui per solennes ferias præcipuè interesse; quæ res non mediocriter populos cohortatur ad religionem. Nam vulgus plerunque & subditæ nationes principum & Regum virtutes ac uitia imitantur: cum illud quod publicè fit à Regibus iure fieri putent: quæ res facit ut omnis bene institutarum ciuitatum laus, aut omnis scelerum reprehensio in neminem possit magis quàm in principem & magistratus redundare. fuerat autem præfectus Flucchus illis copijs eo pacto; proceres qui conuenerant ad eos transitus occupandos conuiuium opiparum pararunt. post illud sortiti sunt quis eorum summum imperium susciperet: atque ita sortem statuerunt, ut Gaspari Flucchò omnino eueniret: non sanè quòd ille magis idoneus esset cæteris omnibus tanto negotio, sed quia maiores vires ille posset colligere, magisq; abundaret pecunia in stipendia militum, atq; illud etiã accedebat, quòd quisq;*

O malle-

mallebat in alterius caput, quàm in suum, deuolui periculum si res parum feliciter successisset. Dum Cæsar Egræ moratur, quæ urbs est Boemiæ Saxoniæ finitima, sed extra montes (nam uniuersa Boemia quasi circuli formam habet, cuius circunferentia sunt montes maximis, densissimisq; nemoribus obsiti, cum planos habeat accessus in ea parte tantum; quæ Morauiam spectat, in cuius faucibus sita est Trigla. enimuero præter hunc Angustum aditum, in cæteris partibus natura videtur eam vndique muniuisse aduersus exterorum incursiones; cum densitas nemorum profunditasq; altissimarum paludum difficillimos aditus faciant in eam prouinciam. terra quæ intra hæc nemora comprehenditur plana & fertilissima est, multaq; habet castella, & frequentes urbes; cuius prouinciæ incolæ sunt strenui, equitesq; ad Germanorum morem armantur; at pedites differunt; neque seruant eadem instituta, neque vtũtur ijsdẽ armis; ꝙ alij quasi venabulis, alij uocatis alabardis, alij multis breuibus Sclopettis vtantur. Cleuẽsis Regulus Gulielmus lectis Federici literis cũ precibus honestis vt videbantur Egræ Cæsari præsto fuit, primùm gratulatur pro accepta uictoria pacatis hostibus imperij; addiditq; cupidum esse Federicum etiam veniam consequi; atque in amicitiam accipi. Suppliciter petit à Cæsare ut pro sua innata clementia & benignitate, qua vsus esset in omnes pœnitẽtia ductos, eum humaniter acciperet. ut autem ad illud facilius Cæsar commoueretur proponit fortunæ regnorum inconstantiam, bellorumq; incertos euentus; in quibus maxime omnium rerum humanarum illudere solita est; cum modo aliquis rerum omnium imperio potiatur, quæ quasi impulsu quodam ad vnum ruunt; modo in summa rerum omnium inopia & imperio & amicitijs appareat destitutus. Nam tametsi omnia rectissimo consilio, summa prudentia, diligenti studio, accuratissima ratione sint ab imperatoribus ad optimum finem constituta; tamen fortuna plerunque videtur his apparatibus dominari, cuius consilij nemo prorsus fit particeps. esse prudentissimi ducis pacisci potius cum hostibus honestis conditionibus propositis, quàm tantum fortunæ periculum subire, omniaq; uno

tempore

tempore sortis arbitrio concedere. Non minus esse honorificam illam pacem imperatori, quam per animi virtutes, quàm illa, quam per uires exercitus per arma, per clades hostibus concesserit. His Cæsar respōdit nō posse agi de pace, nisi Federicus se ipsum & principatum prius arbitrio Cæsaris committeret. Habendā esse personarū rationē. vix ullam inueniri causam, quæ possit subditos impellere ad honesta arma suo principi inferenda. non tantum p̄sentis opportunitatis habendam esse rationem, sed etiam cauendum ne facilitate & clementia principis cæteri ad impunitatem scelerum, quasi licentia abuterentur. Hæc eo vultu pronuntiata sunt à Cæsare ut neque oculos quidem contra attollere, nedum respondere Gulielmus ausus sit, quare paulo post re infecta domum reuertit, Federicumq́; fecit certiorem. Nuntiatur in castris Cæsari pridie calendas Aprilis Franciscum Regem Gallorum anno ætatis suæ 54. principem omnibus regijs artibus animiq́; ornamentis instructum naturæ concepisse, cuius mortem non solùm Cæsar, sed omnes uiri boni uisi sunt ægerrimè tulisse. fuit enim diuina propè prudentia, memoria singulari, humanitate incredibili, insignium ducum & literatorum uerè patronus vel potius pater, sed parùm fortunatus. Huic successit in regnum Henricus filius, qui tunc uigesimum & octauum ætatis annum agebat, omnibus Excellentibus ac Regijs artibus à patre informatus: qui nihil habuit antiquius, quàm vt populorum in se studia converteret. eos, cum propter diuturna bella uideret defatigatos & afflictos statim initio sui imperij immodicis tributis ac sumptibus subleuauit; qua liberalitate mirificè sibi conciliauit animos omnium tum suo imperio subditarum, tum etiam exterarum gentium. Eius Regis exequiæ magnificentissimè celebratæ sunt Lutetiæ die decimoquarto mensis Aprilis, cuius cadauer ex oppido Rombuletono, quod est in finibus Parisiorum, ubi mortuus fuerat, est Lutetiam allatum. Enimuerò à die mortis ad sepulturæ tempus eius imago facta est, regijsq́; uestibus induta, & in honorificentissimo lecto collocata cum regio diedemate & sceptro; quæ fieri cōsueuit prandij cœnæq́; tempore cum ijsdem solennibus quæ uiuo rege serua-

Francisci Gallorum Regis mors & laudes & solénitas.

bantur. cum mos ille multos dies esset seruatus, funebribus mox induta est. 48. monachi quotidie sacra agebant in tẽplo diui Dionysii. è leculi regione duo erant altaria cum multis luminibus. & quatuordecim candelebra, quæ circum crassa funalia sustinebant. Rex plaustro impositus ad sepulturã vectus est, circũ quod erant 24. monachi cereos accensos gestantes, quibus præcedebant quingẽti inopes lugubribus induti cereos gestantes. Secuti sunt cadauer vndecim purpurati antistites, multi episcopi, omnes galli proceres, populus uniuersus tanquã patrẽ patriæ. habita oratio est funebris à Maconensi episcopo cũ multis sanè lacrymis. Ea morte in castris Cæsarianis nuntiata uariæ natæ sunt ducum Cæsaris sententiæ, cũ non pauci parum tutum esse arbitrarentur rebus Italicis in subiugãdis populis Saxoniæ occupari; quibus certè res italæ viderentur præferendæ. ad illud consiliũ impellebat non solùm difficultas transituũ, cum hostis oẽs aditus præclusisset firmis præsidijs, conuectionisq; tormentorũ, cũ uires Federici in dies magis magisq; augerentur, uerum etiã angustiæ locorũ, cum iter faciendũ esset inter Syluas & montes, qui inter Saxones et Cæsarianos intercedebant; qua non poterat nisi per summã difficultatẽ cõmeatus conuehi. ea res animũ Cæsaris nonnihil cõmouit, quoniã non omnino carere ratione uidebatur: cũ multi essent Florentini Neapolitaniq; exules, ijq; nõ aspernãdæ autoritatis, qui possent aĩos cæterorũ principũ ad eorũ patriã liberãdã assiduis precibus & suasionibus incitare. esse illã Italorũ consuetudinẽ ut reb. nouis delectẽtur, q solitì sunt sæpius principes mutare, quod æquiore aĩo ferunt q̃ reliquæ nationes. statuit igitur Cæsar Saxoniæ expugnationẽ dũ res est integra nõ prætermittere quidẽ, sed quanta tamen fieri põt celeritate negotiũ conficere. postea re cũ ijs, quos adhibebat cõsilijs, cõmunicata, statuit postridie eius diei Egra castra mouere, ubi quadringẽtos pedites reliquit in præsidijs. Sed quoniã plures erãt uiæ, quæ ducebant in Saxoniã; quarũ non difficilia ea uidebatur fore quæ ducit p Boemiã, cũ inter Saxones Boemosq; fluat Albis, qui multis in locis posset uadari: alia sese offerebat p agrum Adorfi in extrema parte Saxonũ, non plurimũ distantis

ab

ab Egra; quē aditum Cæsar putabat posse per vim armorū aperiri, quāuis firmis præsidijs esset munitus. alia rursus erat Turingæ difficilis & Angusta inter montes & fluuiū Salā, quam ēt faciebant Angustiæ aptam ut à paucis teneretur aduersus uim multorū. Cæsar his omnibus inter suos propositis, ac diligēter in vtranq; partē ponderatis statuit deniq; Adorfi uiā facere, ut quæ magis apta uideretur conuectioni tormentorū, cum etiā illud cōmodi per hanc uiā consequeretur, nequē locū cogeretur à tergo relinquere, quod incōmodū maxime omniū multis de causis uitandū est. Præmittit igitur Albanū summū copiarū ducē, & qui primū locū autoritatis post Cæsarē ipsum in exercitu obtinebat, cū uniuerso peditatu, & parte equitatus. Albanus Elsnicchū expugnatum mittit Antonium Toletanū cū mille Hispanis peditibus, equitibus trecentis. Adorfi præsidia Cæsarianos vix conspectos aufugiunt, Elsnicchi uisi sunt Elsnicchi deditio & Adorfi. *pp finitimorū armatorū numerū uelle resistere; sed uisis postea copijs Cæsarianis ad se uenientibus cōmisso leui plio, sese dedūt ea cōditione ut militibus uita cōcederetur q essent ītra mænia, qui quidē erāt septingenti expediti pedites. Toletanus eo confecto negotio cū suis copijs in castra redijt. postero die, qui fuit pridie idus Aprilis Cæsar uniuersas copias hesternas cū Albano pracedere iubet, cum ipse cū reliquis sequeretur alijs itinerib. non. n. propter difficultatē locorum, quæ Syluestria erāt & montosa, uniuersus exercitus poterat cōmode incedere. Sic igitur in itinere alijs nonnullis urbibus per deditionē occupatis, quod facile cōsequebatur propter clementiā & humanitatem* Clemētia tormētū atrox ad expugnandum. *qua in supplices utebatur; quæ maximè omniū atrocissimorū tormentorum potest in bello, nuntiatur Cæsari Federicū traiecto Albim fluuio ad Maisenam nobilissimam urbē, Maisniæq; apud albim metropolim castra locasse, ubi illa muniebat, uiresq; in dies adaugere. is nuntius nō mediocriter cōpulit Cæsarē ut optaret q primū signa conferre; sed quia instructus exercitus propter naturā locorū ut diximus, duci non poterat, ubi peruentū est ad vrbē, quā Plaū uocant, iā planities incipit aperiri fertilissima, multaq; amænissima prata, & castella uaria sese in planitiē descēdētibus ostētāt. Tota ea puincia in armis consti-*

constiterat, eratq́. præsidijs & armatis egregiè instructa; quippe cum pauci essent pagi nedum castella, in quibus non essent vexilla peditum. Cæsar quo commodius copias in aciem instrueret in planitiem profectus non procul à Mulda ignobili fluuio Meridiem versus constitit. ibi cum tam numerosus non esset exercitus, & copiæ peditum ut commode posset in tria agmina diuidi, in duo tantum distribuit, in primum aciem, & Phalangem frequentem, quo pacto copiæ firmiores fore uidebantur ad resistendum. Sed quoniam à fronte semper hostē procedens habiturus esset, statuit ut prima frons firmior institueretur; in qua collocatæ sunt Germanicæ copiæ Mariniani & Ansualdi, Hispanæq́. Arzij & Aluari Sandæi. Erāt in fronte ordines quinquaginta in lineam rectam Sclopettariorum, qui singuli viginti & vnum habebant Sclopettarios, cum duabus ordinibus alabardiferorum paris numeri egregiè armatorum. subsequebantur postea uexilla triginta & quinque, duo Sarissatorum millia in sexaginta & tres ordines distributa, qui singuli triginta & quinque armatos continebant. erant vtrinque à lateribus mille Sclopettarij à dextra & sinistra tanquam alæ, qui extremæ aciei uice etiam possent frui. vniuersus hic exercitus ab Albano summo copiarum duce ductabatur, quem Vngari italiq́. equites antecedebant, quos sequebantur à tergo cataphracti Neapolitani & Mauritij. in extrema acie subsequebatur ipse Cæsar cum copijs Nicolai Madruccij, equitatu Regis Maximiliani, Georgij Brandeburgi, solitisq́. arciferis, inter quas omnes copias trahebantur tormenta. sic Cæsar instructis copijs omni diligentia in hostem contendit, cum nihil magis optaret, quàm cum eo confligere, quòd verebatur ne se in munitissimas munitiones Gottā aut Eldrunum, aut Sonebaltum, aut Vitembergam includeret Federicus, cum illæ propter mirificam naturam loci, multosq́. bellicos apparatus viderentur in multos annos posse bellum sustinere ac protrahere. peruenit igitur Cæsar ad Chenastanum, quod est paruum castellum, sed munitū beneficio duorum collium, à quibus protegitur, cum ex altera parte fluuiū habeat Muldam. Missus est Sulmonensis princeps cum Ita

Ordo Cæsariani exercitus instructè procedentis.

lis

lis equitibus ad occupandam Valdembergam, alij missi Rocanizzum, quibus in locis cum essent finitimorum accolarũ præsidia, vix auditis tympanis Cæsarianorum, omnia domũ sunt dissipata, vrbesq́; ipsæ se Cæsari dediderunt. dux præsidiorum Rocanizzi sese Leisniccum contulit vrbem hostilem & à Saxonibus custoditam. Cæsar italos equites mittit ad eam urbẽ ad expugnationem explorandam, quibus uisis Saxones defensionis uoluntatem præ se tulerunt. at Cæsariani etsi urbs & oppidulum est in loco edito & Saxoso situm, quò difficile erat equis accedere, collem vndique ascendunt tanquam portas concrematuri. ciues, etsi numerum eorum equitum facile contemnebant, tamen quòd omni spe auxiliorum uiderentur destituti, & quòd victorem exercitum expectarent, cuius uiribus nulla ciuitas resistere potuisset; cœperunt inter se agere de pace. respondent igitur missis, ad deditionem qui hortabãtur, se urbe exituros saluis impedimentis ac libertate cuiusque. His responsum est, non esse Cæsaris consuetudinem ut armatos de pace agentes audiat; positis armis quæ petantur forsan concessum iri. ea spe confirmati portas aperiũt, omniaq́; committunt arbitrio Cæsaris: uita & bona ciuium omniũ incolumnia & inuiolata sunt conseruata; sed milites spoliati, et dux præsidiorum captiuus ad Cæsarem ductus, eò postea castra transtulit cum vrbem opportunum locum castrametationibus intelligeret, alteramq́; partem copiarum citra fluuium Muldam, alteram vltra statuit. præmittit interea quadringentos equites qui ad Albim fluuium usque procurrerent, qui inde distabat ad triginta millia passuum, ut aliquid de hoste intelligeretur. id cum factum esset, non procul ab Albi fiunt obuij nonnulli equites Saxones, qui & ipsi ut aliquid de Cæsarianis audirent excurrerant è castris. committitur ab utrisque atrox prælium; sed Saxones numero multo inferiores denique in fugam vertuntur, nonnullis captis. Cæsar cognita è captiuis Saxonis castrametatione præmissis italis & Pannonibus iter cœpit; qui spe prædæ longius à castris protracti uel in intimas hostium uires excurrunt; ab incolis igitur, qui metu Cæsarianorum in vnum conuenerant in quandam

Lesnicci deditio.

Syluam pago diripiendo intenti inuaduntur, nonnulliq́; truci dantur. Sed itali breui in unum congreßi, facile agrestium hominum rei militaris imperitorum impetum retundũt; qui statim audito tubarũ sono territi abiectis armis salutis spem omnem in celeritate pedum reponunt. Veruntamen omnes ferè trucidati sunt cum omnibus eius pagi incolis, cum Pannones nulli neq; sexui, neq; ætati pepercissent. Sunt enim Vngari plerunq; ut turcæ nõnulli crudeles & inhumani, neq; ulla supplicantium misericordia aut lacrymis commouentur; quod quidem modo fit propter temparamentum corporis cum frigore regionis consentiens, modo propter frequentem homicidiorum usum, ut accidit in bellis. interea Cæsar Maisenam uersus singulari diligenter contendit urbem Mauritij, quam ille Saxoni ademerat. ea re cognita Federicus consilium cepit ut uidebatur salubre contrahendi copias inferius magis oceanũ uersus, quòd ibi Albis esset profundior, traiectusq́; tanto difficilior quanto uicinior oceano. qua etiam ratione uidebatur animos Boemorum confirmaturus, inuitaturusq; ad ferenda sibi auxilia, & à Cæsare alienaturus. eò consilio capto Federicus ne postridie uel cõfligere, uel turpiter se recipere cogeretur, põtem qui supra fluuium factus fuerat, concremauit, & castra mouit secundum fluuium iter faciens, ut Cæsarianos traiecturos coerceret. Cæsari Maisenam cum exercitu procedenti nũtiatur Tamesiernem cum suis copijs non plus tribus millibus passuum inde abesse, Federicumq́; traiecisse Albim ut castra cõiungeret. Hæc ita crèdita sunt à Ferdinando Rege & Mauritio non minus quàm si ipsi uidissent, quare iusserant copias labore itineris defessas et diurno calore iter capere: neq; tamẽ ita certo nuntio accepto. Cæsar cum rem non ita temerè credendam putasset, ad quem summa prudentia, castrorumq́; administratio pertinebat, hinc ducentos Pannones equites, inde ducẽtos italos mittit exploratum hostium consilia, ac totum exercitum interim iubet quiescere; quod consilium sane fuit salubrius Cæsarianis, quàm ita incõsultò copias defatigare. Qui exploratũ missi fuerant cum eò peruenissent, ubi hostis castrametatus diceb atur, neminem inueniunt; quod ut nuntiatum est in castris

Pannonũ natura.

Cæsarianis,

Cæsarianis, eam noctem quietam agunt & sequentem diem: nam per decem dies iter confecerant. Nuntiatum fuerat Cæsari Federicum Maisena discessisse, atque Molburgum uersus cepisse iter, quare postera nocte contento gradu ad fluuium contendit ignibus uetitis accendi, ne lumine aduentus hostibus significaretur. Vix autem dies illuxerat, cum obuia fiunt Maisenensium, aliorumque populorum legationes ueniam pacemque impetrantes suis urbibus. Significatur Saxoni Molburgum profecto. Cæsarem partem copiarum Maisenam misisse, quare ne inter duos exercitus interciperetur cum omnibus copijs tria millia passuum inde recedit, iubetque mille pedites & equites ducentos, quos ad tutelam Torgensium reliquerat ingredi Vittembergã. Ibi positis castris statim nuntiatur Cæsar fluuio propinquare, quod non sine aliqua trepidatione auditum est. Existimabant rerum bellicarum periti Molburgum redeundum esse, summoque conatu enitendum ne hostis Cæsarianus fluuium traijceret, in quo vno consilio videbatur tota spes eius belli reposita. quippe cum melius sit fortunam belli cum aliquo locorum, temporum, aut rerum huiusmodi auxilio, quã æquo Marte, si fieri possit, experiri. alij censebant præstare ut ad vrbes maritimas copiæ contraherentur, cum Vittemberga vrbs metropolis eius principatus, aliæque nonnullæ ita essent munitæ, ut possent in multos annos bellum sustinere: quod cõsilium ridiculum sanè uidebatur, cum nullum tam munitum sit oppidum, quod obsidione, & assiduis certaminibus, quamuis munitissimum sit, nisi submittantur auxilia, vinci deniq; non possit. omnia enim uel inexpugnabilia tempus & uirtus obsidentium & penuria rerum necessariarum denique superat. Horum consiliorum neutrum uisum est salubre Federico, alterum quod nimis timidum, & in quo summa inerat militaris turpitudo; si sua sponte se tanquam victum fugæ commisisset; alterum minime necessarium uisum est, cum tanta esset fluminis profunditas & altitudo, vt omnino insuperabilis appareret. misit tamen ducentos pedites Molburgum & centum equites qui reliquias pontis in tres partes diuisas succederent & concremarent, ubi erant triginta & quinque lin- Maisenæ deditio.

tres. putabat ſanè fieri poſſe ut non minus ijs paruis copijs in ea parte, quàm uniuerſis fluuium tuerētur, propter anguſtias & aggeres uadi: cum anguſtias domibus maximè protecti citra fluuium pauci multos reprimere poſſint. Peruenerant copiæ Cæſarianæ iam ad pagum quendam diſtantem ab Albi ad mille paſſus, quem uocant Serſemecerum, & ab ea parte præcipuè, ubi Saxones fluuium tuebantur. id etſi per exploratores ſignificatum fuerat Cæſari, tamen miſit Albanum cū magna ala equitum exploratum, qui nuntiauit periculoſum eſſe ne magnam æſtatis partem in ea difficultate traijciendi fluuij abſumere cogeretur: cum neque pons ullus eſſet, neq; ad conficiendum ulla commoda materia. nam conuecti lintres propter amplitudinem ſpatij non ſufficiebant; uadari autē propter profunditatem aquarum paditatus omnino non poterat. Cæſar eò ipſe profectus cum reliquis copijs, viſis hoſtibus in ulteriore ripa, ſtatuit omnino traijcere. non laudabatur Cæſaris conſilium ab ijs qui conſilijs bellicis adhibebātur, cum ſolutis lintribus traijcere in conſpectu hoſtium parum eſſet tutum; pontem extrui, neque amplitudo fluminis, neque uis hoſtium videbatur paſſura; quibus erat facillimū id prohibere. His accedebat quod Federicus caſtra habens propinqua facile pati poterat aliquam partem copiarum hoſtilium pertranſire. deinde ita inuadere ut uel ferro trucidarētur, uel in fluuio ſuffocarentur. Quæ quoniam rationi militari conuenire uidebantur, Cæſar neque eſt ab ijs territus aut retardatus, neque tamen omnino aſpernatus. iubet Hiſpanos Sclopettarios protendi ſecundum fluuium loricatos ac ſariſſatos cum ſex campeſtribus tormentis, apud hos conſiſtere in loco arboribus conſito, & Germanos, & in duas acies inſtrui in eadem planitie, quæ inter Albim & Serſemecerum intercedebat. adiutus fuit etiam nebulæ beneficio Cæſar & protectus, quæ mane orta tamdiu perdurauit ut nulla pars exercitus, qua tenderet iterve haberet alia poſſet proſpicere quare prius ad fluuium acceditur, quàm hoſtes id ſenſerint. ubi eò peruētum eſt omnis obſcuritas paulatim euanuit, Albiſq́; cōſpectus eſt, & hoſtis in altera ripa fluminis habens in caſtris ſex mil-

lia

sia ueteraniorum peditum & tria equitum, cum reliquas copias haberet Tumesiernes, & uiginti bellica tormenta. iubet Cæsar incolas eius regionis nonnullos capi, ut ex his possent uada fluminis cognosci; atque pontem interim è regione & in conspectu hostium confici. cognito Cæsaris consilio capti sunt nonnulli incolæ, sed omnes significabant fluuium non temerè esse tentandum, qui periculosus esset, ac difficilis cognitu. at Albanus mox incolam quendam se reperisse nuntiat, qui uadum optimè sciret, quæ res pergrata fuit Cæsari. Sed cum ad locum uadi peruentum esset, cognitum est hostes ex altera parte fluminis Sclopettarios & tormēta distribuisse in ripa, defensurosq; esse & impedituros traiectum non modo uadi, sed etiã prohibituros fieri pontem è lintribus; quos Cæsar secum aduexerat. erat autem ripa quam tuebantur Saxones multò superior & altior Cæsariana; in eaq; extructæ reparationes, quarum beneficio Sclopettarij aduersus Cæsarem protegebantur. Cæsaris ripa contra ita erat depressa & aperta ac plana, ut omnis aquarum excrescentium impetus eà ferretur: quibus Saxonum commodis illud etiam accedebat quod haberēt castellum, quod etsi uiribus exercituum resistere non poterat, tamen uadum & traiectum difficillimi fluminis egregiè poterat impedire. Pars rursus agri in qua Cæsar constiterat ita erat rasa & aperta, ut nihil omnino appareret præter nonnullas densas arbores à fluuio distantes. Equites nonnulli Cæsaris desiderio cognito non ferentes moram neque expectantes uadi ducem gloriæ desiderio omni molestissimo stimulo acutiore compulsi audacter fluuium ingrediuntur, natantibusq; equis ad ulteriorem ripam incolumes decem perueniunt. Surgebat agger in ea ad altitudinem decem pedum cum nõnullis domibus ex altera parte, ex altera Sylua, in quam haud facile inspici posset: ad eius frontem in aperto loco apud fluuium erant nonnulli equites; ad aggerem uero & intra domos pedites qui fluuium tuebantur: habebat is profunditatem quatuor pedum plerunque, at in alijs locis paulominus, in alijs multo etiam magis erat profundus: eratq; tantus aquarum excurētium impetus, ut is esset instrar magnæ profunditatis

tatis cum latitudo pedum.300. illi equites ui hostium ob paucitatem facile repelluntur, coguntur rursus fluuium ingredi, quorum nonnulli in fluuio perierunt; alij se incolumes ad suos seruarunt, cum interim Federicus parum de uiribus Cæsariani solicitus explicationem euangelicam diligenter attẽderet, ut adulterina ferebat interpretatio. Cæsar quòd uideret ita munitam esse ab hostibus ripam fluminis, ut aliquo artificio opus esset, aut ui insigni, iubet ad eas arbores, quæ distabãt ab aqua nonnulla tormenta in hostes dirigi, milleq; sclopettarios locat, qui in hostes uicißim disploderent ne tam apertè, tamq; tutò ripa sine controuersia potirentur: ut possent & Cæsariani ad suam ripam, quamuis esset aperta accedere; quod etsi magno fiebat cum periculo ac difficultate, tamen fieri omnino necesse erat. Enimuero tanta animi magnitudine id factum est à nonnullis Cæsarianis, ut uel supra pubẽ aquã ingreßi sint, quò sclopetis è propinquiore spatio hostẽ impeterent. Saxones sclopettarij ad eam Cæsarianorum audaciam reprimendam in lintribus secundo flumine uehebantur, quare Cæsarianis in apertam ripam exire necesse fuit. ceptum est leue prælium ab utraq; ripa, cum Saxones sclopettarij & tormenta Saxonum Cæsarianos undiq; impeterent. at Cæsariani etsi erant in loco inferiore, tamen & ipsi maxime Saxones infestabant. Cæsar mille Sclopettarios rursus procedere imperat cũ Arzecastrorum insubrum militum magistro ad hostes etiam acrius uexãdos, quare tam frequens erat utrinq; Sclopettariorum uis et procella, ut salutatio militibus potius, quàm leue prælium posset uideri. Saxones qui erãt in lintribus partim cæsi sunt, partim quia uerebantur ne lintres uenirent in potestatem Cæsarianorum, cum eos in tutum attrahere non possent, concremarunt. alij propter procellam glandium à Cæsarianis efluentiũ non audebant ripam ascendere, prostratiq; iacebant in lintribus, quia si consurgerent uidebantur in magnum periculum incurrere. Sed iam pons Cæsarianus ad ripam conuectus fuerat; uerumtamen cum tanta esset amplitudo fluminis lintres illi non uidebantur sufficere, quare necesse fuit aliquo pacto ab hoste lintres reliquos extorquere. Saxones quia tantã uim

Pugna ob traiectum albis fluminis.

tantamq́; procellam Cæsarianorum ferre non possent, animo paulatim concidunt, & sensim recedũt à fluuio, non ita tamen ut non essent reliqui multi ripæ defensores. Cæsarianis contrà ita auctus est animi impetus, & spes certa uictoriæ innata, ut uiderẽtur omnia uel difficillima facile superaturi: quippe cũ tantundem audaciæ uictoribus succrescat, quantum uictis & profligatis solet imminui. nonnulli igitur Hispani gloriæ stimulo permoti positis uestibus strictos gladios mordicus capientes fluuium ingrediuntur, ad lintresq́; natant, in quibus ita Saxones latebunt prostrati. etsi ex altera ripa frequentes glandes à Sclopettarijs saxonibus in hos effundebantur, tamen ab incepto minime deterrentur, quin ita inermes armatos in lintribus trucidant, lintribusq́; potiuntur nõ sine magna utriusq; exercitus admiratione & suorum laude: quippe cum decem tantum nudi triginta & quinque ceciderint. Albanus interea rusticum hominem incolã eius regionis adducit ad Cæsarem, qui Molendina in ulteriore ripa habitare solitus erat, tanta eius fluminis peritia ut nemo eius regionis magis fluuij singulas partes cognosceret. accedebat huic peritiæ incredibile odium aduersus Saxones, quo maxime impellebatur ad ultionis desiderium, cũ illi duos equos Saxones pridie eius diei rapuissent. quare se ultro ducẽ uadi & indicem futurum albano professus est. iubetur igitur pons è raptis lintribus ad ulteriorem ripam protendi coniunctis Cæsarianis, quo mox per eum uniuersus peditatum transiret. atque cum ripa vlterior libera apparuisset, iubet Cæsar equitatum per uadum ingredi ab eo aggresti indice ostensum. Imperat ad pontis custodiam nouem uexilla Germanorum, tria scilicet è singulis Reggimentis, & quingentos equites consistere. atqui tametsi nonnulli Saxones sclopettarij infestabãt, tamen Cæsarianus equitatus tanta alacritate traijcit ad ulteriorem ripam, ut primi eò euadentes non minus tuti quàm in sua ripa reliquos expectarent. Ea re uisa Saxones de spe tuendæ ripæ prorsus decidunt, atque conspecta tanta equitum multitudine ac peditum in se irruentium deserta ripa tanta trepidatione replentur, ut reliquam spem salutis in fuga collocantes

Cęsar Albim fluuiũ uadat duce rustico incola.

tes

tes ferè uno tempore cũ admiſtis Cæſarianis ad caſtra ſuorũ peruenerint. Cæſar cũ vadũ duce illo agreſti homine traieciſſet, certatim omnes traÿcere contendunt, aliÿ ab equitibus in traiectu accipiuntur, aliÿ in lintribus ſemiuſtis, aliÿ in excauatis trabibus, quæ erant in ulteriore ripa contis pro remis uſi portitorum munere fungebantur. ita magna militum manus ad ulteriorem ripam tranſuecta eſt. Agreſti Cæſaris iuſſu duo equi & centum nummi aurei conceſſi. ponte extructo prius Hiſpanus deinde Germanus peditatus præterit. accedũt ad Federicum fuga ſeruati è ripæ cuſtodia, enunciant Cæſarẽ Albim traieciſſe cũ magnis copÿs, quare is caſtra mouet. Sclopettarÿ ab equitibus uecti leuibus prælÿs cum hoſte decertant ut eum ab inſtituto itinere retardarent; qui tamen quo diligentiore ſtudio & ordine poteſt iter facit uniuerſo exercitu in duas phalanges diuiſo: quarum hæc parua erat, illa amplior. ita uerò erant acies collocatæ, eoq; ordine Saxones procedebãt ut ſi Pannones aut leues equites Cæſariani inſtarent, mira quodam celeritate conuoluerentur, locumq; concederent peditibus ad iter conficiendum. Cæſar properato gradu cum armatis equitibus hoſtem inſequitur, inuentaq; crucifixi imagine glande per iniuriam trãſfixa ſublatis ad cælum manibus præcatus eſt ut poſſet eas religionis & contempti Dei iniurias ulciſci. tum per latam apertamq; planitiem iter peragit. cum uerò puluis ſublatus oculos offenderet, Cæſar à uia diuertit, manumq; oculis prætendit ut proſpiceret quæ forent exercitui neceſſaria, periculumq; omne deuitaret, quod ſæpius compertum eſt imminere exercitibus, niſi phalanges opportuno ordine procedant. oſtendit enim ſæpius experientia diſciplinarum omnium magiſtra, quòd prima acie profligata ſolet & Phalangem in fugam uertere, niſi illi opportunè ſuccurratur, atque in opportuno loco conſtiterit. Idcirco Cæſar ita ſe comparauit paulum à uia recedens, ut ſi prior acies in periculo uerſaretur, ipſe cum ſuis & Ferdinandi turmis laborantibus rebus poſſet ſuccurrere, atque in hoſtem impetum facere, qui tam inſtructus procedebat, ut ita facere omnino neceſſe eſſet. Nam locorum acierumq; hoſtilium ratio ſæpius nos mo-

net

net quis ordo in mouendis castris sit tenendus, quum plures sint mutationum opportunitates, quàm ut sub præceptis militaribus comprehendi poßint. at uerò cum Saxones uisis propinquis Cæsarianis non satis commodè possent in aciem instrui propter repentinum aduentum, omniaq; tam plena essent trepidatione & metu Federici castra, ut propè per seipsa in fugã versa sint, tanti est celeritas in rebus militaribus. Cæsariani qui præcesserant propter paucitatem constiterunt, dum uires augerentur, quæ aßiduè pluribus accedentibus succrescebant. Federico interea datum est tempus instruẽdi exercitus, si non ut consueuerat ferebatq; ratio bellica, at saltem ut postulabat præsens neceßitas; in duo agmina peditatum distribuit, ad quorũ alas collocat equitatũ, ac in medio bellica tormenta et impedimẽta. Cæsariani ita interea aucti fuerant, ut non dubitarent cum hoste congredi Scuueni Zum uersus iam capiente iter leuibus prælijs primùm certatur, sed Saxones iter cœptum peragentes de illis parum fiunt solliciti, cum strenuè nõ modo resisterent, uerum etiam non sine clade ulterius progressos repellerent. Postea cum Albanus cum magna equitum manu apparuisset, ad pulueris elati nebulam ueriti adesse uniuersas copias Cæsarianas, iter accelerare apparent; qua re cognita nonnulli è Cæsarianis equitibus genus quoddam fugæ rati sublato clamore magno impetu Saxonas inuadunt; cataphracti nonnulli, qui aderant in apertiore loco, circundare ex altera parte Saxonas conantur. at magna ala Sclopettariorum equestriũ è castris Saxonum egreßi tanto impetu, tantaq; procella, tamq; horribili Cæsarianos equites petunt, ut nemo ausus esset cõsistere, sed statim fugam arripuerint, atq; inter cataphractos refugere coacti sint. Erant hi milites in finibus Vngariæ, Poloniæ, & Croatiæ collecti Bartholameo croatto duce, viri sanè bellicarum rerum periti, ac veterani. Federicus horum uirtute cum suorum animos aliquantulum cõfirmatos intelligeret, iubet pedites comitis Beicolingæ, quibus plurimum fidebat, & equitatum Io. Ponicauij atque Gangulphi Eilingensis aduersus frontem hostium institui. iubet si inuadantur ac infestentur simulent se cedere, donec opportunè

dare-

daretur signum pugnæ. ea dum fiunt à Federico tantum processerat Cæsar cum Rege, ut ad Albani equitatum peruenerit: quare oblatam sibi pugnæ opportunitatem ratus uti cupiebat, quòd inclinaret iam dies communicato suo consilio cum ducibus insignioribus ita exercitum instruit in aciem in primam frontem ac phalangem. in fronte locat sexingentos equites Mauritij lanceis armatos, equites Vngaros sexcentos, præterea & Italos septingentos, qui omnes ad duo equitum millia accedebant: & centum Sclopettarios equites. Vngaros à dextra, à sinistra Germanos, in medio Italos locat cum omnes in tres turmas diuisisset. è reliquis copijs instruunt agmẽ quod in duas partes diuidit. in altera præficitur Rex Ferdinandus, in altera ipse affuit, cum altera septingentis, altera mille equitibus constaret, quorum alij lanceis, alij Sclopettis uterentur. iubet Cæsar suas copias ita procedere, ut frons ualde lata efficeretur, diuerso ordine atque solent Germani, qui angustiorem frontem, latera ampliora efficiunt, ut ea maiorem numerum præ se ferret. Quippe quòd is ordo non ad aspectum tantum plurimum conferat, sed ad securitatem etiã; si tamen natura loci ita patiatur, cum non ita facile possit ab hostibus propter amplitudinẽ circumueniri: quod non magna difficultate, si phalãx angusta extiterit, potest cõtingere. Federicus habebat, ut dictũ est sex millia peditũ in duas phalanges distributos, & nouem equitũ uexilla qui erãt duo millia et sexcenti & octoginta; qui per suas phalanges oberrans rebus opportunis consulebat, ille cum solam Cæsarianorum frontem prospexisset, quod puluis phalangem occultaret, sibi uisus est facillime eius pauci equitatus uim posse sustinere. Sed monitur parũper à suis recedere, ut diligẽtius aduersus quos esset pugnaturus intueretur, phalangem instructam prospexit, procedebat enim cum Cæsare rex in sua phalange cum Cæsare & princeps Allobrogum. quare cognito uniuerso equitatu, & ordine & consilio Cæsaris ad suos reuersus decernit nemus satis amplum paludosum quod erat inter utrunq; exercitũ inexplicabili uiarum ambitu occupare, cum eius beneficio arbitraretur se possè in noctem certamen differre, quòd tutas redderetur ibi futurus,

in noctem certamen differre, quòd tutus redderetur ibi futurus. at tantum erat aperti spatij inter ipsos exercitus, quantum sufficere uideretur ad congressum, cum in trecentos & amplius passus planities esset protensa, ea si potiti essent Cæsariani putabant facile fore ut hostem profligarent; quare eo cōsilio Albanus leuiores equites præmittit qui omni industria niterentur hostem impedire, quominus eo situ potirentur. sed quoniam in ea parte constiterat peditatus, & duæ alæ equitū, coacti sunt Cæsariani ad suos redire re infecta. Albanus præter expectationem suos repulsos dēsiore ala Germanorum obfirmauit, ipseq; cæteros ad gloriam & strenuitatem cohortatur. conferebat plurimum ad omnia eius mandata peritia militum, qui omnia militaria mandata citissimè & accuratè exequebantur: quare renouato prælio ita hostem infestant, ut propè in fugam uerterint. Federicus perspecta animi imbecillitate suorum ne vndique ab hostibus circunueniretur, præoccupareturq; uia salutis, turmam equitum acciuit à sinistra, iubetq; laborantibus succurrere, suosq; pro breuitate temporis ad fortitudinem gloriamq; auitam tuendā cohortatur in hūc modū. Nisi uobis cōstaret cōmilitōnes uniuersam propè nobilitatē gloriamq; humanā in re militari cōsistere; opus esset ut pluribus verbis demonstrarē nulla ex alia re maiores uestros existimationem, gloriam, & imperium quæsiuisse, uobisq; diuinas eorum & admirabiles res gestas in memoriam reuocarem. Sed quoniam non ita fert temporis angustia, quæ magis animorum fortitudinem ac robur corporis requirit, quàm ullam dicendi facultatem: id tantum dico, quòd hoc ipso tempore nobis est de rebus omnibus nostris dimicandum, quarū conseruatio in sola fortitudine & ui armorum sita est. Nam si uiri fortes & strenui, quales profectò debemus, uelimus esse; felicissimus, & posteris omnibus maximè memorabilis hic dies nobis illuxerit; in quo licet, non dicam facultates, patriam, libertatem, religionem, uxores, liberos defendere; quamquam per seipsa hæc carissima sunt, & digna pro quibus omnia pericula propulsentur; neque recuperatum principatum Saxoniæ conseruare; sed cum maxima laude & admiratione om- Federici oratio.

nium exterarum gentium ampliare gloriam Germanici nominis, imperium liberum Germaniæ uendicare, cæteros hostes Germanici nominis à vexanda Germania deterrere, atq; in perpetuum tranquilla & gloriosa pace potiri. At contrà, si cedamus fortunæ, quæ audacibus plerunque, timidis & uerecundis per raro amica est; nobis est necesse in manus hostium per summam turpitudinem venire, omniaq; præsentia bona vno tempore amittere. His rationibus Saxones aliquantulũ sunt confirmati: quibus vt opportunum uidebatur instructis ipse cum sua ala equitum constitit ante peditatum ut confirmaretur, quòd illi non parum diffideret. Hernestum Bransuiccensem Regulum præficit cum summo imperio equitibus Nicolai Bernardi & Ioannis Segherniij, quos firmißimos fore putabat in dextro cornu aduersus Cæsarianos. statuit igitur Federicus ut si acies à Cæsarianis inuaderentur, sclopettos omnes disploderent, semperq; ordinem seruatos impetus hostium sustinerent, neminem iubet è suo loco recedere, sibi curæ fore ut opem ferret, cum opus esset. atque ita sensim expectabant Cæsarianorum impetus, ut imperatum fuerat. Federicus ipse thorace indutus nigro argenteis ac liuentibus lineis ita miro artificio variegato, & propè arte Phrygionica affabrè factus videretur, super interula è minutißimis anulis intertexta, equo inuectus fuluo huc illuc rebus opportunè prouidens percurrebat. Federicus iubet equitatum & nonnullos sclopettarios Cæsarianos infestare, quò commodius reliquus peditatus ad nemus secederet, cuius patrocinio tutus fore videbatur: qui strenuè sanè inuadunt. At per id tempus Cæsar iam cum prima suorum fronte sese coniunxerat, & breuiter ad prælium cohortatur, datis nominibus, Georgij, hispaniæ, imperij. Est enim consuetudo militaris non solum ad tutelam castrorum, ne clam ab ignotis hostibus ea inuadantur nocturno tempore, aut ne impune exploratores vltro citroq; commeent, toties ut mutentur nomina, quoties nocturni uigiles & custodiæ, quod fieri solet tertia quaque hora plerunque: verum etiam cum bellum geritur in quo utrinq; pugnent homines eiusdem nationis, ut nomina dentur ad dignoscen-

Dare nomen militare, est rẽ ab imperatore nominatam scire ad indicium fidei

gnoscēdos suos ab alienis; quæ nescientes hostes iudicentur, cū omnia agmina Cæsarianæ incederent, ventum est ad canosum locum, ubi cum equi complures ut in lubrico laberentur, necesse fuit alæ se explicare donec frons prima transiret, ne ambæ phalanges perturbarentur, atq; commiscerentur. hac ratione perfectum est illis secedentibus, ut frons ante opportunū tempus pertransierit, quo tempore Saxones erant prælium cōmissuri, qui in leniores equites satis apto ordine impetum faciūt. ea rei bene gerendæ opportunitate cognita Cæsar ex altera parte cataphractos equites misit, ex altera sclopettarios & Mauritium ut Saxonum partem, quæ timidior uisa prius fuerat inuaderent. ceptum est prælium in dextro cornu, unde displosis à Saxonibus, ut imperatum fuerat omnibus sclopettis uno tempore primum uisum est atrox prælium. at irruentibus ex altera parte in latus leuibus equitibus Italis & Vngaris, nullumq́; commodum replendis Sclopettis concedentibus, hinc instātibus cataphractis Neapolitanis, Mauritijq́; sclopettarijs tanta uirtute fit undiq; impreßio in Saxones, ut prima acies, quæ iam nemus ingrediebatur, aperta dißipataq́; fuerit. Mirū fuit quàm breui temporis spatio, & quasi momento omnes Saxonum copiæ prostratæ profligatæq́; fuerint: incredibili celeritate Pannonibus & leuibus equitibus sequentibus uictoriam, cui rei maximè apti sunt Vngari. Sunt enim leues Vngarorū armaturæ cum lanceis primum utantur, & scutis alarum formam præseferentibus galeæ priore parte faciē tuente carent, pro qua ferrum est quoddam suspensum donec cesserit lāncearū usus. cum uerò comminus ad arma uentū est, acinacibus aut malleis pro ensibus res geritur, ferrumq́; ad faciei tutelam demittunt. rari sunt thoraces gestantes, aut minutis anulis contextas interulas, cum reliquū corpus sit inerme, quare & ad fugam, quam sibi non turpem putant, incursionibus potius quàm firmo ordine pugnantes, & ad insequendum ob leuitatē maxime sunt apti. Federicus etsi nitebatur suis opportunè succurrere, matureq́; rebus omnibus prouidere, tamen cum tātum suorum prostratorum numerum intuetur, decreuit se in nemus seruare, quòd intelligeret reliquis nullo pacto posse

Dux Saxonum Federicus profligatus & captus.

resistere. Sed cum forte à captiuo quodam fuisset indicatus ho stibus, ad quod credendum Regius ferè aspectus, & uenerabilis principis maiestas uidebatur persuadere. illi duo primum Itali Saxonē insequuntur, qui cū à suis egregiè defenderetur, accedentibus nonnullis Cæsarianis post non leue prælium ab Hipolyto Portio Vincētino duce equitū captiuus factus detracta galea captiuitatis indicium accepit galerum. cum ad nemus à Cæsarianis postea accederetur tot arma prostrata & proiecta reperta sunt, tot cadauera cæsa in itinere, ut & lacrymabile suis, & cæteris nō leue fieret impedimētū, cū alij fratres, alij alios coniunctos à se cæsos intuerentur. tātus erat præterea captiuorū numerus ut multi Cæsariani quindecim aut uiginti captiuos uinctos traherent. Sed quoniam prædæ auiditate nimis dispersi Cæsari equites uagari uiderentur, quod non leue periculum est inter uictorias, ne ignota auxilia hostibus aduenientia uictores dissipatos nullo negotio fundant, quod non semel euenit, iubet Cæsar cataphractos reuocari, & cani receptui. illud sanè consiliū optimum fuit stabiliendæ confirmandæq; uictoriæ: cum non minus uictores, quàm uicti essent dissipati. Nūtiatur Cæsari captum esse Federicum, adductumq; fuisse ad Albanum, qui mox ad ipsum Cæsarem fuit adductus: atq; cum uellet detracto galero manum Cæsaris exosculari ex equo descendens id non passus est Cæsar. cum uerò uideretur intrepido animo & magis audacter quàm captiuo conueniat dixisse, potentissime atque clementissime Imperator nunc tuus sum captiuus, rogo ut mediocriter me tractes. Respondit Cæsar, nunc demum imperatorem uocas? at plurimum hoc nomen differt à pristino. Nā cum prius exercitum Fœderationis ipse & Lantgrauius ductarent, appellabant Carolum, qui se imperatorem esse arbitraretur. tum addidit Cæsar suis erroribus eò Saxonem adductū. ad quæ nihil respondit, sed oculos pudore demisit. mox datus est Albano in custodiam & ad curādum uulnus quod in facie acceperat missus. ceciderunt in eo prælio, quod commissum est ad septimum calendas Maij in agro Vittembergensi apud Syluam loccanam uocatam, ad duo millia Saxonum peditum, plures septingentis uulnerati, capti plures octingētis. ex equitibus desidé-

desiderati quingenti, capti multò plures, cum multi Germani à Germanis fuissent protecti. ex uniuersis illis copijs uix quadringenti equites, & totidem pedites se fuga Vittembergam seruarunt. ceciderunt insigniores pauci, capti præter Federicum Hernestus dux, Carolus Turingius, & duo à secretis Federici. Venerunt in potestatem Cæsaris per eam uictoriā decem & septem uexilla peditum, & nouem equitum. magna copia supellectilium, pecunia, bellicorum apparatuum copia, duo tormenta longiora, quæ colubrinæ uocantur, quatuor semicolubrinæ, quarum globi dimidium habent ponderis, quatuor semicannones, quinque uocati falconeti, quæ minora sunt tormenta, filius maior natu Federici Henricus Ioannes duobus acceptis uulneribus ex equo deiectus, à suis adiutus cæso qui uulnerauerat Vittembergam liber peruenit. ceciderunt è Cæsarianis ad quinquaginta, quod prælium hora undecima cæptum ad septimam usq; horam noctis perdurauit: nā Saxones pugnando ad quindecim millia passuum ab Albi fluuio con fecerunt. Atque ne uir clarißimus, rerumq; bellicarum peritißimus Aloisius Abulēsis Hispanus mecum furti agat, profiteor me ex eius commentarijs multa excerpsisse; quòd ille omnibus interfuerit, prudentißimeq; perscripserit, antequam ego ullam habuissem rei militaris cognitionem: pro quibus ut arbitror ille mihi ueniam facile condonabit. Clades Saxonum.

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER TERTIVS.



A dum ita geruntur in Germania, rēbus Cæsari feliciter succedentibus, Italia uarijs tumultuum fluctibus agitabatur, uarijsq́; in locis bellorū germina pullulabant. Nam Neapoli rebus ita constitutis, ut narratum est superius, prorex nouos milites quotidie in arcem admittere, qui iam ad quinque millia peditum excreuerant: & Florentiæ princeps Toletani gener auxilia submittere. ciues ueriti ne repente per induciarum opportunitatem opprimerentur omnes exules conuocant, scelestum planè & maleficum hominum genus, quorum erant ad quinque millia, quibus concessa est impunitas præteritorum scelerum post factas inducias per uniuersum tēpus quo ciuitas indigeret ad sui conseruationē. His multa indigna quotidie perpetrantibus solicitātibusq́; & uexātibus hispanos cōmissum est atrox certamē inter milites utrinque: tātus autem fuit tumultus, ut uniuersa ciuitas in armis constiterit, rursusq́; uentum sit ad leuia prælia, per quæ tormentis ciues plurimum sunt infestati. perdurauit ea pugna quindecim dies totidemq́; noctes assiduè, per quam multi utrinque ceciderunt, pluresq́; sunt uulnerati. Nam censa sunt ad quatuordecim ciuium millia, qui soli erant exules & iuuenes mercenarij: quorum erant octo millia supra sexcentos sclopettarios. interea Sanclius & Marchio uallis legati à Cæsare redeunt cum summa populi expectatione, fiunt induciæ cur Cæsaris consilium intelligatur, quod fuisse cognitum est ut ciues arma deponerent, & Toletano

Neapoli pugna diuturna.

no concederent; tunc autem cognitum iri quæ foret Cæsari sententia. iussus est Salernitanus princeps esse apud Cæsarem, donec res Neapolitana componeretur, quia maiores tumultus Cæsar verebatur. illud Cæsaris responsum acerbum visum est & periculosum ijs ciuibus, si armato hosti arma cōcedere, seq́ inermes eius arbitrio credere cogerentur; tamen quoniam nollent in maiores difficultates conijci, cū exterorum principū consilia inita aduersus Cæsarem uana & irrita fuisse conspicerent, statuunt esse parendum: omnes itaq́ arma ad Ioannem Suessanum delectum & Conseruatorem urbis comportāt, quæ ipse Toletano in arcem deferenda curaret. atque quāuis multa retenta sunt, tamen statuit Toletanus potius esse conniuendum in his rebus quàm summa seueritate utendum, cum populus non paruisse mandato nō posset uideri per illud facinus. ciues rogant Toletanum ut Cæsaris sentētiam aperiat, qui paulo post in arcem omnes magistratus urbanos conuocauit ad eam audiendam. conuenerunt frequentes, at multi tamen sibi timentes abfuerunt. His ingressis oppidulum elatus est pons, quæ res nō mediocri terrore affecit intuentes exterius. at prorex ijs perhumaniter allocutus dixit Cæsarē ueniā cōcedere urbi, quæ arma sumpserat, quia constaret nullam esse rebellionis suspicionem, cum simularet se ignorasse cum alijs exteris principibus communicata consilia. ea significata sunt populo cum magna lætitia. paucis interiectis horis Toletanus triginta & sex ab illa uenia exceptos pronuntiauit, inter quos principes fuerunt Ioānes Suessanus, Cæsar Marmirus, Prior Barij, qui omnes eodem die statutum est in collaterali cōcilio ut capti necarētur. At uero cum facti fuissent certiores Romam confugiunt, perpetuo exilio damnantur, quorum bona fisco sunt addita. illud statutum quoniam è consilio Toletani, at non è sententia Cæsaris, paulo post uiginti & quatuor ex illis reuocantur ab exilio, deinde reliqui omnes præter tres prædictos, & eos qui pro Galorum rege per id tempus millitassent. sic igitur mira quadam dexteritate consopiti sunt tumultus, qui Pontifice assentiente cum magna utilitate Regis Galorum uidebantur excitari. Nam felices rerum Cæsarianarum euentus in

Neapolitani arma deponunt ad Cæsaris iussum

Cæsaris indulgentia erga Neapolitanos.

Germa-

Germaniæ non mediocriter animum utriusq; principis torquebant, qui arbitrabantur nemini satis tutam esse nimis potẽtis principis uicinitatem: quòd videretur Cæsar Germanica uictoria elatus, insigniumq; populorum uiribus auctus uniuerso mox Italiæ & Galliæ imperio imminere, retrahendum igitur à tam felicibus successibus existimabant per rerum italicarum motus, si varijs in locis fluctuarent. Nam cum Cæsar summo studio curasset ut synodus antistitum Tridenti haberetur, cognouit postea Pontifex futurum ut nihil cõmodi ex eo concilio reportaret, sed potius eius autoritas uersaretur in magno discrimine, quare patres Tridento Bononiam acciuit, quod Cæsarem grauiter laturum sciebat. neq; tamen hoc vnum uexabat animum Pontificis, sed etiam multò magis magis Petri Aloysii Farnesii filij mors uiolenta Placentiæ Parmeq; ducis recentis, quem anno superiore Pontifex patrum purpuratorum omnium consensu eo principatu insignierat. Vexabat Henricum secundum Galliarum Regem non solùm uicinitas nimis potens Cæsaris, quæ omnibus regibus semper est suspecta; sed etiam principatus Sabaudiæ in Subalpina Gallia, qui Carolo duci fuerat ereptus, cum pateret futurũ ut de illo contenderetur; quia Carolus dux spoliatus ad Cæsaris fidẽ misericordiamq; cõfugerat. Tentatus est igitur à Gallis Ioãnis Aloysii Phlisci Genuensis Sinibaldi filij aĩus, per quẽ Galli & classem & vrbem Genuam occupare conati sunt. Erat hic Ioãnes Aloysius Phliscus Iuuenis eius ciuitatis primarius autoritate, ingenio, firmitate corporis, ac valde potens propter generis nobilitatem, liberalitatem, & opulentiam. erant autem duæ factiones in ea ciuitate, quarum alterius principatum tenebant Spinulæ & Auriæ familiæ nobilissimæ; alterius Phlisci & Grimaldi præcipue eius ciuitatis. reliqui ciues harum factionum principes sequebãtur, cum alij imperatorijs partibus, alij Gallicis fauerent; quas Fregosas & Adornas uocabant: quæ eadem factio erat in omnibus propè italiæ partibus, sed alijs nominibus alibi uocabatur ut in Insubria Guelpha & Gebellina, in latio Nigra & alba. per eam enim factionem uel potius insaniam diuinitus ad euellendam

Phliscorũ facinus conantiũ Genuam occupare.

R pro-

prosternendamq; sceleratorum hominum immissam genus, multa millia mortalium miserabiliter nullo proposito victoriæ præmio cæsa sunt, cum odia p ropè inextincta orta fuissent inter nationes & ciues eiusdem ciuitatis, & sæpius in eadem familia ac domo nulla probabili de causa. florebat per id tempus maximè Auriarum familiæ splendor & autoritas ac magnificentia, sed Phlisci eam amplitudinem minimè grauiter ferebant, ut solet in huiusmodi controuersiis accidere; cum in vnum Principem Auriam oculos conuerterent; quo extincto cætera omnia Auriæ familiæ lumina parui fieri posse à Phliscis uidebantur. neque verò tanti fuerunt frequentes nuptiæ hinc inde contractæ, neque affinitates, aut mutua inter familias has beneficia ut uetera & occulta odia possent delere, aut efficere ut principis Auriæ amplitudo à Phliscis æquo animo perferretur. His omnibus optimè cognitis à Petro Aloysio Farnesio Placentiæ principe clam egit cũ Io. Aloysio Phlysco ut trucidato Auria principe triremes occuparet, vrbanos excitaret tumultus, & Genuam Gallo aperiret: quod sanè non sine Pontificis consilio ob prædictas causas fieri uidebatur. ad istud ipsum negotium etsi antiqua odia impellabãt, tamen multo magis sollicitasse uisæ sunt Pontificis & Henrici regis ingentes pollicitationes & honorificentissima promissa si res ad exitum perduceretur: quippe cum illa urbs plurimũ posset rem Gallicam augere in Italia, quæ non mediocriter Cæsarem infestaret, cum sit terrestribus classicisq; rebus peraccommodata. Est enim Genua urbs nobilissima in Italia Liguriæ metropolis, in ora maris tyrrheni, quod etiam ligusticũ appellatur, è regione cyrnæ insulæ sita, opibus, potentiaq; præstans, & propter ædificiorum pulchritudinem propè admirabilis; quam uel ante Christi aduentum extructam fuisse multos annos memorant, quo tempore Dardanus primum Troiæ imperauit. habet nauale accipiendis classibus accommodatum, semperq; ferè dedita fuit rebus Gallicis ab anno 1390. salutis nostræ quo tempore Carolus sextus Gallorũ Rex ad eius urbis tutelam fuit accitus. nam multis parum placebat multorum imperium, ut quod multorum tyrannidi huc

Genuæ descriptio.

illuc res publicas distrahentium, at non paterna charitate gubernantium similius videbatur, quare magis placuit à legibus Gallorum, aut à Mediolanensi regulo quàm à suis magistratibus gubernari. Sed modo eiectis modo receptis Gallis Adornorum Fregosorumq́; opera & dissensionibus, denique illis familijs, per quas tot mutationes passa fuerat ex vrbe eiectis, denique libertate usa est per Andream Auriam, qua nunc etiam fruitur. Petrus igitur Aloysius Farnesius partibus Gallicanis adhærens, ut res occultius ageretur, procurauit triremes Pontificias Phlisco uendi ad exercendam piraticam, ut profitebatur; expurgandumq́; mare ligusticum latrocinijs & prædationibus barbarorum. At re ipsa per eam opportunitatem alendarum custodiarum triremium illi concedebatur facultas sine suspicione affectatæ tyrannidis multos armatos colligendi ad ea consilia, quæ in animo conceperat: & Gallo satis honesta ratio oblata apparebat ut Massiliæ classem instructam haberet ad oram Gallicæ regionis tutãdam; quæ tamen instructa ad submittenda auxilia in Italiam opportunè fuerat. acceptis triremibus multos armatos conuocat Genuam, consilium cum Principe Auria communicatũ collaudatur, quòd ea ratio ad experientiam rerum maritimarum, & per eam ad honorificentissimos honoris gradus peruenitur. cum præsertim rebus maritimis aptissimum genus hominum sint Genuenses, qui semper in ea peritia primas partes obtinere crediti sunt. participes facit Phliscus nonnullos suos propinquos & amicos, atque in primis Io. Baptistam Verrinum virum celeritate ingenij & facultate orationis nemine eius ciuitatis inferiorem, & non minus strenuitate corporis, quàm oratione promptum: qui uniuersum consiliũ ad exitum informat. Decernitur ut stato die Auria princeps ad conuiuium aduocaretur, & Ioannes Figueroa Cæsaris orator, & Adamus centurio socer Ioannettini Auriæ, alijq́; complures eius factionis, atque post cœnam omnes trucidarentur; quare facile futurum uidebatur ut & triremibus & urbe potirentur. istud autem facile futurum apparebat, cũm imperatum esset multis ut è castellis finitimis ipsius Phlisci in urbẽ Astutia Phlisci.

per vallem Besagni. famā est Ferrandū Gonzagam, qui erat cum summo imperio in præfectura Mediolanensi fecisse certio rē per literas Figueroā se cognouisse per exploratores sermonem esse apud proceres Galliæ occultū de tumultu Genuæ per Phliscum quendam excitando, per quem periculosum erat ne vrbs ipsa in potestatē Gallorum veniret. eas literas Figueroa Auriæ ostentat, quibus addit se suspecta habere Io. Aloysii Phlisci consilia. at Auria qui apud se Aloysium educauerat, magnopereq́ amabat, respondit se non posse credere tantum sceleris in eo iuuene concipi; quippe cum faciat beneuolentia ut uirtutes ampliores, uitia uel nulla, uel perexigua in amicis appareāt. Auriæ per id tempus auctus podagræ dolor tanta crudelitati illum subtraxit cum domi iacere necesse fuerit conuiuij tempore. Phliscus ueritus, si tempus differatur, ne sua paterent consilia quæ cum multis communicata diutius occultari perdifficile est, statuit alia ratione rem aggrediendam. cōuocatis igitur omnibus uel affinitate vel non uulgari amicitiæ uinculo coniunctis, aut illis etiam qui audaciores uiderentur, quorū primarij fuerunt Petrus Franciscus Phliscus, Hieronymus & Raphael Sacchi, Franciscus Marchio, Benedictus Ciresius, Franciscus Verzius & alter Curlius, Gaspar Bottus, Io. Baptista Verrinus, Hieronymus Magidus, Scipio Carsettus, alijq́ complures, eos hortatur ad negotium strenuè inuadendum, proponit utilitatem quam ex eo periculo sunt relaturi. pollicetur honorificentissima munera regis nomine. literas etiam fictas demonstrat quibus iubebatur à Cæsare Ioannettinus Auria Phliscum occidere: addit se velle priorem hostem patriæ aggredi, patriamq́ ipsam à iugo seruitutis soluere, & pristinæ libertati restituere. futuros tanti, tam egregij, tam laudabilis facinoris adiutores ac defensores Pontificem & Gallorum Regem; neque passuros ut denuo opprimerentur, posse per eum modum immortalem gloriam, & incredibiles laudes apud posteros omnes comparari. cum è conuocatis nonnulli Phliscorum consilio repugnarent, φ periculosum & difficultatum plenum uideretur, & aduersus tranquillitatem patriæ susceptum, inter quos fuit Paulus Pansa,

sa, & Io. Baptista Iustinianus, illi intra domum sunt custodijs traditi ne magistratibus prius aperirent, quàm ad negotium accederetur. ad quartum igitur nonas Ianuarij præsentis anni prima uigilia cum armatis domo egreditur comitantibus Cornelio, Ottobono, & Hieronymo fratribus. Distributi sunt coniurati in tres partes, qui erant plures trecentis, atq; singulis partibus propria prouincia assignata: iussus est Cornelius primùm portam testudinis occupare ad accipienda auxilia suorum, cùm is præesset illi parti copiarum. Secundæ præfectus Ottobonus iubetur portam sancti Thomæ occupare, quà petebatur palatium principis & Ioannettini. ipse cũ tertia parte nauale aggreditur, conaturq; triremes occupare. occupatæ sunt portæ illæ, ut iussum fuerat, omnesq; qui resistere conarentur trucidati: sublato igitur strepitu, omnibusq; trepidatione repletis, Ioannettinus Auria, qui dormiturus erat extra palatium, sumptis armis ad principis defensionem accurrit. cum ad portam vrbis accesisset ab Ottobono, qui eũ præstolabatur, circumuẽtus cæditur. eo nuntio allato ad Auriam principem expedibus laborantem, cum omnia armis misceri audiret, & undique libertatem & Phliscos conclamari, conscenso equo clam paucis indutus ad oppidum ex vrbe profugit per extrema frigora; quod inde distabat ad quinq; millia passuum, sub auroram eò profectos ubi paululum vires resumpsisset nauiculam exploratoriam cum paucis consensuro, ut longius etiam aufugeret, nuntiatur trucidatum fuisse Ioãnettinum; triremes à Phliscis occupatas, urbem esse in eorũ potestate. Iam omnia pro votis Phliscorum occupata fuerant, & nisi mors inopina Aloysii, fortunaq; eius urbis it.. tulisset, Galli ciuitate illa potiebantur. At ea ita tulit, ut Phliscus gladium scutumq; tenens dum ex alia occupata in aliam triremem occupaturus transiret (nam primis expulsis custodibus nouas custodias imponebat) in mare deciderit cum pontem vnius, simplicisq; asseris conscendisset, qui nullum par pondus haberet ex altera parte. suffocatus est igitur Phliscus propter armorum, quæ gestabat pondus obscuritatemq; noctis cum nemo eum lapsum sensisset, neq; vllius opera fuisset adiutus.

Mors aloysii phlisci.

tus. cum postridie eius diei illuxisset, omniaq; armis fuissent occupata, re cognita ob mirificam populi in Phliscum beneuolentiam, audita præsertim cæde Ioannettini & Principis Auriæ fuga, uel conclamata ubique libertate, nemo uisus est atrociter eius consilijs aduersari. Sed cum Aloysius princeps et auctor eius negotij nullibi mane inueniretur, asseclæ territi, uel non aduersante populo, propè in fugam vertuntur. Senatus persuadet fratribus Phliscis ut ex urbe exeant, quod statim factum est promissa in perpetuum illis obliuione rerũ ita gestarum. At Hieronymus Montolium quod erat eius oppidũ munitißimum in ijs montibus finitimis profectus, postea Cæsaris iussu expugnato oppido capitur cum Verrinio ab Augustino spinula, alijsq; ducibus patrum & capitis condemnatur. reliqui asseclæ & coniurati publicè iugulantur. inuentum est

Phlisci supplicium.

et principis Auriæ, qui Genuam audito nuntio reuerterat, iussu cadauer Phlisci Aloysii sub prora cuiusdam triremis, & rursus in mane deiectum. Solo æquata sunt præterea magnifica Phliscorum ædificia Genuæ, omnia castella capta, & fisco addicta, tituli & honores erepti, omniaq; bona prorsus adempta. Sic effectum est ut ea familia, quæ antea amicis, opulentia, magnificentiaq; in urbe florentißima enituit, quasi momento temporis ad imum infelicitatis gradum sit delapsa & deiecta. Ea res quòd irrita uanaq; fuisset, non parum credita est eorum principum animos uexasse: qui res italicas turbare, animumq; Cæsaris ab ea victoria reuocare conabantur, cum omnia suorum consiliorum fundamenta corruisse prospicerent, neque enim claßis quæ Maßilia Neapolim Phlisco duce appellere statuerat, iter cepit; quare Neapolitani omni spe auxiliorum destituti simularunt se nunquam defectionis suscepisse consilia, sed quæsitionem tantum renuisse. Cæsar percepto successu rerum Genuensium visus est grauiter tulisse mortem Ioannettini; quarum pontificem & Gallorum Regem autores ratus, consultoremq; Petrum Alosium Farnesium Pontificis filium, indignationem in magis opportunum tempus dissimulat. neque enim ratio præsentium bellorum postulabat aut patiebatur ut eodem tempore bellum etiam in Italia aduersus

Petri Aloysii Farnesii mortis causa.

uersus potentißimas nationes, non necessarium tunc præsertim excitaret. cœpit tamen in animo clam secum excogitare quo pacto eas iniurias utiliter ulcisci posset: quod consilium sæpius cum principe Auria & Fernando Gonzaga per literas communicauit. verum ut ad res Germanicas, & eò unde digreßi sumus, redeamus, Cæsar ea insigni victoria aduersus Federicum Saxoniæ ducē potitus, nō modo Germanicas, sed etiam Boemorum res consiliaq́ aduersus se insurgētia repreßit & consopiuit, quod nisi factum fuisset, apparebat periculosum fore ne cum coniunctis cum Saxone maritimarū vrbium viribus cogeretur Cæsar signa conferre; aut ne cōmeatuum via illi præcluderetur si interius in Saxoniam penetrasset; quod facile futurum uidebatur ob paucitatem Cæsarianorum. Sed quoniam rei militaris peritia faciebat ut non minus Cæsari quàm Saxoni hæc consilia paterent, curauit Cæsar prius cum Federico dimicare, quàm in eas difficultates ueniret. At verò cælum etiam ipsum visum est Cæsarianis rebus fauere, cum signis & augurijs ea ipsa uictoria sit prædicta.

Nam cū Cæsar ante traiectū Albis fluminis iter faceret aquila ab occidēte aduolās uniuersa castra Cæsaris præ lætitia obiuit, quod ubi sæpius fecisset septētrionē uersus auolauit. Tū lupus insignis magnitudinis castra ingressus huc illuc agitatus insequentiū clamore, gladijs deniq; occiditur. Nebula prætereà ita Cæsarem protexit: ut ad meridiem usque Cæsaris aduentum Saxonibus occultarit, qui cum ad Albim fluuium accessisset, non solum exijt sol clarißimus, sed etiam tardior uisus est cursum proficere nonnullis, & Albis non eandem aquarum copiam, quam pridie consueuerat, deuoluere. eius uictoriæ rumor cum ad cæteras Germaniæ urbes peruenisset, fecit ut legationes earum complures de deditione acturas mitterent. sic igitur Torga, quam Argeliam prisci uocarunt, eo rumore compulsa prima omnium se Cæsari dedit. Torgensiū exemplum reliquæ omnes urbes quæ erant trasfluuium secutæ sunt, præter calegiam siue Vittembergam; cuius vrbis ciues etsi perculsi fuerant aduerso prælio, tamen quia vrbem munitißimam ac propè inexpugnabilem suam iudicarent, ad defen-

Augurium Cæsari oblatum.

Argeliæ deditio.

defensionem se accingunt, omniaq́; pugnæ necessaria instruũt, tormentaq́; in mœnibus disponunt, quæ quidem habebat complura cum illam urbem ut metropolim eius principatus Federicus per uiginti & quinque annos nunquam opportunis munitionibus instruere destitisset. ea re cognita Cæsar ut apertius etiam eorum animum intelligeret præconem Araldũ uulgò uocant mittit, qui ad deditionem solicitaret: acceptum est aliud atq; expectabatur responsum. responderunt enim se natos & educatos sub ducum Saxoniæ stat uisse ad extremũ usq; uitæ diem uelle eãdem fidem ducibus seruare, eandemq; uitæ rationem habiturum Albertum Brandeburgensem apud ipsos captiuum, quam habuisset Federicus apud Cæsarem. Cæsar eo respõso cõmotus, quod superbiæ arrogantiæq́; plenũ uideretur, statuit rem armis esse agendam. iubet itaque regem & Mauritium decem uexilla peditum, quæ relicta fuerant in præsidijs Lipsæ & Tresenæ, ad se mittere, è proximis locis muralia tormenta, operasq́; promissas acciuit, cum quibus apparatibus Viitembergam contẽdit, quò quinq; castris peruenit. Secum adducit captiuos Hernestum & Federicum à trecẽtis Hispanis custoditos, quibus præeat Alphonsus Viues. cum ad tria millia passuum Cæsar distaret à Vittemberga iubet Aloysium Pizzanum urbem ad expugnationem explorare diligẽterq́; animaduertere ubi commodius fluuius posset traijci. est enim Vittemberga in planitie plana nudaq́; sita, quadrata forma, cuius pars extensior fluuium habet coniunctum; quæ potest uel procul accedentes conspicere. Habet fossam latissimam & profundissimam aqua plenam, reparationem uerò è terra latam ad sexaginta pedes. ea terra ita firma cõpactaq́; est & diuturnitate concreta, ut multis arboribus multaq́; herba tegatur. est via quadam occulta & tecta intra fossam ad radicẽ reparationis ad usum sclopettariorum, & à fossa protecta, quæ nullo pacto diuerberari potest. Habet quinq; perampla propugnacula, et oppidulum quod uniuersam planitiẽ despectat. eò ad explorandum missus Aloysius Pizzagnus uir Hispanus maxime peritus rerum bellicarum, ut qui optimè intelligeret castrametationem, expugnandarumq́; munitionũ

Vittẽbergæ descriptio.

ratio-

rationes, iubetur, si ita uisum sit pontem occupare, quē Vittembergenses è regione ipsius fecerant. eò profectus cum ducentis leuioribus equitibus duobus tantum è suis amißis urbem diligentißimè explorat. Interea decem & octo muralia tormenta Cæsari lintribus aduecta, & opera trecentæ, è quindecim millibus, quas Mauritius pollicitus fuerat, & promissi commeatus copia ualde est diminuta. sed quoniam opus erat lintres secundo fluuio tormenta uehentes non procul a Vittemberga præterire, veritus Cæsar ne tormenta interciperentur, statuit cum magna manu militum ipse ad vrbem post reuersum Pizzagnum accedere, ut ciues ueriti ne interciperentur à Cæsarianis, ne ex urbe exirent. cognouit Cæsar eodem tēpore non esse tutum ibi castrametari, quòd nimis aperta esset planities & non satis tuta. neque tamen fluuius uisus est posse traÿci, quòd ea pars aptior nimis esset urbi uicina. statuit itaque infra urbem ad duo millia passuum oceanum uersus castrametari. Vittembergenses quòd scirent uadum fluminis esse propinquum, equitū turmam emittunt, qui in altera ripa consistentes uisi sunt indicasse Cæsari pontem ibi esse faciendum, cum ibi facilior esset traiectus. erat ibi nemus quoddā in utraque ripa fluminis, ubi latere facile poterant Vittembergenses, quod non parum difficultatis præbuit Cæsarianis ad pontem extruendum. at Malaspina cum ducentis equitibus fluuium traÿciens, ubi uadari potuit, cum uiginti tormenta etiam in Vittembergenses ex altera ripa disploderentur, ita fecit ut ciues quamuis aliquantulum restitissent, negotium deserere coacti sint. illis cedentibus Cæsar incredibili celeritate fluuiū traiecit cum uniuerso exercitu, nemus occupat ad mille passus distans ab oppidulo, ibiq; pago inter castra incluso qui forte aderat peditum castra legit, undique cingebant hos cataphracti equites, qui Albi fluuio propinqui stationes habebant ad aquationis commoditatem: cum ita castra tutißima efficerentur. Cæsar ita ad Vittembergam castrametatus cum urbem inexpugnabilem propè esse intelligeret, ne frustra tempus obsidendo absumere cogeretur, credidit se per captiuum Federicum posse eam occupare. statuit igitur mittere qui consilta Vit-

 tember-

tembergensium exploraret, ad quod consilium adiuuit ipsius Federici postulatio ut liceret mittere ad vrbem, qui de uxoris filiorumq; salute renuntiaret, resq; nonnullas afferret, quibus opus habebat. Cæsar ea Federici opportunitate fretus Antonij Burienti præfecti cohortis signiferum mittit, uirum peritissimum rerum militarium, & munitionum præcipuè non ignarum, & ingeniosum: & præterea pulsandi tympani non inscium. iussus est hic Vittembergam accedere ad mandata Federici exequenda, uniuersi negotij maxime instructus. At Vittembergenses circa urbem ipsi ducunt, ut diligenter specularetur, cum ostentarent se uelle eā defendere; quæ cum exterius munitissima, tum certe interius postea uisa est inexpugnabilis. ea res Cæsari significata ita eius animum commouit, ut non per suorum cladem, sed per aliam quamuis rationem ea potiri conaretur. mittit nuntiatum Federico procuret sibi dari Vittembergam, quod nisi fiat, minatur capitis supplicium. At Federicus contemptis superbis minis Cæsaris ostendit se parum esse vita cupidum, cum responderit Vittembergam non esse in sua manu, ipse procuraret per conditiones si quo pacto posset ciues ad deditionem allicere. Sibi relictam esse animi libertatē, quāuis fortuna corporis eripuisset; idcirco neq; minas neq; superbiā uictoris magni facere. eo respōso inter milites uulgato non in paruam admirationē omnium animos conuertit; Cæsarq; nonnihil commotus est, qui tamen ut pro vsitata sua in cæteros omnes clementia nequid asperius in hunc egisse uideretur, decreuit rem legitimè iudicari. conuocat igitur suorum concilium, Federicumq; capitis condemnat ut rebellem imperij, & imperatorij exilij reum in hunc ferè modum; quia constat Philippum Lantgrauium & Federicum Saxonum ducem multis principibus Germanis bona principatusq; per uim & iniuriam eripuisse, contempsisse legationes, neglexisse leges & instituta imperij, multa contra æquitatē admisisse, deuastasse, populatos esse: neq; unquā suorū delictorum ueniam postulasse, ut sæpius admoniti fuerant, illi uisi sunt non esse amplius tolerabiles, nam si diutius tolarentur, uidebantur cæteri ea clementia & impunitate ad idem faciē-

Federici respōsum nobile, & cōdemnatio capitis.

dum

dum inuitari. decretum est igitur ad pacem & tranquillitatem Germaniæ, & ad solutionem principum captiuorum ad arma ueniendum esse, ut de ys supplicium sumeretur. cum igitur Diuina potius quàm humana opera primum dissipati sint; deinde Federicus in Misniam cum eadem pertinatia peruenerit, Deusq́ uel inuitum ad obedientiã compulerit, Nos Carolus Imperator declarauimus, & declaramus, & statuimus ut Federico ad suorum scelerum commissorum supplicium, & ad deterrendos cæteros ab huiusmodi flagitÿs, caput amputetur; quod fieri sub dio iubemus ante unam portarum Vittembergæ. erat in suo tentorio Federicus cum Hernesto Bransuiccensi cum mense Maio Cæsaris sententia illi fuit recitata, nulla notata est vultus mutatio, aut cognitus mœror animi post eam lectionem; solumq́ respondit, mea cædes in Vittembergæ igitur deditione consistit? at nihil plus commodi Cæsar per eam cõsequeretur; cũ me mortuo filios non minus intrepidos hostes sit habiturus. His dictis Hernestum ad taxillorũ ludum reuocauit nulla captiuitatis, nedum condemnati capitis edita significatione, tanta erat in eo principe animi fortitudo, uis, & constantia. Etsi alÿs iucunda mors Federici uidebatur accidere, qui aliquã in se redũdaturã animaduersionẽ, ꝙ Cæsarianas partes secuti fuissent; alÿ tamẽ affinitatis, alÿ amicitiæ iure eius salutẽ procurabant. inter hos primarius deprecator fuit Cleuẽsis Regulus Philippus, q̃ nitebatur tanti principis casu ad misericordiam Cæsarem commouere; ꝙ diceret satis lacrymabilem esse Federici fortunam, qui è tanto, tã illustri, tam sublimi dignitatis gradu in tam miserabili captiuitate constitutus. Esse mortalium errare, at non nisi Dei, uel summi animi, summæq́ bonitatis ueniam concedere errãtibus: cum omnis humanitas & hominis natura in bonitate, clementia, misericordia consistat; quæ quidem nulla esse potest erga felices & sapientes. adiuuabat ad hoc Ioachimus & Mauritius summa diligentia, quia mors Federici uidebatur omnem spem recuperandi sui principatus Mauritio in præcipiti collocare. Pronuntiatæ sunt variæ de morte Federici sententiæ; quippe quòd alÿs præstare uideretur in eum animad-

tembergensium exploraret, ad quod consilium adiuuit ipsius Federici postulatio ut liceret mittere ad vrbem, qui de uxoris filiorumq́; salute renuntiaret, resq́; nonnullas afferret, quibus opus habebat. Cæsar ea Federici opportunitate fretus Antonij Burienti præfecti cohortis signiferum mittit, uirum peritißimum rerum militarium, & munitionum præcipuè non ignarum, & ingeniosum: & præterea pulsandi tympani non inscium. iussus est hic Vittembergam accedere ad mandata Federici exequenda, uniuersi negotij maxime instructus. At Vittembergenses circa urbem ipsi ducunt, ut diligenter specularetur, cum ostentarent se uelle eã defendere; quæ cum exterius munitißima, tum certe interius postea uisa est inexpugnabilis. ea res Cæsari significata ita eius animum commouit, ut non per suorum cladem, sed per aliam quamuis rationem ea potiri conaretur. mittit nuntiatum Federico procuret sibi dari Vittembergam, quod nisi fiat, minatur capitis supplicium. At Federicus contemptis superbis minis Cæsaris ostendit se parum esse vita cupidum, cum responderit Vittembergam non esse in sua manu, ipse procuraret per conditiones si quo pacto posset ciues ad deditionem allicere. Sibi relictam esse animi libertatẽ, quãuis fortuna corporis eripuisset; idcirco neq; minas neq; superbiã uictoris magni facere. eo respõso inter milites uulgato non in paruam admirationẽ omnium animos conuertit; Cæsarq́; nonnihil commotus est, qui tamen ut pro vsitata sua in cæteros omnes clementia nequid asperius in hunc egisse uideretur, decreuit rem legitimè iudicari. conuocat igitur suorum concilium, Federicumq́; capitis condemnat ut rebellem imperij, & imperatorij exilij reum in hunc ferè modum; quia constat Philippum Lantgrauium & Federicum Saxonum ducem multis principibus Germanis bona principatusq́; per uim & iniuriam eripuisse, contempsisse legationes, neglexisse leges & instituta imperij, multa contra æquitatẽ admisisse, deuastasse, populatos esse; neq; unquã suorũ delictorum ueniam postulasse, ut sæpius admoniti fuerant, illi uisi sunt non esse amplius tolerabiles, nam si diutius tolarentur, uidebantur cæteri ea clementia & impunitate ad idem faciẽ-

Federici respõsum nobile, & cõdemnatio capitis.

dum

dum inuitari. decretum est igitur ad pacem & tranquillitatem Germaniæ, & ad solutionem principum captiuorum ad arma ueniendum esse, ut de ijs supplicium sumeretur. cum igitur Diuina potius quàm humana opera primum dissipati sint; deinde Federicus in Misniam cum eadem pertinatia peruenerit, Deusq́; uel inuitum ad obedientiã compulerit, Nos Carolus Imperator declarauimus, & declaramus, & statuimus ut Federico ad suorum scelerum commissorum supplicium, & ad deterrendos cæteros ab huiusmodi flagitijs, caput amputetur; quod fieri sub dio iubemus ante unam portarum Vittembergæ. erat in suo tentorio Federicus cum Hernesto Bransuiccensi cum mense Maio Cæsaris sententia illi fuit recitata, nulla notata est vultus mutatio, aut cognitus mæror animi post eam lectionem; solumq́; respondit, mea cædes in Vittembergæ igitur deditione consistit? at nihil plus commodi Cæsar per eam cõsequeretur; cũ me mortuo filios non minus intrepidos hostes sit habiturus. His dictis Hernestum ad taxillorũ ludum reuocauit nulla captiuitatis, nedum condemnati capitis edita significatione, tanta erat in eo principe animi fortitudo, uis, & constantia. Etsi alijs iucunda mors Federici uidebatur accidere, qui aliquã in se redũdaturã animaduersionẽ, ꝙ Cæsarianas partes secuti fuissent; alij tamẽ affinitatis, alij amicitiæ iure eius salutẽ procurabant. inter hos primarius deprecator fuit Cleuẽsis Regulus Philippus, q̃ nitebatur tanti principis casu ad misericordiam Cæsarem commouere; ꝙ diceret satis lacrymabilem esse Federici fortunam, qui è tanto, tã illustri, tam sublimi dignitatis gradu in tam miserabili captiuitate constitutus. Esse mortalium errare, at non nisi Dei, uel summi animi, summæq́; bonitatis ueniam concedere errãtibus: cum omnis humanitas & hominis natura in bonitate, clementia, misericordia consistat; quæ quidem nulla esse potest erga felices & sapientes. adiuuabat ad hoc Ioachimus & Mauritius summa diligentia, quia mors Federici uidebatur omnem spem recuperandi sui principatus Mauritio in præcipiti collocare. Pronuntiatæ sunt variæ de morte Federici sententiæ; quippe quòd alijs præstare uideretur in eum animad-

uertere, quam solam rem posse stabilire victoriam Cæsaris arbitrarentur, ut huius supplicij exemplo cæteri deterrentur in perpetuum ab armis aduersus imperium suscipiendis. Vt cæteri omnes in clementia Cæsaris potius, quam in uirtute armorum suam salutem collocarent, deuitarentq́ ne in fortunam Federici deuenirent. Alij non tutum esse censebāt principum sanguine manus intingere, quod postea opportuni et insperati vltores talium cædium insurgant. satis graue fore cæteris nationibus inuidiam propter amplitudinem Cæsaris ferre, nisi etiam occulta odia propter cædes propinquorum adderentur, excitareturq́. suspicio affectatæ crudelissimæ tyrannidis. Tolerabiliores esse errores qui propter misericordiam, q̄ qui propter crudelitatē admitterētur. Cæsar suis auditis, ut qui nullā uictoriā q̄ se ipsum uincere gloriosiorē putaret, animiq́ motus frænare, cū armati exercitus, urbes, regiones, prouinciæ, imperia sine multorū opera nō subiugētur. Victorē ipsum uincere, hoc est è crudelissimorum tyrannorum, quales sunt illegitimi animi motus, captiuitate se ipsum liberare, quod nullis adiutoribus fiat, istud quidem uictoriæ genus & gloriosum & admirabile Cæsar & omnes sapientes principes semper existimarunt. Idcirco his deprecatoribus capitale supplicium reuocauit, & ne prorsus impunitas inuitatio foret ad scelera eas conditiones imposuit, ut facile in quos errores illapsus esset, cognosceret. nam primum ius electionis eripuit, & omnes urbes, quas eo nomine possideret, inter quas erat Vittemberga & Argelia. fuerunt autem conditiones huiusmodi à Federico de uoluntate Cæsaris confirmatæ. Primum quod Federicus renuntiabat ius electionis, confirmaretq́ cuicunque Cæsar illud concessisset. quod Vittembergam & Gottam cum omnibus tormentis, apparatibus bellicis, omniq́ genere bellicorum armorum, & tertiam partem commeatus concedebat, exceptis militum armis qui erant in æstiuis, quibus concessum est discedere sine uexillis cum cæteris impedimentis ut liberarentur Christophorus Lantgrauius Vittembergensis, & Albertus Brandeburgensis Marchio sine ullo redemptionis præmio, atque restituerentur utrisque uexilla & tormenta

Cæsar reuocat capitale supplicium Federici.

Roccanizzi erepta, cui Hernestus contra gratis conceditur. quod nullius aduersus Cæsarem, aut Regem Romanorum mereretur stipendia. Quod Sonueluatum & Heldrungam, Selmensi & Masfeltio comitibus restituebat; & quodcunq; usurpasset Prussiæ Regulo, ac cæteris omnibus proceribus, quorũ aliquid occupasset. His additur ut cederet Cæsari oĩa iura, quæcunq; Limiri, siue Lubecci, ut uocãt, & Halæ ad se pertineret, obliteratis Phengari & Madeburgi obligationibus. statutum est ut tantum sui principatus Federico relinqueretur, quantum sufficeret ad redditum annuum quinquaginta millium nummũm. ea tamen conditione ut nullum concessorum oppidorum, quæ fuerunt ad triginta & tria libera, præter portiones nonnullorum, muniret inconsulto Cæsare; sed etiam Gottæ omnino prosterneret, funditusq; euerteret munitionẽ. omnes fœderationes obliteratæ deletæq; intelligerentur, nihilq; approbaret nisi quod ad conseruationem tranquillitatemq; imperij pertineret, & quod Cæsar ipse approbasset. ad huiusce rei confirmationem iussus est Federicus semper Cæsarem aut filium principem Hispaniarum sequi. per easdẽ conditiones Masfeltius comes, cum filijs, comes Rheni, & alteri Beiuolinga & Rectenrodophi & Esumbesirni liberi dimittuntur, ita tamen ut copias intra mensem dimitterent, adpromitterentq; præsentes conditiones se seruaturos. At Cæsar postea pro innata sua munificentia, ubi magnitudinem animi, quam in utraque fortuna Federicus seruauerat, cognouisset, multum etiam prouentus redditusq; annuos auxit. quibus rebus ita compositis procuratum est ut à Federici filijs conditiones confirmarentur. accersitusq; est primogenitus, qui Gottæ erat uulneratus. induciæ factæ in triduum cum Vittebergensibus, ita tamen ne Cæsariani intra certum spatium urbi propinquarent. erecti sunt aalli in eo termino ultra quos progressos impune utrisque licebat occidere, accessit ad Cæsarem secundus filius Federici, qui uix adduci potuit ut tam seueras & iniustas, ut sibi uidebantur, conditiones confirmaret. postea in urbem reuersus profectionem indixit præsidijs eius urbis in triduum. illi rem grauiter ferentes, ut quæ contra

tra dignitatem Federici, & militarem disciplinam acta uideretur, statuunt castra Cæsaris repente adoriri, ex ea parte, qua Federicus asseruaretur, sed tamen nihil actum. id rursus decernunt non exire ex urbe nisi integra stipendia, quæ debebantur persoluantur: quæ cum nulla haberet Federicus, ut res ad exitum denique perduceretur, necesse fuit Mauritio certum numerum pecuniæ persoluere. præsidia igitur Vittembergæ, quæ erant tria peditum millia, & ducenti equites in acie die postero sine uexillis aut tympanorũ strepitu vrbe exeũt cum omnibus suis armis & impedimentis, pro quibus tria Germanorum uexilla duce Nicolao Madruccio ingrediuntur. Postea die tertio Sibilla Federici uxor, comitantibus uno ex filijs, Catherinaq́; uxore Hernesti Sibillæ ipsius sorore ad tentorium Cæsaris incedit, cui fiunt obuij filij Romanorum Regis honoris gratia, & Marchio Alisi, alijq́; Germani proceres. Tum ad pedes Cæsaris lacrymabũda procidens, ut docuit miserabilis fortunæ uicissitudo, præsentisq́; calamitatis conditio, tanta commiseratione præsentes omnes commouit, ut nemo fuerit, qui lachrymas potuerit continere; cum fortunæ suæ inconstantiam, calamitatumq́; cumulum inter singultus referret, ac pro filiorum & mariti fortuna precaretur. Cæsar uenerabilis matronæ misericordia commotus, eam sustulit, neque passus est diutius prostratam, quanta potuit cum significatione humanitatis; nihilq́; ostendit indignum priore fortuna. Illa postea ita erecta quædam postulauit à Cæsare, sed responsum potius humanitatis plenum extorsit, quàm vt suis uotis aßentiretur. deinde cum Federico collocuta in arcem Vittembergæ redit; quò ingressus Cæsar postridie ad eam uisendam accessit: atque regio apparatu excipitur à Sibilla: omnesq́; eò profecti aßiduis mensis excipiuntur eodem die. tum Cæsar tantam mulieris magnificentiam admiratus, quid, inquit, si Federicus non fuisset captiuus? tum munitione diligẽter considerata iubet Marinianium tormenta & incredibilem apparatuum copiã efferendam curare. Sed quia Sibillæ quatriduum tantum cõcessum erat, intra quod spatium opus erat exire ex urbe, omnemq́; supellectilem efferre, rogauit Federi-

Vxor Federici in castra Cæsaris uenit.

cus

cus Cæsarem ut liceret accedere ad vrbem, sibiq; necessaria secuturo castra comparare. eò concessit ducentis Hispanis comitantibus; quibus pro innata sua liberalitate, regiaq; munificentia trecentas monetas argenteas, quos Talaros uulgò uocant, largitur. at præfectum cohortis Alphonsum quatuor candidis lectissimis equis donauit: nam consueuit Federicus pro sua liberalitate mirificè omniũ animos sibi deuincire. Sic exijt cũ multorũ lacrymis Federicus castra versus, at sibilla in Turingiã iter cepit lacrymãs ꝙ eũ principatũ amisisset, quem per octingentos & amplius annos sui maiores possedissent. renouatus est ciuiũ luctus quia eductis ijs præsidijs recentibus Cæsar quatuor uexilla Mauritij imposuit; quod adeo Mauritio molestum accidit, ut neminis ciuium uultu quidem conspecto ingressus sit in arcem. At Boemi rebus Federici in eumstatũ adductis, quia uerebantur ne prius inuaderentur, quàm Philippus Lantgrauius & Tumesiernes, quos acciuerant, accederent ad impetum regis frænandum, qui in eos parabatur, nitũtur industria Cæsaris fortunam uictricem tardare, quam ui & armis non poterant. cæterarum igitur urbium nationumq; exemplo, quæ Cæsari se dediderunt, mittunt quæ pro uictoria aduersus Federicũm gratularẽtur legationes, orarentq; ut apud Regem iratum pro eius regni salute intercederet. id autẽ contingisse dicebant quòd peterent sibi seruari priuilegia quæ à suis maioribus fuissent per suas uirtutes acquisita. respondit Cæsar, si Regi, ut par erat, se subijcerent, eiusq; imperia obseruarent, se facile futurum deprecatorem: sin autem se rem fraternam suam existimaturum. eo responso perculsi sunt Boemi non mediocriter: atque cum rex armatus in regnum esset iam iam initurus, dubitant quid consilij capiant. sed cum denuo missæ sint legationes ad Cæsarem rogandum, cognitum est Boemiam non amplius tumultuari, quare statuit Cæsar Philippũ adoriri, in qua una uictoria uidebatur uniuersus labor subiugandæ Germaniæ propter eius principis autoritatem, qui multas uictorias aliàs consecutus esset. eo consilio Cæsar ad quartum nonas Iunij rursus Albim traijcit. Sed ante quam discederet, conuenerunt sarmatarum, tauricæ Chersonesi, & eorũ qui

Cæsar Federici urbem occupat Vittẽbergam.

phorus Fonspergius & Philippus Herbestanus. consulunt hi quid esset in tantis rerum motibus agendum, at Masfeltius non amittendam præsentem opportunitatem ratus dum uires hostium adhuc esset diuisæ incredibili celeritate usus traiecto fluuio castra hostium repente inuadit tanta strenuitate at Hẽricus omnibus propè copijs cæsis & profligatis ad Cæsarem confugere coactus sit. at Christophorus fluuium & ipse traiecerat ut castra coniungeret cum Henrico, atque ita iter faciens obuia habet hostium impedimenta, quæ ob partam uictoriã uagabãtur incustodita. eam opportunitatem arripuit & ipse Christophorus. ubi ventum est ad prælium magnam partem capit impedimentorum, & plura duobus equitum millibus Alberti conatum minime expectantes direpti spoliatiq́; sunt. amissa sunt à Tũbesierne centum millia talarorum in ea pugna; postea noctis aduentu Fonspergius sese incolumem intra Busaterorum fines recepit. cum clades Bransuiccensis opportunitatem dedisset tantæ prædæ & victoriæ, quantum ipse amisisse accusabatur propter iniuriam magna inter illos simultas nata est, quòd alter negligentiam alteri obijceret: ea res non parum animum Cæsaris perculerunt, quia verebatur ne horum victoria arma Boemiæ nondum satis pacata excitaret; aut Philippum è spe reconciliationis deiectum inuitaret, ut seruitutis iugum, & tantum malorum cumulum, quantus sibi imminere uidebatur, propulsaret. Veruntamen statuit fortunæ non esse cedendum, quæ sæpe iudicio & consilio superatur: quippe cum tractandis negotijs incognitæ & occultæ uiæ, quæ mox perducunt ad optatum exitum aliquando se patefaciant. Interea Aloysius Rizzagnius Madeburgum urbem munitissimam unam è primarijs ciuitatibus Saxonum exploratũ missus nuntiat Cæsari, ut è captiuis acceperat, eius urbis ciues plurimum inter se dissentire, quòd alij imperij, alij liberã administrationem magis eligendam censerent: quæ urbs est sita in ripa Albis fluminis: quare Cæsar credidit se breui ea potiturum. Id Cæsaris consilium ad ciues delatum uniuersa seditionę discordiaq́; prætermissa coniunctis animis ad vrbis defensionem se conuertunt. Illud consilium Cæsaris multis

Henricus Bransuiccensis profligatus.

Madeburgi ciuiũ uariæ sententiæ de deditione.

non satis prudens uisum est; neque illa ratione solùm, quòd nulla fides adhibenda est tumultarijs populis, aut per se concitatæ multitudini; quia sæpe conuersis animis ad suos protegendos ubi periculum est proprium redeunt; uerum etiā quia multa inessent externa præsidia, circumq́; liberæ nūnullæ præpotentes ciuitates, quæ possent ad ferendas illi suppetias excitari, cum eadem arma victricia statim in se conuersum iri arbitrarentur. His rationibus consideratis diligentius Cæsar mutauit consilium, reseruauitq́; hoc totum negotium in proxima comitia, per quæ si contumaces uisæ fuissent liberæ ciuitates, imperatorij exilij condemnatæ mox expertæ fuissent uires omnium amicorum Cæsaris, ut multi pollicebātur. Cæsar his ita confirmatus ad sextum idus Iunij Halam uersus iter capit, quæ ciuitas sita est in ripa Salæ fluminis, quò tribus castris peruenit, quæ urbs erat Federici. Tumhesiernes & Masfeltius & cæteri fœderati audita clade Federici, cuius stipendia merebantur amissis præsertim tot argenteis Talaris, quot diximus, cum non possent amplius spe stipendiorum aut uerborum lenitate animos militum retinere, necessariò dimittunt; ac prius pro stipendijs gratias agunt Federici nomine quia tam benignè illi principi militassent. Sic igitur Tumhesiernes Bransuiccum, Masfeltius Bremam se contulit. Philippus Lantgrauius his rebus commotus etsi prius uidebatur Cæsarem non curaturus, tamen ita perculsus est, deomniq́; spe salutis decidit ut per literas Mauritio & Ioachimo significarit, se seruaturum quidquid ipsi duo communi consilio statuissent, qui cum Cæsare agentes eum tanto difficiliorem inueniunt, quantò magis Philippus erat depressus. at Ioachimi tamē & Mauritij generi precibus & gratia & promissis motus est Cæsar & à prima seueritate aliquantulū deductus. Peruenerat per id tempus Philippus Namburgum, quæ vrbs erat Federici, quò profecti deprecatores ita rē componunt, ut in gratiam Cæsaris Philippus reciperetur, ueniamq́; obtineret his conditionibus; ut Philippus supplex ad petendam ueniam suorum errorum iret ad Cæsarem, seq́; & omnes urbes, castella, munitiones arbitrio Cæsaris committeret;

Lātgrauio cōditiones impositæ.

ret: adpromitteretq́ fidelitatem omnibus ijs seruandis, quæ ad tranquillitatem Germaniæ spectantia & ad conseruationẽ imperij iuberentur, & Turcicas uires propulsandas præcipuè. ut cæteras omnes Fœderationes, & Smacaldicã præsertim ex animo obliteraret, proferretq́ singulorum coniuratorum nomina & causas aperiret, quæ ad eam amplexandam singulos cõpulisset, omniaq́ eius scripta Cæsari concederet. Vt nequid ageret in posterum, quod pernitiosum esse posset Romanorum regi. ne quem Cæsaris hostem in suum principatum admitteret, sed undique insectaretur, ne quem suorum subditorum impune pateretur aduersus Cæsarem aut fratrem militare, in quos nisi paruissent post decimumquartum diem more Cæsaris animaduerteretur, bonaq́ fisco addicerentur Cæsaris nomine; quod tamen fieret sine præiuditio iurisdictionis ipsius Philippi. ut omnes munitiones sui principatus prosterneret, præter Ziueniamum aut Casellam, quod fieret arbitrio ipsius Cæsaris, cuius munitionis milites iurarent se fidẽ seruaturos, ita ut Philippũ excluderent siquid aduersus Cæsarẽ moliretur, & munitio cõmunibus apparatibus seruaretur Cæsari. Neq; mirari cõuenit Cæsarẽ ita confidere Germanorũ iuramẽto, cũ genus illud hominũ sit iurisiurãdi obseruãtissimũ, nec possit nisi per summam difficultatem ad illud cõpelli, quod etiam fit magna reuerentia; nam nemo admittitur ad iurandum, quin præsens omnis multitudo miro silentio detractis capitum integumentis, tanquam rem sacram audiant. ne liceret nouas munitiones excitare inconsulto Cæsare. Vt omnia bellica tormenta, bellicosq́ apparatus Cæsari offerrentur. ut Henricus Brasuiccensis & filius liberi dimitterentur, alijq́ omnes capti ui Cæsariani. Ne quem infestaret, qui Cæsarianis partibus fauisset, omnesq́ lites & controuersiæ ad electores imperij deferrentur. quæ omnia à filijs maioribus natu, & ciuibus subditis Lantgrauij confirmarentur: quem si contra imperiũ quid machinaretur, ipsi tenerentur tradere captiuum Cæsari. ut propter bellicos sumptus Philippus numerandos Cæsari curaret centum & quinquaginta florenorum millia. Hæ conditiones à Philippo acceptæ Mauritij, Ioachimi, Volphã-

gi ducis Turiburgi subscriptionibus confirmatæ sunt; qui omnia auxiliorum genera Cæsari ad earum obseruationem polliciti sunt. Cæsar itaq; uitam concessit Philippo, sustulit imperatorium exilium, omnium delictorum ueniam dedit, & in gratiam liberalißime recepit: quæ res mirifice uisa est Cæsaris rebus conuenire. at uero ea Cæsaris felicitas quia imminere totius Germaniæ libertati uidebatur, iam incipiebat esse molesta uel ijs qui sub eo militassent; cum præsertim omnes honores italis & Hispanis tribuerentur, Fedéricoq; Hispanis cõmisso custodijs uideretur Germanis non satis confidere: quare hinc inde natis contumelijs & iniurijs inter ipsas nationes ad arma aliquando uentum est, cum utrinque in acie consisteretur: at Cæsaris aduentu tamen paucis cæsis res composita est, quod is partem copiarum Germanarum in urbem accedere iußisset. Philippus itaque his tumultibus sedatis duobus ducibus Bransuieci patre & filio comitantibus ad duodecimum calendas quintilis cum centum armatis equitibus uenit in castra, quem Cæsar cum maiore honorificentiore apparatu in posterum diem admittendum duxit. conuocatis itaq; multis primarijs qui Cæsarem sequebantur, multis confluentibus Germanis principibus ad illud spectaculum, ad meridiem Cæsar ingentem aulam cum omnibus imperatorijs solennibus ingreditur, quæ per has opportunitates sunt in usu. accessit paulo post Lantgrauius, qui ad genua Cæsaris prouolutus ueniam petijt suorum delictorum cum diceret se iustißimã indignationis causam Cæsari præbuisse, esseq; omni uel grauißimo supplicio dignum, tamẽ cum reliquam spem salutis suæ in Cæsaris clementia collocarit, se uitam, principatum, facultates, omnia bona Cæsaris arbitrio committere. Implorare eius principis clementiã, quæ non minus quàm iustitia in summo principe sit laudabilis. nullam fuisse oblatam benignitatis, misericordiæ, humanitatis facultatem, nisi opportunitatem errores præbuissent. Neque se dubitare tantam esse Cæsaris clementiam, quæ longo spatio deliria & commissa superet. promittit in posterum se nutus Cæsaris sanctißime obseruaturum, nihil excogitaturum, nedum non facturum quod Cæsaris uoluntatem

tatem possit offendere. quæ uerba sunt per scribam Lantgrauij prolata Philippi ipsius nomine, ut mos est Germanorum, qui non ipsi quidem publicè, at uiri præstantiores & à secretis pro ipsis principibus loquuntur. His Ioannes Marquatus respondit Cæsaris nomine: etsi commissi errores grauissimi extiterunt, tamen pœnitentia ista & commissorum cognitio, & petitio ueniæ supplex, uidetur non indigna nostra clemētia, et aliqua ex parte mereri ut sempiternæ obliuioni mandentur. Quod etiam multò magis persuadent honorificentissimorum pro tua incolumitate amantissimæ preces. idcirco præter uitam, quam liberam concedimus, neque condemnamus, perpetui carceris imperatorium exilium delemus, in gratiā amicitiaq; recipimus, iubemusq; & hortamur cōditiones seruare. cū manū Cæsari cōsurgēs Philippus, ut cōsueuerat esset porrecturus, nō assensit Cæsar; sed iubet ad Albanū accedere, ex quo quid agendum esset intelligeret. id etsi molestum accidit Lantgrauio, tamen quia spectare putabat ad imperatoriam grauitatem, æquo animo tulit: at verò ad cœnam cum Ioachimo & Mauritio ab Albano inuitatus magnificè excipitur in arce, ubi post cœnam datum est illi hospitium commissusq; custodiæ Ioannis Gueuaræ cohortis ac Tertij insubriæ Hispanorū præfecto. ea res cum præter expectationem accidisset non solùm Philippum maxima indignatione, sed etiam ipsos electores inflammauit. at cum significatum esset tandiu custoditum iri, ut conditiones scriptæ perficerentur, rem electores, carcerem & captiuitatem Philippus æquo animo tulerunt. At uerò istud accidit imperitia Lantgrauij; qui dum perpetuum carcerem in conditionibus deuitare conaretur, reliquit inconsultò captiuitatis & carceris spatium arbitrio uictoris. Sic igitur fit aliquando, ut cum fortuna labatur etiam ingeniū: quippe cùm Philippus, qui caliditate & rerum gerendarum peritia cæteris Germanis principibus præstare uidebatur, in hoc ipso negotio insulsus & imprudens apparuerit cum carceris incommodis non consulueris; multæ ciuitates interea legationes mittunt Cæsari gratulatum, rogantes commissorum ueniam, ac petentes in amicitiam Cæsaris admitti, quibus omnibus

Lantgrauius captiuus factus.

Electio Mauritio data.

nibus data est venia, & liberaliter in amicitiam recepta. ius electionis concessum Mauritio. munera italis Hispanisq́ ducibus, quorum opera egregiè in hoc bello enituisset: deinde statuit in Sueuiam cum exercitu recedere, ut ibi habitis comitijs decerneretur de nonnullis principibus ac urbibus debellãdis, quæ in eadem pertinacia persistebant. Accesserunt deinde pauli Tertij Pontificis maximi legationes pro uictoria gratulantes, quæ Cæsarem ut erat in diplomate cognomine Maximi & fortissimi auxerunt. Gotta accessit ad Cæsarem filius Federici maior natu, qui conditiones paternas confirmauit, atque à Cæsare fuit perhumaniter acceptus. iussa sunt & tormenta bellica captiua trahi Grauionarium quæ Bamberga uocatur, quæ postea in omnes Cæsaris prouincias tanquam indicium & trophæa uictoriæ sunt distributa; fuerũt enim ad quadringenta & quinquaginta miræ pulchritudinis; quòd illi principes summopere huiusmodi apparatibus delectarentur. habuit autem Cæsar iter per Turingiam, quia uerebatur ne Saxones magno equitatu collecto adiunctis uiribus Hessiæ populorum ad liberandos captiuos principes insurgerent, quod facile uidebatur futurum propter ingenia Hessorum, quod genus est maxime bellicosum & audax; cum uires Cæsaris essent imminutæ multorum equitum absentia, quos Rex secum in Boemiam abduxerat. his accedebant uetera & recentia Germanorum odia, quos secum adducebat, cum principes illi potius exterorum custodiæ, quàm sibi comissi creditiq́ fuissent. istud autem iter fecit Cæsar, quia præstaret uiribus Scloppettariorum, cum Turingia multos difficiles aditus habeat, ut quæ montosa sit & equitatui minime accomodata; quia sic periculum equitatus uidebatur deuitaturus, qui non nisi in planis apertisq́ locis ualet. erant aditibus tamen illis difficilimis additæ munitiones etiã, ita ut insuperabiles uiderentur; sed inclinata fortuna omnes portas, omniaq́ claustra uictoribus patefacit. per eas uias, quæ tutiores uisæ sunt Cæsar in Turingiam ingressus iubet suas copias coniunctas incedere, quod non satis incolis eius regionis fideret, Federicumq́ medium haberent, neque id temerè factũ est, quia latebant

Cæsar maximus & fortissimus appellatus

latebant

latebant in insidijs Syluarũ, quarũ plena est ea prouincia sclopettarij complures, qui omnes tardiores Cæsarianos trucidabant. Cæsar iratus iubet omnes extra urbes inuentos cædi, sed cum illi pro arbitrio laterent parum detrimenti capiunt. Sæuitum est flammis in ædificia à Cæsarianis, quando ferro in homines non poterant, multiq; pagi Turingiæ incensi: ac nisi Cæsar id fieri uetuisset, uniuersa regio fuisset flammis absumpta. Septem igitur castris eam regionem pertransit donec ad fines Hercyniæ Syluæ uentum est. in ijs finibus noui tumultus excitantur, nam præmissi ab Albano Quedus & Nauarettus duarum cohortium Hispanarum præfecti iussi neminem pati ex ordine recedere inuaduntur à magna incolarum manu, cõmissoq; leui prælio coguntur ad exercitum se recipire. decertatum est per trium horarum spatium antequam altera pars cederet, allatumq; in castra plerosq; duorum præfectorum trucidatos fuisse; sed accedentibus omnibus copijs Cæsarianis incolæ paucis è suis desideratis se in eam Syluam seruarunt. aditus earum Syluarum clausi tenebantur trabibus prægrandibus miro artificio coniunctis & cathenatis, ita ut transitum difficilem & periculosum redderent Cæsarianis: quod ipsum faciebant altissimæ & frequentes arbores ubiq; in itinere decisæ. statuit Cæsar eo itinere confecto Agunti, quæ urbs nouẽstatum uocatur conquiescere, ut exercitus difficultate asperitateq; uiarum fatigatus reficeretur, sed tumultuãtibus Boemis, ad quos uictoriæ Masfeltij fama peruenerat, & discordiæ Philippi, qui conditiones Cæsaris renuebat. concepta spes est in ea prouincia futurum ut regnum illud liberum ab omni regia potestate fieret, antequàm Cæsar posset opem ferre. erat Rex ipse tũc Litomarizzi, quæ urbs est amplissima Boemiæ distatq; à Casurgio ad 25. millia passuum, qui cognitis tumultibus cum non satis tutum arbitraretur in regnum ipsum inuadere, de omnibus certiorem facit Cæsarẽ, poscit auxilia priusquam res amplius procederet. iussus est Marinianius cum octo uexillis Germanorum eò proficisci, & Augustus Mauritij frater cum duobus millibus peditum & quingentis equitibus. Cæsar Noreiam contendens mense quintili, eò secundis castris Tumultus Boemiæ.

castris peruenit, qui quoniam intelligeret ab illis populis belli cosissimis Federicum mirificè amari, ueritus nequis tumultus in urbe excitaretur propter captiuos principes iussit eos in castella finitima cum omnibus reliquis copijs ab urbe excedere. tamen audito Cæsaris aduentu uniuersa nobilitas honoris gratia effusa est & procul obuiam captiuis principibus facta. interea fama captiuitatis Philippi uniuersam Boemiam persuaserat, quare demissis animis ad placandum regem omnes sunt conuersi omni prorsus liberandi regni spe obliterata. missæ sunt legationes quæ rogarent ut in regnum inuaderet, at sine exercitu tamen & inermis tanquam Rex eius regni, at non tanquam hostis. Idcirco Rex discedens LitomariZZo Pragam cõtendit, peruenitq; ad castellũ uetus, quod à Multauia fluuio diuiditur ab urbe, atq; ingressus arcẽ Pragæ duo equitũ, tria peditum millia adducens statuit subsidia expectare. Boemi, quòd sibi periculum imminere uideretur, ad uexilla milites conuocant, nouos duces creãt, omnia ad defensionem necessaria parant. Rex etsi multis artibus conatus est eam urbem ad sua nota perducere, tamen omnia frustra tentauit. quæ quãuis cõi totius regni cõsilio agebantur, tamẽ nõnulli è primarijs fauebant Regijs partibus. iubet igitur Rex omnes urbiũ præfectos ad se acciri, & Casurgij præsertim, cum suis priuilegijs; certum spatium ueniendi assignat, quo elapso non apparentibus indicit maiestatis reos futuros: at Boemi dilationem procurantes apparendi, per eam temporis simulationem noua auxilia colligunt. Scribunt igitur literas ad omnes principes externos finitimarum urbium; quibus subsidia petunt. cum uero Rex citra fluuium equitatum, peditatumq; omnem haberet, qui quotidie augebatur; cognitumq; esset Marinianium cum suis copijs propinquare, ueriti ne per arcẽ in urbem inuaderet, statuunt ciues prius paruas Regis copias profligare, quæ essent citra fluuium, quàm illis accederent noua auxilia. Sed ad ripam tantum profecti displosis in regios milites frequentibus tormentis ab urbe, pluribusq; sclopettis, cæsis ad decem è regijs in urbem redeunt, eamq; muniunt incredibili celeritate ac diligentia, tormenta in opportuniora loca

tra-

hunt, ad omnia finitima castella mittunt qui auxilia conscri berent. Marinianus interea Sazzum peruenerat, quod oppidum distat à Casurgio ad uiginti millia passuum, cui Rex mittit significatum ut quanta posset celeritate rebus suis succurreret. iubet suos consistere ne à pluribus profligarentur cum Rex non plures haberet quatuor millibus armatorum, at ciues accederent ad octo millia. at Rex postea audito auxiliorum aduentu, quæ ciuibus è uarijs urbibus finitimis accede bant, iubet Carolum Saradinum cum maiori parte equitatus fluuium traijcere, atque obuiam hostibus prodire, hortatiq; ut domum redirent, & concessa tranquillitate uterentur: quod nisi prodesset ad hortatio se ad uim conuerteret. Saradi nus itaque acceptis duobus millibus equitum Germanorum, pannonum, ac Boemorum ante auroram ad alteram partem fluminis sine controuersia traijcit. ciues rati copias quæ traiecissent esse iam in sua potestate, statuunt eas undique adori, quod negotium feliciter successurum existimabant propter finitimorum, ut dixi, auxilia, quæ sciebant iter cepisse; neq; procul abesse à fronte Saradini, qui à tergo habebat vrbem, à dextra et à sinistra Albim & Egram & Misam uocatos fluuios. ea spe elati exeunt ex urbe mille & ducenti partim equites partim pedites, atq; mille aut paulo amplius paßibus confectis existimantes auxilia esse propinqua certamen committunt. sed illud prælium non diutius protrahitur, cum ciues coguntur maioribus viribus cedere, atque uel intra mœnia fugientes trucidantur. tantus autem terror ijs iniectus est, ut nonnulli desperata defensione Pragæ ad alia castella sese receperint. ea res imprudenter & infeliciter gesta magna trepidatione Boemiam affecit, quam etiam auxit Mariniani recens aduentus cuius autoritas ciuitatem illam ad regis fidem amicitiamq; adduxit. sed illud subdolè fit ab ijs ciuibus, qui studebant per simulationem liberalitatis & obedientiæ erga regem rem tandiu differre, ut noua auxilia accederent, quæ etiam sollicitabant per literas. illæ interceptæ Regem seueriorem magisq; iratum reddiderunt, cum ea de causa magistratus sustulerit, itaq; fecerit ut nullum libertatis uestigiũ

Boemi profligantur.

V in

in eo regno reliquum fuerit. Boemi omnì spe frustrati statuunt reliquam spem salutis in regis clementia collocare; cum sperarent se per Augustum Ducem, & Ferdinandum secundum Regis filium multum humanitatis consecuturos. quingenti igitur positis armis ad regem petentes ueniam contendunt, qui omnes uno tempore in genua procidentes clementiam, benignitatem, misericordiam Regis implorant. his iubet rex è scriptis deliramenta & offensiones publice recitari, quibus auditis prioribus precibus lacrymas et addunt supplices. at Rex subridens nimis tarde inquit: cum lacrymas oporteret et consilij esse comites. Pro his principes prædicti intercedũt, quorum preces plurimum profuerunt priuatis nonnullis, omnes tamen in arcẽ sunt inclusi, neque prius dimissi, quàm omnia executi sint. priuilegia obtulerint ad res publicas priuatasq́ spectantes, fœderationum syngrapha, iura in subditos, aut urbes, aut castella, prouentus, tributa, uectigalia. tormenta apparatusq́ bellicos in arcem comportassent, præter sclopettos, lanceas, sarissas, Thoracas, cæteraq́ huiusmodi arma. quæ iussa sunt in publicum armamẽtum urbis comportari præter gladios, quæ omnia facta sunt incredibili celeritate. postea Rex populo pepercit, omnes expertes primorum consiliorum dimitit. reliqui arctioribus custodijs traditi, quorum nonnullis amputata sunt capita, bonaq́ fisco addicta, ut cæteri ab huiusmodi flagitijs absterrẽtur. Istud autem iure fiebat, quia nulla re oppressi, nulla nouitate suarũ rerum impulsi sola ingeniorũ leuitate arma aduersus suũ regẽ ceperant. Sed quoniam diuitiæ & opes & rerum copia populorum animos plerunque ad res nouas moliendas extollunt, si leues inueniant, at contrà inopia maxime omnium timidos & seruiles facit, ne rursus tumultuari auderent. Boemi debellati omnes publici prouentus urbium sunt adempti, & regiæ potestati addicti: quæ res fecit ut plus spoliorũ & prædæ Rex ex ista q̃ Cæsar ex illis amplissimis uictorijs reportarit. nã opulento regno & amplo & frequentia ciuiũ pleno & munito potitus sine sanguine Ferdinandus factus est opulentior, at Cæsar multis principibus & urbibus subiugatis factus est magis inops. Huius

Pœnæ iniũctæ Boemis ob tumultus excitatos.

ius uictoriæ rumor uel ad extremas partes Saxoniæ perlatus omnes liberas ciuitates perpulit ut cogitarēt de deditione; atq; primi omnium Hamburgenses Saxoniæ populi, qui ad chersonesum cimbricam respiciunt, quorum urbs sita est in ripa Albis fluminis, inter liberas ciuitates potentissimi Norinbergam profecti in amicitiam Cæsari: recipiuntur ijsdem conditionibus, quibus reliquæ acceptæ fuerant. iussi præterea sunt centū millia nūmūm in sumptus bellicos impēdere. ea deditio pergrata fuit Cæsari, q̄ per eam putabat se facilius limiros, & Phamiranum, & Bransuicium ad deditionem compellere, & finitimas his præterea ciuitates. Sed quoniam compositæ erant res Boemiæ, Cæsar quia non indigeret collectis copijs, eas dimittit, quarum dux erat Ansualdus, cum solis cohortibus madrucij quas ad sui custodiam reseruauerat Augustum uersus iter capit, præmissis captiuis cum cohortibus Hispanis. agebatur tunc initium anni 1548. ibi tria Germanorum peditū millia datis stipendijs, quæ meruerāt dimittit Georgij Sciamburgij. dimissi sunt rursus Marinianij & Ioannis Nansoi copiæ. iussus est Philippus Tonabertæ esse, ubi erant Hispani; alter urbem ingredi, ubi futura erant comitia. At Bernardus & Philippus Sennonum siue Pomeraniæ duces, & chauci, limiri Phamiranenses, Helsenses, alijq; populi oceanum uersus septentionalem habitantes prima ferocitate posita Cæsaris fortunæ uictoriæq; cedentes imperatorium exilium ueriti statuūt ad Cæsaris clementiam ante comitia esse confugiendum: Petunt igitur ueniam per legationes; multasq; excusationes cōmissorum adducunt, urbes, facultates, se ipsos arbitrio Cæsaris concedentes, qui omnes cum superioribus conditionibus in amicitiam sunt recepti. istud ipsum facere uoluerunt Caucorum siue Luneburgi duces, sed cum nimis superbè effecissent, nimisq; elato animo viderentur, Cæsar eorum amicitiā renuit uel multis precibus variorum principum & Doniæ regis præcipuè rogatus: cum decreuisset post comitia hos, & alias eius regionis urbes ad iustam pœnitentiam suorum commissorum armis compellere. Accidit per id tempus ut copiæ Nicolai Madruccij de promissis stipendijs magnopere quererē

Vrbes liberæ se dedunt Cęsari.

1548.

tur; quos hortabatur signifer vt suas querelas ad tribunum suum deferrent. at illi magnopere inflammati quòd iniuriā sibi fieri à Cæsare existimarent sub signis ad Cæsaris palatium contendunt. ea res multos ciues ad arma compulit ad salutē suam suorumq; tuendam. Cæsar ignarus quò res tenderet, clauso palatio se ad defensionem cum suis aulicis accingit. is tumultus ad tres horas non sine aliqua utrinque cæde perdurauit: at tandem pollicitationibus & promissis stipendiorum sedatus fuit. Cæsar rebus postea pacatis suspendio puniuit autores eius tumultus. atque hoc fuit post multas uictorias militare donatiuum. Quamquam Cæsar non potest auaritia accusari, cum Italis Hispanisq; ducibus donatiua concesserit, antequam eos dimitteret, legationibus Boemorum torques largitus sit, ciuitatibus offerentibus magnum pecuniarum pondus dimiserit, quibus etiam multatæ fuerant. Sed inopia nummorum fecit ut non soluerentur illis stipendia; insolentia & temeritas, ut etiam nonnulli supplicio digni putarentur. Nihil est enim tam pestiferum exercituum imperatoribus quàm auaritia & parsimonia, quæ priuatas, at non publicas res alit; cum nemo gloriosus & honorificus imperator dici aut esse possit, qui ualde pecuniæ sit amicus, ac non gloriam uniuerso auro anteferendam putet, neque rursus ferenda est tanta militum insolentia. Atqui illud mirabile fuit, quod Cæsar non modo tam confusas & fluctuantes res Germanicas composuerit, uerum etiam tam breui spatio, ut incredibile propè videatur; cum tantæ vires in eum insurgerent, ut vix ulla humana potentia posset eas infringere. Et profectò aduersus reliquas uires Christianas consistere potuissent, si quis uoluisset iniquè tantam fœderationem opprimere. at ubi non iusta sit querela, Deus habendus est aduersarius, cuius potentiæ, qui exercitus, quæ classes, qui armati, quæ castra, quæ uires possent resistere? Nam & Roma orbis domina tanti momenti esse duxit Rhenum transire, ut cum id Iulius Cæsar fecisset, supplicationes Pijs immortalibus decreuerit. Et Carolus is, qui Magnus cognomento fuit appellatus, triginta annos absumpsit in perdomanda Saxonia; cum tamen Carolus

Tumultus militaris.

Auaritia pestis rerū publicarū.

rolus quintus eius nominis imperator uniuersam intra quindecim mensium spatium subiugarit. at duæ res fuerunt rebus Germanicis pernitiosæ, alterum quòd nulla erat iustitia aut æquitas querelæ, altera quòd Germani pro Cæsare pugnabāt aduersus Germanos. accessit à Philippo Hispaniarum principe Cæsaris filio Ringomes Sylua uir Hispanus Cæsari gratulatum pro uictoria et gloriosis triumphis de tam bellicosa tamq; potenti prouincia, cuius aduentu mirificè lætatur Cæsar, qui tunc augustæ propter labores bellicos ægrotabat. at enim quia uerebatur ne Hispani grauiter ferrent neque parerent omnino siquis eius nationis in Hispaniæ præfectura relictus fuisset, putauit rebus suis optimè consultum fore siquidem & nobilitate & dignitate præstantiorem præfecisset. cum igitur esset apud eum Maximilianus Ferdinandi filius princeps supra iuuenilem ætatem prudentia & magnitudine animi clarus, ei regno hunc ducit præficiendum. ut uerò Hispanæ uiris Germanis etiam arctius coniungerentur impetrata licentia autoritateq; pontificia mariam primogenitam in matrimonium illi concedit. quibus actis Riugomes in Hispaniam remittitur, iubeturq; philippo significare Cæsarem optare vt is in Germaniam Belgosq; accederet, ut ab omnibus populis inferioris Germaniæ in principem acciperetur, affirmareturq; iuramento. Cæsar de omnibus ijs, quæ Genuæ contigerant in italia, certior factus per literas Auriæ, grauissimè mortem Ioannettini tulit; cuius rei cum autores fuisse Pontificem & Petrum Aloysium Farnesium eius filium sensisset, rem in opportunum tempus dissimulat: cum etiam Neapolitanus tumultus inde in mentem ueniret. Sed Ferrandi Gonzaghæ & Auriæ consilio, ratio inuenta est & acceptas iniurias ulciscendi, & consilia hostium infringendi. Nam cum Petrus Aloysius multis in rebus uisus esset Gallorum partibus studere aduersus Cæsarianos, habereturq; loco hostis ab ipsis Cæsarianis legationes miserat ad Auriam, ut se excusaret apud eum principem, purgaretq; ab accusationibus inimicorum, demōstraretq; cædem Ioannettini Auriæ sibi molestam accidisse. at uero cum Augustinus Landus Placentinus unus fuisset

ex

ex ijs qui legatione fungebantur, Auria clam de interficiendo Farnesio duce cum eo agere cœpit, ita uerò actum est cum eo Lando uiro strenuo, promptoq; ingenio, & forti; ut antequam Genua discederet Auriæ promiserit se Fanesium sua manu interfecturum, Placentiamq; Cæsarianis aperiturum. his actis contrà ad promittit Auria se Ioannettini filiam in matrimonium filio Landi daturum, multaq; alia donatiua impetraturum à Cæsare. cum uerò publicè audientiam Auria his legationibus dedisset, optime se affectum esse erga Farnesium & Pontificē simulauit, lætoq; uultu eas & admisit & dimisit, quæ Farnesio nūtiata fecerunt ut omni prorsus suspicione uacaret. Cæsar factus certior de Auriæ consilio iubet Ferrādum qui erat in præfectura Mediolanensi tantum uirium colligere, quantum coniuratis sufficeret ad eam urbem tuendam, ipseq; sua præsentia rebus coniuratorum faueret, quod fit summa diligentia. Landus quo pacto susceptū consilium perfici posset, perpendens in suam sententiam quatuor è primarijs clam adducit Ioannem Anguisciolum, Aloysium confalonerium, & duos fratres Hieronymum & Alexādrum Palauicinos. his facile fuit tantum facinus suadere autoritate potentiaq; præstantibus in ea ciuitate, quorum autoritatem etiam senatus sequebatur propter eius principis imprudentiam, multaq; iniuriarum genera, quas assiduè in eos ciues inferebat. Nam post acceptam ciuitatem à Pontifice antiquissimam senatus eius urbis autoritatem sustulit; noua tributa imposuit, multaq; per libidinem nefanda perpetrauit. enimuero nihil magis periculosum est uitæ principis, quàm si urbium & populorum priuilegia antiquarit ac deleerit: cum sepius libertas & ornamenta patriæ ciues ipsi propriæ uitæ anteponant: quæ omnino integra conseruanda sunt ab ipsis principibus & confirmanda nisi l·se maiestatis & defectionis rei uniuersi ciues condemnentur. nam his ereptis sollicitantur ad defectionem: His etiam accedebat munitio quædam, quam urbi imminentem extruendam curabat, cum maxima Placentinorum ciuium indignatione: & quod eius patriæ honores ac magistratus ciuibus ereptos Gallis tribuebat. His tot iniurijs inci-

Conspiratio in Petrū Aloysiom Farnesium.

incitati & inflammati ciues apparebant iam iam aliquem tumultum excitaturi. Quæ quoniam ad aures Farnesii peruenerant, miserat Bartolomeum villæclaræ ad conscribendas colligendasq́; copias. at quoniam negligentia pestifera est sem per & tarditas in rebus bellicis, coniurati certiorem faciunt Ferrandum de omnibus rebus; qui ad tertium idus Septēbris Placentiam profecti in arcem contendunt ubi dux ille habita bat. cum uerò tempus opportunum uisum est, custodes inuadunt, à quibus ad missi fuerant propter autoritatem cum essent è primarijs eius urbis; quibus trucidatis pontem subductilem tollunt, thalamum Farnesii inuaduntur, inuentum cum duobus inermibus trucidāt. obseruata enim fuerat hora prandij, quo tempore nemo propè esse consueuerat in palatio, quòd omnes reliqui extra palatium uictitarent. sic trucidatū abscißis pudendis altero pede suspendunt è fenestris in ea par te oppiduli, quæ magis forum urbis prospectaret. deiectus est denique post diuturnum spectaculum in fossas oppiduli, libertas & imperium conclamatum; quorum alterum populum de mulcere, alterum à suscipiendis armis absterere uidebatur. at Gonzaga qui Cæsaris consilio iussus erat his cum auxilijs præsto esse, quo promptior fieret morabatur cremonæ; mox Placen tiam accitus Cæsaris nomine incredibili celeritate usus cum armatis urbem obtinuit. ea tam molesta Pontifici acciderunt, ut cum Henrico Galorum Rege fœderationem societatemq́; bel li clā inire tētarit; sed propter multas difficultates quæ utrin que incederunt, nihil agitur, interim dolorem, quē è filij morte perceperat, dißimulatur; cum diceret Petrum Aloysium sua imprudentia merito cecidisse, cum parui facere uideretur susceptas inimicitias. cum ea cædes periucunda Cæsari uideretur. Augustini Landi filio data est in matrimonium Auriæ neptis promissa, cæterisq́; coniuratis ingentia præmia: quanquam nonnulli eam cædem sine Cæsaris consilio factam credi derant ignari prorsus eorum quæ gerebantur; quare hæc car mina sunt circumlata;

Petri Aloysii Farnesii cędes.

Cæsaris iniussu cecidit Farnesius Heros.
At data sunt iussu præmia sicariis.

Nam

Nam profectò ridiculus fuisset Landus, cæteriq; coniurati si nullius autoritate freti tantum facinus ausi esset, neque uires esset habiturus, quibus post facinus protegeretur. neque prudens Gonzaga uideri poterat, si inconsulto Cæsare aduersus Pontificiã potẽtiã clarissimamq; in italia et tunc florentissimã Farnesiorum familiam nullo proposito præmio, nullis impulsus inimicitijs defensionem suscepisset coniuratorum: Quippe cũ non deceat principum ac regum ministros impune principes homines infestare, ne in suos Reges arma populorum conuertant. Gonzaga Placentia ita potitus conatur Cardinalis Farnesii animum placare, seq; purgare ab ea immanitate apud eum, ad quem etiam literas huiusmodi perscribit. grauissimus sanè ut debuit Patris tui casus principis clarissimi mihi accidit, cum propter meam in eum obseruantiam, tum quia amplitudinem tuam uideo, ut par est, eum grauiter ferre. Verumtamen illud non minus fuit molestum, quòd Cæsaris res ita cogebat, ut urbem illam occuparem, quo omnibus ijs consulerem, quæ viderentur pertinere ad Cæsaris utilitatẽ. Id autem, quòd etiam molestius mihi uisum est, ita se habet quòd non ita Cæsarem commouere possum ut cupio. Idcirco ab amplitudine tua peto ut meam de hac re excusationem accipiat, si illud officium non apparuit à me profectum, quod pro nostra amicitia in eam proficisci debuit; quia meæ uires ultra certos terminos non extenduntur. uerumtamen siquid ab amplitudine tua cognitum fuerit, in quo mea opera alicui usui sibi esse possit apud Cæsarem, gratissimum mihi erit, & in beneficij loco numerabo, si ea familiariter vsus fueris. interim Deum rogo, vt clarissimus Dux meliori felicitate quàm præsentis uitæ perfruatur: tibiq; largiatur animi fortitudinem ad tantum euentuum acerbitatem patienter ferendam.

Ferrandi literæ ad card. Farnesium.

Iam enim Augustæ cœpta erant comitia, quò plerique Germani principes liberarumq; ciuitatum legationes aduentarant, cum subditi Oderici Vettembergensis ducis molestissimas querelas aduersus suum principem deferunt; quibus cõpulsus est Cæsar ut illi diem dici iusserit. Verum cum ad statutum tempus menstruum non apparuisset, seq; recepisset in muni-

munitionem quandam finitimam Heluetiorum finibus, iubet Cæsar equitatum eius agrum hostiliter inuadere. At Odericus ueritus ne hoc fieret consilio & adhortatione Regis Romanorum, atque idcirco acerrimè ageretur, propter iura quæ se habere censebat in eum principatum, legationes mittit ad Cæsarem, quæ se excusarent quòd ad statutum tempus non apparuisset, quoniam ualetudine fuisset impeditus: quare effectum est ut copias Cæsar ab infestando eius principatu reuocauit. At uero Mauritius nouus Saxoniæ creatus elector Halæ vel Federici ipsius consensu, quia non fuissent seruata omnia solennia, quæ in conferenda ea dignitate solent seruari, impetrat à Cæsare ut nuper confirmaretur præsentibus cæteris electoribus per ea ipsa solennia, quæ in ijs seruari consueuerunt. celebrata sunt autem tanto, tamq; incredibili apparatu, tantaq; magnificentia, quanta uix ab ullo cõmemeratur. Quæ cum Federicus aspexisset uisus est tanta animi magnitudine contempsisse, ut nullam prorsus dederit mæroris aut animi grauiter ferentis significationem. in Augustanis comitijs, quoniam ea instituta fuerant à Cæsare, ut collapsa religio restauraretur, profligarenturq; hæreses, multa pertractata sunt ad cultum diuinum spectantia; atq; Cæsar formulam præscripsit eorum quæ obseruanda censeret usque ad concilij decretũ, quam formulam Interim appellarunt. continebantur in ea quæ credenda obseruandaq; uiderentur hæc; conditio hominis ante & post primum delictum; de redemptione, de iustificatione, de remissione peccatorum, de operibus, de autoritate ecclesiæ et ministrorum, de sacramentis, de mortuis, de ceremonijs, de aduocandis sanctis hominũ animabus in auxilium & patrocinium, de communione, ac de ceremonijs. statuitur itaq; ut obseruatio solẽnitatesq; pro cõmemoratione diuorũ obseruetur, ut ieiunia, ac cætera pro sanctæ Romanæ catholicæ ecclesiæ cõsuetudine seruentur; ea tamen conditione ut quicunq; ex ordine sacerdotum uxorem duxissent usque ad concilij decreta non cogerentur eam relinquere. Qui sub utraque specie hactenus Eucharistiam sumpsisset, ne cogeretur calice carere. Quæ tametsi præter imperatoriam dignitatem acta fuisse ui-

Solemnia ob electionem Mauritio concessam.

Formula interim uocata cõcessa à Cæsare in comitiis augustanis.

Decretũ Augustanum.

sa sunt ; tamen eo consilio facta sunt consultis rerum sacrarū professoribus, quia res paulatim, at non confertim sunt in melius commutandæ. Nam qui eodem tempore uniuersam alicuius populi uel uicti religionē mutare conabitur, per suas calamitates denique experietur, quàm periculosa sit repentina quæque cultus deorum euersio. at uerò libellus is, qui Interim uocatus est, neque inconsulto quidem Pontifice fuit propositus: quem etsi non satis æquo animo Pontifex ferebat, tamen ita postulabat ratio temporis. Ea dum in comitijs proponuntur, Odoardo Anglorum Regi è Scotia promissa sponsa pro uotis Anglorū ut Scoti se facturos receperant, nō conceditur, quare ad bellū deniq; uentū est. collectis itaq; magnis utrinq; copijs, Anglis Somersetus Regis auūculus, Scotis Iacobus Hamiltonus Arranæ comes, et Regni Scotiæ gubernator, pficiūtur. cum summo rei militaris imperio. pugnatur diu acriter apud Musselburgum oppidū; sed multis utrinq; nobilibus cadentibus uictoria denique penes Anglos fuit. accesserunt ad Augustana comitia Legationes Sarmatiæ & Sidoniæ siue Poloniæ Regis, quæ cunctis ordinibus imperij iura eius regis in Prussiam patefacerent, abolitionemq; peterent proscriptionis Neomagensis in Albertum magistrum Prussiæ. nam Albertus ad amicitiam & tutelam eius regis confugerat, nomenq; magistri in ducem mutarat. sed his rationibus utrinque auditis Vuolfango Prussiæ magistro sententia fertur. moritur paulo post calendis Aprilis Sigismundus rex Poloniæ, quare totum illud negotium euanescit. Rogat uxor Lantgrauij, & cum ea omnes ordines intercedunt pro eius libertate; sed nihil actū. Mulcasses Rex Tunetanus effossis luminibus eam insignem filij in se crudelitatem expertus, cum ita immaniter filius patri per insidias regnum occupasset, ad Cæsarem supplex Augustam contendit, mouet regia Grauitate uerborum, & commemoratione filij in se crudelitatis animum Cæsaris ad misericordiam. sed res grauiores urgebant Cæsarem, cum non liceret à præsentibus rebus discedere. concilium patrum, quod habebatur Tridenti, multorum patrum ualetudine distrahitur alijs aliò sanitatis causa, & ad recuperandas uires recedenti-

Scotiæ bellum cum anglis.

Magister prussiæ dux uocatus.

Sigismūdi regis Poloniæ mors.

Mulcasses rex eiectus regno à filio, & oculis priuatus.

dentibus. is libellus cum fuisset in comitijs acceptus ab electoribus multi Germaniæ populi grauiter tulerunt; quippe cum non solum rebelles qui adhuc erant illi restiterint, ut Canoduri & Madeburgi ciues, cum alijs nonnullis Saxonum populis. inter Sueuas urbes fuit Argentoratum, Alcimenium, Norimbergum. Saxonum urbes Phamiranum, Treua, Chauci, Bransuiccum, Hilsenses. ea indignatione commoti non modo religionis integritatem recentem admittere recusabant, uerum etiam quæ publico nomine ciues obtulerant Cæsari nolebant esse irrita. & quamquam Philippus unus è Sennonũ ac Bugantorum ducibus ad unguem cætera omnia seruauit, persoluitq; centum & quinquaginta nummùm millia, quæ debebat, tamen ijs quæ spectabant ad religionem minime assensit. ea etsi molestissima Cæsari, ut qui sua sapienter suscepta consilia perfici cuperet ad communem populorum salutem, accidebāt; tamen per id tempus dissimulauit. neque ullam dedit iræ significationem, nisi quòd dixit futurum ut cum maiori dedecore Germanos rursus pœniteret suorum errorum. His rebus ita constitutis Cæsar ad decimum septimum cal. Septembris iubet quod in comitijs statutum esset publicè per præconẽ pronuntiari, ac seruari, donec in concilio de uniuersa re decernetur; deinde statuit Senatum Augustæ exauthorare: nã cum multi inessent de plebe, qui paulatim eò irrepserant, multiq; male de catholica fide sentiẽtes, nouum senatum instituit. & quoniam uidebantur hæreses paulatim in occultis concilijs in priuatorum domibus initium sumpsisse, tribus autoritatẽ abrogat, ciuiumq; conuentus fieri interdicit. His Augustæ cõstitutis discedit alcimenium, libellum accipi iubet, Senatum renouat in Augustæ morem; hæreticos remouet è senatu, catholicos sufficit. neque id solum uidebatur commodi Cæsar cõsecutus Alcimenium profectus ut eam urbem informaret ad cultum diuinum, & ad obseruantiam imperij; uerum etiam sic fiebat magis uicinus ad infestandam urbem Canodurum siue constantiam, quæ neque imperatorium exilium, neq; Cæsaris minas tantilli faciebat, uidebaturq; Heluetiorum tutelã acceptura. id si accidisset, opus erat ut prorsus desperaret se

Germani formulam grauiter ferunt.

Senatus Augustanus exauthoratur, & Alcimeniensis.

 posse

posse illam amplius in deditionem compellere. Sed quoniam neque ex utilitate, neque è dignitate Cæsaris esse apparebat pati ut uideretur eius urbis unius uiribus deterritus, decernit summis uiribus eam inuadere. sic igitur Augusta discedit relictis ibi duobus uexillis peditum Madruccij. cæteri Germani paulo post sunt dimissi, quòd ijs uideretur non opus fore; quare Hispanum peditatum & equitatum Italum secum adducit, quæ in agro Alcimeniensi stationem habuerunt.

At uero quoniam quo tempore Philippus gratulatum miserat, statutum fuit ut Maximilianus in Hispaniam, Philippus in Belgas accederet. Nam Cæsar cum haberet apud se nepotem Maximilianum Ferdinandi fratris filium iuuenem prudenti maturoq; iudicio; ne Hispani absente Philippo principe tumultuarentur, aut uirum Hispanum sibi præfectum grauiter ferrēt, eum in eam prouinciam cum proregia potestate mittere properat. atque ut Germaniæ uires hispanis etiam coniungeret, per Pontificiam autoritatem uenia impetratur ut Mariam Cæsaris filiam duceret uxorem, hæ nuptiæ dum celebrentur Albanus in Hispaniam missus, quæ profectioni Philippi forent necessaria comparat, familiam ad usum consuetudinemq; Burgundiæ instruit, sicut Cæsar habere consueuerat, quo tempore Maximilianus Genuam per Mātuam contendit ut ibi triremes Cæsareas conscenderet, quod factum est ad duodecimum cal. sextilis. Princeps illi obuiam mittit citatis equis Barcinonem usque Petrum Cordubensem qui eo profectum suo nomine gratularetur, ad quem Maria etiam Diegum mittit cordubensem. at Maximilianus idibus quintilis nauim conscendens felici sane uento nauigatione usus Barcinonem applicuit, ubi cum multa lætitiæ significatione fuit exceptus. postea iter capit Pintiam uersus, ubi multi fiebant ad nuptias apparatus: unde cum parum abesset comitantibus Petro HernandeZo conestablio castiliæ, multisq; alijs proceribus qui honoris gratia obuiam prodierunt in eam usque partem Tarraconensis, quam Aragonæ regnum appellant. deinde princeps ipse amirante castiliæ Albanoq;

& alijs multis principibus comitantibus ad uiginti & quatuor millia passuum citatis equis ad urbem usque quam uulgo Oliuaresam uocant, obuiam prodit. Princeps postea Pintiam reuertit, die postero magna cum pompa in urbem accipitur, uesperi celebrantur nuptiæ, confirmanturq́ue contractæ iam in oppido Aransuezo uocato non procul à Mantua Zaraconensis ciuitate per cardinalem Tridentinum principem imperij. Deinde peractis solennibus regia conuiuia fiunt, comœdia ad oblectandos animos Ludouici Ariosti recitata; quibus solennibus absolutis Philippus his præfectis Hispanicis administrationibus ad iter à Cæsare iussum facessendum animum adijcit, atq; familiam primùm Barcinonē mittit: quo tempore in Anglia episcopus Vuintoniēsis uir bonus, & catholicæ religionis obseruator captus est, & custodiæ traditus. nam puero rege publicè missa sacrificiū uocatæ, multaq́ue aliæ ceremoniæ & ritus sacrorum sunt abrogati. Cæsar ubi non procul à Canoduro abesset spe eius ciuitatis potiundæ, in agro Alcimeniēsi ut diximus stationē habebat. At Alphōsus Viues dux strenuus patria Neapolitanus patre Hispano natus non mediocris existimationis apud Cæsarem & inter suos ob singularem peritiā rei militaris decernit per aliquam fraudem Canodurum occupare. Inuitabat eum ad illam spem ciuium nonullorum consilia, quos Cæsarianis partibus fauere intelligebat. nam potentiorum ciuium tyrānidis perisæsi, & eorum præcipuè qui præerant rebus publicis in ueterum iniuriarum ultionem eius urbis gubernacula uni principi rectius committi credebant. quippe cum non minus grauis sit æmulatio & odium quod ex inuidia inter propè pares nascitur honorum causa, quàm quæuis crudelis tyrannis, aut unius principis uel molestissimi metus. Alphōsus igitur compositis his consilijs cū ciuibus cū duobus peditū millibus & ducētis equitibus per noctem iter capit. ea res statim per exploratores urbano magistratui aperitur, qui adiunctis sibi ciuibus Cæsari infensis in eos armātur qui studerent Cæsarianis partibus, tāquam in rebelles & coniuratos, & publicæ libertatis oppugnatores. iussus est populus arma capessere, omnesq́ue coloni

Maximilianus Mariā Cæsaris patrui filiam ducit uxorem.

Alphōsus Vives Canodurum aggressus interficitur.

ni qui ad lacus quos facit Rhenus uenetum & Acronium uocatos habitant. Alphonsus cum arbitraretur se in urbem ab ijs ciuibus statim admissum iri, quam putarat omnibus apparatibus spoliatam se inuenturum, cum primum dies illuxit se uni portarum ostentat, in quam impetum fecit. ciues intuiti hostem ui urbem aggredi communi consilio arma capiūt tā Cæsaris amici quàm hostes, cum per eam opportunitatem ostē derēt se pluris utilitatem publicam, quàm priuatam amicitiam facere. certatum est diu acriter utrinque, Hispani in castra redeunt cæso Alphonso, qui glande in eo certamine fuit trāsfixus. eam rem Cæsar grauiter tulit, non solum quòd uiri insignis iacturam ita fecisset, sed etiam quia uidebatur id nōnihil pristinæ gloriæ minuere. Veruntamen cum uellet uideri uenisse Alcimenium ad res ad religionem spectantes componendas, cum omnes ferè lutheranæ factionis potentiores homines præessent publicis rebus, Cæsar ratus omnem uitiorum originem inde manare; quòd hæretici concionatores populū subuerterent, alicerentq́ ad quandam liberiorem uiuendi licentiam, eos capi iubet, atq; ita captiuos per urbem populo spectādos duci. imperat postea ne aduersus Romanam Ecclesiā quidquam auderēt, magistratus mutat ut Augustæ seruauerat. Heluetij indignati Cæsarem ita Canodurum inuasisse, quòd illud uideretur fieri contra fœderationem cum Austrijs principibus factam, per quam oportebat Cæsarem ab eorum finibus ad minus per uiginti millia passuum abesse, reuocant suos à comitijs, legationes Canodurum mittunt ad eos ciues in fide amicitiaq́ iam incepta retinēdos. At uerò Canodurenses ueriti propinquitatem potentiamq́ hostis, quantaq́ celeritate et audacia uel pauci ausi essent urbem inuadere, non nihil trepidant. Quippe cum non parua contentio nata esses inter ciues nobiliores & plebem, quod hi diuturnitatis magnitudinisq́ sumptuum bellicorum pertæsi, quia semper noua tributa pro tuenda libertate urbis imponerentur, mercimoniaq́ & omne genus lucri euanuisset, fuissetq́ sublatum propter has rerum perturbationes, cuperent iam liberari tot molestijs per clemētiam Cæsaris. illi hoc deuitabant, quia si libertatem Cæsaris

Contētio orta inter Canodurēses, & plebem.

arbitrio

arbitrio commisissent, sibi videbantur facultates etiam fortunæ arbitrio committere, quæ semper è publicis rapinis augebantur : uidebaturq́, honorum ita ereptum iri facultas, quæ cupiditas cum opibus coniuncta est semper ferè, & ceteris dominandi libido. Cæsar his tot perturbationibus cognitis facile allectus est ad eam oppugnationem renouandam : sed quia non adessent tantæ uires collectæ, quæ sufficerent tanto huic negotio, animum ad artem conuertit. per Antoniū Perenottum itaque Episcopum Rigiaci, & ducem militum Ferdinandi Regis consilium excogitat, cuius consilij multi ciues fiunt conscij, ut statuto die pluribus è locis Canoduris finitimis magnus numerus armatorum colligeretur, ingredereturq́, urbem per eam portam, quæ lacum superiorem prospectat. id consilium felicem exitum sine controuersia habuit; quia à coniuratis adiuti nemine amisso in urbem irrumpunt admittunturq́, atque illa statim ad pristinam Cæsaris redit obedientiā nonnullis aduersæ factionis principibus Cæsis. Iam eò Cæsaris uires auctæ fuerant in Germania tātarum rerum felicitate, quæ quasi aliqua seges ex illis prudentissimis principijs ac seminibus pullulauerat, quæ in ingolstati castris sata fuerant; ut non modo hostes ad offensionem potius quàm ad defensionē perspectarent, uerum etiam cæteris hostibus Cæsarei nominis ingentem trepidationem iniecerit. Hi felices successus maxime omnium infestabant Paulum tertium Pont. Max. & Henricum Galliarum Regem; quippe quòd timerent arma uictricia Germaniæ post res ibi compositas in se conuersum iri, neq; facile futurum ut postea tantis uiribus resisterent. Henricus igitur positis firmissimis præsidijs in finibus Belgicæ Galliæ, quam Piccardiam uocant, Sequanos siue Burgundiam uisit, quibus urbibus & oppidis in finibus rebus ad sustinendos impetus hostium siqui fierent, opportunè munitis, mox in Galliam subalpinam conuolat Augustam Tauricam, quam Taurinum vulgo uocant; quia Italus equitatus à Cæsare missus esset in Italiam. uix eò Henricus peruenerat cum nuntiatur in finibus Aquitaniæ Burdegalenses & Pictones & Santones tumultuari propter Salinarium uectigal; nam Henricus in

Canodurū ad Cæsaris obedientiā redit.

Burdegalēsium Pictonum, & santonum seditio.

in sumptus futurorum bellorum nuper illud non parum auxerat, & tributa extraordinaria praeterea. is nuntius Henrico grauis accidit, quia uerebatur ijs praesertim temporibus ne ea res plurimum molestiarum afferret, quare statuit sibi titius esse ex italia ad eos fines properandum. res tamen uel sine regis aduentu sedata fuit Annae Memorantij Reguli opera & prudentia, qui cum duobus equitum octo peditum millibus repente e finitimis locis collectis eo repente aduolauit, & in ipso prope articulo temporis surgentia & recentia adhuc seditionum semina oppressit. Autores seditionis tollit e medio; qui, quoniam praefectum Regium trucidarant, coacti sunt prius digitis & unguibus effodere ipsum cadauer deinde necati. & quoniam ad turbas ciendas tinnitu campani aeris usi fuerant, interdictus est earum usus, omnisq́; sublatus. quod uero in praefectum saeuitum esset, literae omnes & priuilegia exusta. sic igitur seditionibus in aquitania sublatis Henricus per foederationem curat sibi Pontificem Paulum & Heluetios iungere, quo ualidior fieret non modo ad propulsanda arma Caesariana, sed etiam ad bellum ultro inferendū.

Seditionis autores nouum post supplicium necantur.

Caesar de his omnibus certior factus ueritus repentinum bellū in se arsurum, Maximilianum comitem Buranum mittit in Angliam ad amicitiam foederationemq́; cum nouo Rege confirmandam, Anglosq́; in fide retinendos. Et quoniam liberae urbes Caesaris consilio condemnatae fuerunt ad quendam pecuniarum numerum persoluendum, ipse uenit Neomagum ad aerarium ibi constituendum, qua pecunia uteretur in bello italico, tum Belgas se recipit ad 12. cal. Octobris, ut ibi praesidia in ijs finibus & munitiones recognosceret, captiuis in Andernandam, quod est Belgarum oppidum seruatis. Sed quoniam ille aduentus, & Burani profectio uidebatur iure aliquid suspicionis Gallo allatura, legationem mittit ad Henricū, quae doceat eum Regem priuatis nonnullorum rationibus adductum Caesarem ita facere; eum amicitiam cum ipso Rege seruaturum esse, non secus atque si Franciscus pater felicis memoriae uiueret. ea etsi Rex sibi grata accidisse ostendit, concessitq́; Eleonorae Reginae Caesaris sorori ut ad salutandum Caesarem

Henricus uictricia Caesaris arma timens & ad defensionem & ad bellū se munit.

sarem

ſarem adiret, tamen maiorem etiam Suſpicionis occaſionem attulerunt, quòd Cæſarem præterea nouis & extraordinarijs tributis populos grauare, pecuniarumq́; plurimum colligere intelligeret. quæ etſi principia belli non ſunt, tamen in magnis principibus, in quibus non habet locum auaritia, quòd poſſint quando collibuerit magnum auri pondus colligere, non ſine certa ratione, certoq́; conſilio iſtud fieri à prudentibus creditur. Nam profectò colligendæ pecuniæ ratio uidebatur illi à Cæſaris uerbis diſſentire. Ne igitur repentinis uiribus Cæſaris opprimeretur ueritus, Heluetios recenti fœderatione ſibi adiunges ſollicitat, & ad belli ſocietatẽ, quæ fuerat cum patre renouandum; quæ denique renouatur his conditionibus; ut utrique ſine dolo ac fraude ſincere fideliſſimeq́; coniungerentur ad defenſionem, conſeruationemq́; mutuã principatuum ac regnorum citra ultraq́; alpes, & ad ſuam utriuſq; fœderatorum defenſionem. Si contigerit Regi ut ſine auxilijs Heluetiorum urbes, oppida, regna ceperit, ipſi teneantur ac debeãt præſtare auxilia ad ea defendẽda: quod ipſum facerẽt ad recuperandã urbem clariſſimam Belgarum Boloniam. Sin alijs auxilijs opus eſſet, Heluetij illa præſtarent ad ea recuperanda, quæ poſſeſſa fuiſſent ab alijs regibus Gallis, neque ulli fauerent eas urbes aut principatus poſſidenti. Si Rex ad ſuos fines infeſtaretur, ac bello uexaretur, uel ſi hoſtibus eſſet ſuperior, poſſet ad ſua commoda quantum uellet copiarum intra fines Heluetiorum colligere; qui tamen non eſſent pauciores ſex millibus, neque plures ſexdecim, niſi aliter fieret cõmuni conſilio adhibita Heluetiorum magiſtratuum autoritate. liceret Regi duces deligere qui peritiores exercitatioresq́; uiſi eſſent, modo ex eadem natione diligerentur. Quoties hi peterentur à Rege, ne impediri poſſent; ſed intra decem dies ex quo eſſent petiti ad regem tranſirent, neque recederent ante finem belli; uel etiam poſt bellum ſi rex ita uellet. Ne liceret magiſtratibus eos duces qui exiſſent ad bellum reuocare ulla alia de cauſa, niſi ſi Heluetij ipſi intra ſuos fines eſſent in periculo, atque infeſtarentur bello; per quam occaſionem ſtatim ad ſubleuandam patriam remitterentur. Ne liceret

Henrici ſe deratio cũ Heluetijs, & quibus pactionibus.

Regi belli tempore hos seiungere inuicem, quos tamen per pacem separaret, ut uellet, neque tamen mari committeret. ut Rex stipendia antequam meruissent, traderet; & antequam militare inciperent, trium mensium stipendia: quatuor nummos aureos singulis priuatis. Ducibus & cæteris qui aliqua munia aut magistratus in castris horum exercerent necessarios militiæ, ac ordinarios ex institutis Heluetiorum, pro dignitate singulis stipendia eadem ratione, & lege; quæ stipendia tunc primùm inciperent, cum domo exissent. At contrà, si bellum inferatur Heluetijs, Rex ut suis sumptibus ducentos cataphractos equites, & duodecim muralia tormenta cum apto apparatu suppeditaret: quæ nisi amitterentur post bellum remitterentur Regi. ut Rex tertio quoque mense Lugduni numeranda curaret duo coronatorum millia tam pacis, quàm belli tempore. Si accideret ut per bellum salis conuectio Heluetijs aliunde interdiceretur, aut eriperetur facultas commeatuum, ut liceret emere ubicunque uellent in regno sine nouis uectigalibus. Neutris bellum aut pacem sine communi consensu vt suscipere liceret: quòd si altera pars nollet comprehendi, tunc quisque eam pacem aut inducias posset facere liberas, neque teneretur alterum protegere; neque cogerentur hostes alterius ab alterius amicitia recedere. ut rex singulis Heluetiorum primarijs urbibus tria Francorum uocatorum millia Lugduni numeranda curaret in die purificationis. ad horum cõseruationem decernitur ut siquis de Rege quereretur, causam proponeret magistratibus: qui si accusationem legitimam iudicassent, accusator ad eum qui regijs negotijs præesset inter Heluetios accurreret. at si nemo præesset scriberent magistratus ad regem, hortarenturq́; & rogarent ut iustis petitionibus subditorum satis curaret fieri. quod nisi Rex curasset, esset libera facultas magistratui disceptantes ad duos iudices eligẽdos aduocare, qui ius dicerent. quod etiam nisi fieret, ordinarij iudices sententiam ferrent, & quod esset iudicatũ, illud inter Heluetios ratum esset. ut reseruaretur suus locus Pontifici Romano, Cæsari, Lusitaniæ, Scotiæ, Sidoniæ, ac Sarmatiæ

& Da-

& Daniæ Regibus, & alijs principibus si eius fœderationis participes fieri uellent. Quodsiquis fœderatorum fœderato bellum inferret, cæteri omnes opem ferrent iustiori parti, nihil impedientibus prædictis. Ne Rex aut Heluetij possent à fœderatione recedere per aliquam antiquiorẽ cum ipsis Heluetijs pactionem aut cõditionem quæ posset præsentem societatem belli & fœderationem impedire, quæ tam diuturna foret, quàm ipsius regis uita. sic igitur ad uires conatusq́. Cæsaris siqui fierent in Belgarum finibus ubi primum timebantur propulsandos inita est fœderatio & societas belli cum Heluetijs. Atqui cum Maximilianus esset Pinciæ, Philippus institutum iter ingreditur ad sex. non. Octobris comitantibus card. Tridentino, legatione pontificia, Albano Regulo, Gonzalo Cordubensis sessio, Antonio Toletano, alijsq́. nonnullis proceribus Hispanis, qui omnes citatis equis Barcinonem conuolarunt. eo in itinere multos præclaros principes obuios honoris gratia habet: ut Marchiones uastij & Pescariæ, Garziam Toletanum, Bernardinum Mendocium præfectũ classis Hispanæ, omnes primarios Barcinonis magistratus, à quibus perbenignè cum regia magnificentia est acceptus. inde Rhodam uersus iter faciens multis honoribus ornatus à propinquis ciuitatibus ad portam Rhodæ denique peruenit, qui in Hispania Tarraconensi omnibus reliquis portibus maris Mediterranei longe præstat & amplitudine & securitate; quippe cum munitio extructa sit à Cæsare in ea parte, quæ in mare tanquam iugum aut cubitus protenditur, quæ propter uim tormentorum uniuerso & portui & propinquo littori immineat. Ibi instructa egregiè classis auriæ industria ornatissimis uexillis cum Cæsareis insignibus ac regijs auro argentoq́. multo picturatis, ubi Philippus primum apparuit, tantã tormentorum copiam displosit, ut omnis aspectus flammis fumoq́. inuolueretur, uiderenturq́. omnia uno tempore contremiscere. At cum primum dies è tanta caligine illuxit, tres uisæ sunt cohortes egregiè instructorũ Hispanorum peditum, quæ principem ipsum comitarentur; auditusq́. suauissimus harmoniæ concentus ubi Auria prætoria triremi cum Philippo in sca-

pha regiè apparata propinquasset. post uisam ita classem, prætoriamq́, triremem, in qua erat nauigaturus Emporiam redit laudata Auriæ diligentia. fuit mare aliquandi tranquillum, quare multi conscensis nauibus Barcinone Rhodam nauigare conantur, at tanta uis exorta est tempestatis & pluuiarum ut Barcinonem relati neque maritimum ob uentum, neque terrestre ob aquarum copiam iter facere possent, cum ad tria millia passuum planities inter Rhodam & Emporiam stagnaret ad lacum. ea res fecit ut Philippus ad duodecim dies Barcinone moratus sit, quo tempore uel maximis uiarum difficultatibus superatis multi principes & illustres uiri Barcinonem accedunt. post uim illam aquarum & uentorum exorta est non inepta & quasi præsentibus rebus arridens cœli trāquillitas, quare mira celeritate ad iiij. nonas Nouēbris ne tā opportunum tempus frustra amitteretur suscepta est nauigatio. erant ad quinquaginta & octo triremes, inter quas quinqueremis erat prætoria, quæ uarijs principibus conuehendis sunt distributæ. neque uero principes solùm ob sanguinis splēdorem, potentiam, & opulentiam illustres secum adducebat Philippus; sed quia Regem & principem hominem plurimi facere oportet uiros cognitione uariarum rerum præstantes, & animi splendore excellentes, ut qui ad gubernationem regnorum non parum conferant, omnium propè uiuentium præstantissimos in singulis facultatibus ac disciplinis honorificis præmijs adductos Philippus secum habuit. Quippe cum in Hispaniam ex italia uariarum disciplinarum cognitio propè iam relegata sit, quæ ibi cum rerum militarium cognitione nunc etiam maxime uiget. neque uero solæ illæ erant triremes quæ Philippum sequentes conueherent sed multa etiam uarij generis nauigia & onerariæ naues ad quinquaginta, quæ equos & homines & impedimenta in liguriam ad oram italiæ traiecerunt; quæ omnia per schedulas Francisci Duartis nauigia conscendunt. Philippus eodem die ad portum Veneris colibrasq́, peruenit, sed cum magna exorta esset tempestas, et iam à terra ad uiginti millia passuum abesset coactus est colibras reuerti; quare & cætera nauigia Rhodam repelluntur,

unde

unde discesserunt . sed ubi tempestas cessasset maiori animi cō stantia quàm felicitate nauigationis usus ad fossas marianas quas uocant aquam mortuam appulit oppidum Henrici regis in maris mediterraneo situm . ibi Gallus dux Philippo Principi cum nonnullis nobilibus præsto fuit, omne commodorum genus regio nomine pollicetur . neque tamen in oppidum quisquam admittebatur iniussu Auriæ cum perpetuis custodibus illud asseruaretur, tanquam belli tempore . Dum Philippus in eo portu propter temporis molestiam stationem habet, ueritus ne res diutius protraheretur Genuam mittit qui significaret ut nauis cum nautico pane reliquoq; necessario classi cōmeatu obuiam mitteretur ad Eras uocatas insulas nauigā tibus, quòd eà esset nauigaturus. ubi tempestas cessauit à fossis Marianis felici sanè nauigatione usus ad Eras uectus stationem habuit in portu . Sunt autem Eræ insulæ duæ in mari mediterraneo nobiles ob salinarum commoditatem, in quibus magna fit salis albi copia, sed non ualde acris qui in Galliam Nicæa & Narbone distribuitur; ut rubicundus & acrior ex Vuiza uocata in Hispaniam, quòd hæc Galliarum, illa Hispaniarum sit regis. erat Philippus eodem die has insulas præter nauigaturus, sed tempestatis ui coactus est ibi habere stationem . iam annona incœperat classi deficere, tantaq; uis erat tempestatis ut aliunde sperari non posset; & cum Sticades insulæ, sic enim communi nomine quinque uocatæ sunt, ita sunt steriles ac desertæ ut nihil ibi posset inueniri. sed inter tā tas rerum difficultates nauis commeatu onusta accedit; exortaq; tanta est maris felicitas ut secundis uentis usus portum Herculis & litus Gallicum sit præteruectus . cum ad Nicææ Massiliensium Genuensiumq; littorum conspectum nauigassent, omnes quæ erant in littore munitiones ad significationem lætitiæ tormenta displodunt. atque ad Nicæam profectò præsto fuerunt celoces præfecti eius urbis, quæ Ducis Sabaudiæ nomine multa eaq; præclara munera obtulerunt : edulia scilicet ad defessa difficultate nauigationis corpora subleuanda. inde portum Monaci præteruecta classis ad vrbem Sauonam applicuit ante noctem, quæ urbes est in litore maris Ligustici sita;

Erarū insularū situs.

Philippi aduentus Genuam.

atque

atque egressus Philippus cum magna pompa excipitur in urbē comitantibus multis principibus. at cum inde postridie nauigaret obuiam habuit triremem in qua multi proceres ad eum salutandum conuenerant, inter quos Franciscus Mendocius cardinalis, Fernandus Gonzaga summus dux Cæsaris in Italia, Aloysius leyua Asculi princeps, & Franciscus Estensis frater ducis Ferrariæ Herculis, cum multis è primarijs Genuensibus, miserant Genuenses legationes Albinimium, quæ prima ciuitas Genuensis ditionis se offert ex Hispania per mare Ligusticum nauigantibus, quæ omnia Genuensium officia liberaliter offerrent, atque ad urbem Genuā inuitarent. postridie è conspectu litoris Genuensis classis nauigās, ita ut primam alam ductaret Garzia Toletanus, quem sequebatur Berenguellus Requesensis cum siculis triremibus, & cū Auriæ triremibus princeps in aciem instructis. Posternam alam ductabat cum Hispanis triremibus Bernardinus Mendocius, multos amenissimos hortos à sinistra prospectabat; & litora uiridissimis malis medicis, & citris, & oliuetis, & uarijs arborum fructiferarum generibus induta, ita ut omnem pictorum industriam natura iucunditate aspectus superaret. at uero classis egregijs et opulentis uexillis instructa Genuam applicuit, quo tempore oppida, quæ super collibus Genuæ imminentibus sita sunt ad portus tutelam, multa tormenta displodunt, deinde uniuersa classis. Princeps super tumultuarium pontem descensionem facit aulæis constratum, in palatium à duce & à senatu magnificentissimè acceptus est, sibi iucundam esse ostendit Genuensium in se liberalitatem & magnificentiam regiam, ubi ad quindecim dies commoratur inter multa solennia, & clarissimæ opulentissimæq; ciuitatis blāditias. per id tempus omnium principum, liberarumq; ciuitatum legationes italæ gratulatum conueniunt pro felici principis aduentu. dum Princeps in palatio moratur parum defuit ne fortuna uniuersam lætitiam in maximam cladem conuerteret: nam cum forte ciuis quidam cæsus fuisset ab Hispanis, nuntiatur Minciacco magnam seditionem inter Hispanos & Genuenses exortam esse. cum uentum esset eò apparent multi

ciues

ciues armati qui intra domum quandam ad quinquaginta Hispanos obsidebant; quæ res etsi Spindæ tribuni placata fuerat, tamen uidebatur denuo resurgere propter tantam animorum perturbationem. nam ad octauum idus Decembris leuissima uel potius nulla de causa, officinæ clausæ, tumultus excitatus, armati ubique apparent, ut magna omnium fieret perturbatio ignota causa tumultus. Hispani re percepta ad classem sese recipiunt, & arma parant, cum nemo eorum tumultus causam cognouisset. at ea fuit, quòd Antonius Arzeus captus fuerat, qui cum propter hæreditatem insignium facultatum puerum immersisset in fontem sui horti nepotem octo annorum è carcere Pintiæ aufugerat fœmineo habitu indutus, atque iussu principis captus fuerat à Minciacca, est in palatio senatus asseruatus in carcere ad ipsius principis nutum. is cum iussus esset Bernardino Mendocio tradi summo Hispanarum triremium duci, ut Pintiam reuectus pœnas daret suorum scelerum, necesse fuit Minciaccæ cum nonnullis Hispanis sclopettariys ad palatium accedere ad captiuum abducendum. at senatus custodiæ uisis Hispanis sclopettarijs primas portas aperiunt cognita causa aduentus. ubi ad secundas custodias uentum est, qui erant ducenti armati, & totidem sclopettarij perpetua stipendia eius senatus merentes, indignati ausos esse armatos Hispanos eò ingredi demissis sarissis in hos impetum faciunt, primæ custodiæ quæ causam aduentus perceperant medium capiunt Minciaccã, eumq; protegunt ita ut eius autoritate & eloquentia res placata sit senatoribus nonnullis Minciaccæ fauentibus. duobus itaq; Hispanis cæsis Minciacca, rebusq; compositis captiuum cum nouis senatus custodiys abducit. tum senatus apud principem se excusauit, quòd is tumultus non ex autoritate consilioq; senatus, sed ex populi inscitia excitatus est, quare uenia facile conceditur. Deinde paucis diebus interiectis princeps per difficiles asperrimasq; niues, & frigora, & difficultates locorũ Mediolanum contendit, atque tertio die Alexandriam Paleariam urbem non ignobilem insubrum peruenit, ubi accipitur à Consaluo salmantico uiro Hispano cum multa totius urbis lætitia. hinc Ticinum, hinc Binascum, hinc Mediolanũ

Tumultus Genuæ exortus.

pro-

proficiscitur. atque obuium habuit Sabaudiæ ducem antequã Mediolano ad duo millia passuum propinquaret, quem princeps singulari humanitate excepit, ut tanti ducis dignitas postulabat: nam vxorem duxerat Beatricem Emanuelis Lusitaniæ regis filiam, & matri suæ imperatricis sororem. iam ue ro triumphales testudines & arcus nihil neque operum præstantia neq; magnificentia apparatus Genuensibus cedebant, quamuis & plures & magnifici Genuæ fuissent. cum primum uentum est ad Ticinensem portam Mediolani, quæ diui Eustorgij templo cõiuncta est, pons tumultuarius sublicius sese offerebat; cuius in lateribus ab utraque parte argenteæ formæ ciuitatum principatus Mediolanensis constitutæ fuerant ingentis ponderis, quas singulas singulæ ciuitates affabrè factas Principi munus obtulerunt. ita ut nonnullæ ad pondus sexaginta millium nummum accederent. arcus uerò ita erant egregia opera instructi, ut mira architectura & historijs, & inscriptionibus magnificis essent insigniti: inter quas hæc etiã fuit; Christiana libertate per maximum Carolum Quintum Imper. sublatis erroribus restituta, Philippum Pium filium læta excipit Ecclesia, quo magno defensore ac duce felicissima quæque sibi promittit ac sperat. Sic igitur uniuersa propè Italiæ nobilitate comitante, multisq; arte Phrygionica picturatis sagis & magnificentissimis uestibus indutis cum regia pompa comitante senatu antequam ad palatium à Traiano imperatore olim extructum, in quo duces Mediolani hospitium habere solebant, peruenerit, ad maius templum accessit. postea precibus rite peractis ad ipsum palatium, foro coniunctũ uenit. ibi nonnullos dies moratus die natiuitatis sacris interfuit in eodem templo; multaq; ludorum genera interea per opportunitatem nuptiarum parabantur; nam Hipolyta Gonzaga Ferdinandi filia dabatur in matrimonium Fabricio Ascanij Columnæ filio. atq; pridie cal. Decẽbris comœdia quædã cũ regali apparatu recitata fuit. certamina inter Hispanos umbratilia commissa mira dexteritate peditum, quæ uera & sanguinolenta prælia imitarentur. certatũ est missilibus cãnis ad Mauritaniæ imitationem. neque ullus dies uacuus aut sine spectaculis fuit, quandiu Philippus Mediolani commoratur.

Mediolani apparatus in aduentũ Philippi.

NATA

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER QVARTVS.



VONIAM verò florentissimam fortunam, gloriosasq. uictorias omnes honores & gratia mortalium consequuntur, omniaq. populorum studia maximè propensa sunt, in quam partem fortuna aspirauerit & arriserit: tantæ uisus fuit lætiæ, tantæ expectationis, tanti, tam felicis, tam diuini ominis Philippi in italiam aduẽtus; vt quasi deus aliquis immensam felicitatem Italiæ afferre uideretur, aut oppressæ & afflictæ prouinciæ diuturnis calamitatibus pristinorũ malorũ subleuationem aliquã allaturus. Quippe cum nemo Regum aut insignium imperatorum iam multos annos Italiam ingressus sit cum tanto, tam regio, tam magnifico, tam incredibili urbiũ, populorumq. apparatu, aut cum tanto omnium gentium concursu & gratulatione. Non enim ex uniuersa Italia solùm principes omniũ ciuitatum, & nuntij ultro citroq. accedebant; sed etiam Regum ac populorũ omniũ legationes & ab ipso Cæsare confluebant gratulatũ pro felici faustoq. principis aduentu. tot enim principes Belgarũ urbium, tot Germani Hispaniq. proceres ac primarij duces, & liberarum ciuitatum legationes in Italiam confluxerant ad principem ornandum sua præsentia, & in Belgas comitandum, ut iam non amplius unius principis magnificentiam illius concursus comitatusq. & aspectum referret, sed aut insignis exercitus formam, aut antiquissimorum Regum Persarum splendorem, aut triumphantium consulum pro aliqua in-

signi uictoria. His tot insignibus ducibus comitantibus Philippus Mediolano ad septimum idus Ianuarij anno salutis
1549 *nostræ post millesimum & quinquagentesimum quadragesimo nono discedit Mantuam uersus, quo in itinere primum Marinianium quod est Iacobi medices oppidum, inde Laudum Pompeiam, hinc Cremonam accedit, inde Mantuam deniq; cum magnificentissimis ac regijs apparatibus ubiq; acceptus. inter cæteras imagines, quæ res Cæsarianas referebant, Philippiq; felicitatem uaticinabantur, erat cuprea armati principis imago, quæ fortunæ capillos apprehenderat, eamq; colũnæ iam iam alligatura uidebatur infractis alis à sua uersatili rota detractam. aderat Dolor quem fustibus armati propellebant, & tranquillitas columnæ inhærens altera manu caput suffulciens, altera hastam gestans tanquam sustentaculum & stabilimentum. aderat & Ianus bifrons, cuius altera facies quæ in urbem prospectabat erat iam senioris; altera exterius prospectans iuuenis ad urbis tutelam: cum altera rerum militarium labores foris sustinendos, altera domi prudẽtia utendum significaret. processerat obuiam Hercules Ferrariæ dux cum multa pompa, qui simul Mantuam accessit. post multa conuiuia, magnificosq; apparatus Mantua discedit, & ad uillam Francam profectus magna cum pompa Præfectus Veronæ & Federicus Badoarius obuiam procedunt, omneq; genus officij & hospitalitatis senatus nomine offerunt. multa esculentorum genera largiuntur. palatia magnificè instruunt, quacunque princeps erat transiturus. eo in itinere Octauius Farnesius, & Comes sanctiflorius, & alij complures Romani proceres Philippum cum insigni pompa salutatum ueniunt, qui denique ad octauum cal. Februarij Tridentũ accedit, obuiosq; habuit Mauritium & card. Augustanum. ubi cum solenni pompa, & cæterarum urbium more acceptus quatriduum moratur, mox Inutrium peruenit, ubi regali põpa apparatuq; excipitur à filiabus Ferdinandi Regis, & Alberto Norici duce Ferdinandi genero. Hinc Augustam, hinc Alcimenium peruenit, hinc Bruxellas denique post multas pompas uariaq; hospitia pridie cal. Aprilis, ubi obuiam habuit*

Mantuæ apparatus in aduentum Philippi.

buit

bult Mariam Reginam Pannoniæ & Boemiæ, eorum principatuum Belgarum gubernatricē, quæ mira charitate nepotem principem complexa est, cum Galliæ Regina, multisq; Belgis proceribus. Interea catholica religio paulatim in Germania conualescere, quòd inter Saxones & Sennones Mauritius et Ioachimus conabantur populos subditos ad ueram, Sanctam, catholicamq; fidem perducere. cum Petrus Strozza è Scotia, quò anno superiore ab Henrico rege missus fuerat, exijsset: Thermeus regulus relictus est in Scotia, cum multis Gallicis copijs, qui assiduis incursionibus Anglos infestaret: quo tēpore Henricus è Gallia Subalpina profectus Heluetijs noua fæderatione sibi adiunctis ad recuperandam Boloniam contendit, quæ per insidias nuper ab Anglis capta fuerat. erant autem res Angl. in maxima perturbatione non solum propter religionem, quam quisque è tribus primatibus pro libidine distrahebat, sed multò etiam magis propter regni administrationem: quamuis Thomas auunculus Odoardi omnia pueri nomine uideretur gubernare. accedebat ad tantarum rerū perturbationem templorum ecclesiarumq; sacri prouentus, qui à primarijs occupati fuerant; qui verebantur si res ad pristinam religionis formam rediret, ne magnis cómmodis & redditibus priuarentur. earum rerum restituendarum metu primates omnia acerbissima seditionum discordiarumq; genera disseminabant. Fama est Mariam noui Regis sororem, ut quæ catholica dogmata diligenter amplecteretur, uisis hæresibus, quibus uel peioribus quàm rex primum complexus fuerat, omnia repleta contaminataq; fuerant, conuenisse Regem seorsum & in priuatum thalamum; quem monuit ut susceptam hæresim deponeret. futurum enim ut ira & indignatio diuina eum affligeret, qui spretis diuinis legibus & auitis sanctorum patrum institutis recens liberius uiuendi genus à legitima ratione seiunctum sit complexus. Maximè uero iram Dei timendam esse regibus, tanquam autoribus omnis probitatis et turpitudinis uita cæteris hominibus subditis, qui pro uiribus regum & principum instituta seruare nituntur. Quòd si Henricus pater Pontificis odio à Romana ecclesia de-

Mariæ monitio fratri Regi in detestatiōnē hęresis.

sciuerat, non esse in eodem errore persistendum: quoniam cū peccatum Henrici fuisset grauissimum qui tantæ improbitatis autor suis extitisset, certè multo grauius filij futurū erat, si persuasionibus sceleratorum hominum ab recta religione, & à fide Christi incontaminata se abduci pateretur. Inde populorum catholicorum odia futura in ipsum regem ante oculos proponit, & pericula ipsius uitæ imminentia, & diuinam ultionem, quæ & ipsi, si in ea hæresi perseueraret, & sceleratis ministris tantæ impietatis, nisi cito ab ea impunitate destiterit. Rex ut aiunt attentissimè sororis uerba, at non sine lacrymis tamen, ingentiq́; trepidatione audiuit; sibi obscurū esse respondet quid ageret in tanta rerū magnitudine; futurū esse ut magis opportunè illis consuleret, at nunc ita parēdum esse gubernatoribus. His dictis lacrymabunda mulier à lacrymabundo puero discedit: quem cum gubernatores ita afflictum postea conspexissent, rati quod erat, non amplius passi sunt ut cum Maria Rex loqueretur. Henricus Galliarum Rex iam copias miserat ad obsidendam Boloniam, quare cum in castra uenisset ad decimum quartum calendas Septembris distans à Bolonia ad quindecim millia passuum omnes copias censuit, postridieq́; eius diei Sipierus cum sua turma, cui coniuncta erat omnis aulica nobilitas ad recognoscendam hostium munitionem proficiscitur. ille relicta à tergo quadam turricula munitioni propinqua, vbi neminem inesse putabat leuium tormentorum globis petitus conuersis copijs tormenta eò attrahi iubet. illi uisis tormentis continuò se dedunt, commisso itaque leui prælio ad munitionem pugnatur acriter. tormentorum impetu denique coguntur recedere. Bolonia petitur. egressi equites decertant. Galli in castra reuersi ad unguem munitionis naturam Regi patefaciunt; qui statuit primùm ad munitionem Monlamberti castrametari, quæ castra cum tam propinqua haberet, per biduum nulla re memorabili edita moratur. Hinc ad Ambertolum oppidum litori finitimum cum paruo portu castra locat, ubi duas munitiones Angli erexerant, postquam alteram struxerant ad mille passus à Bolonia distantem, in quam Galli tormenta erexe-

Henricus Rex Boloniam obsidendā curat.

erexerant. Munitionis præsidia cum paulo plures centũ peditibus essent post nonnullos globorum ictus erant per deditionem uentura in potestatem Gallorum; sed eam ualidissimo conatu Galli repente inuadentes capiunt, octoginta Angli trucidati, reliqui captiui abducti ex his cognitũ est Boloniã ab Anglorũ Rege nulla accepisse auxilia, quod ingẽti molestia in finibus Scotiæ afficeretur à Thermeis copijs, uexareturq́; molestissimis intimis seditionibus ac bellis quæ à suis subditis aduersus ministros regios gerebantur. Nam populi catholicã religionem cupientes reuocari in eo regno, qui uiuo Henrico sua desideria metu armorum occultassent, cognitis studijs ministrorum regiorumq́; gubernatorum religionemq́; in peius ruere in dies intuentes, cum semper nouæ hæreses pullularent, quarum tamen nulla causa Regi esset attribuenda, qui nihil administraret, rem armis uindicandam statuunt. Armati insurgunt in ministros, postulant catholicos ritus restitui, & sacramentorum usum, quæ penitus sublata abolitaq́; fuerant in eam patriam reuocari tanquam postliminio. Erant hi populi sumptis armis Regio nomine in aperto & sub dio, constiterantq́; aduersus copias ministrorum inter quos assidue dimicabatur leuibus prælijs. At Philippus in Belgas profectus Cæsar procurabat interea ut à Belgarum principibus in regem iureiurando affirmantibus acciperetur; quod à singulis urbium principibus cum magna solennitate & pompa factum fuit; quem omnes se habituros legitimum principem hilari animo affirmarunt. Galli munitionem Ambertoli per id tempus minorem crebris ictibus concutere, postridie conatu maximo inuadentes occupant, portu centum nauium capaci potiuntur, in quo classis Gallica commodè esse posset ad obsidendam Boloniam. Infestabatur regio uniuersa crebris incursionibus, quæ Icium usque excurrebant, quæ urbs non maiori spatio uiginti millibus passuum distat ab Icio Galli his munitionibus expugnatis ad sexaginta uarij generis tormenta capiunt & commeatum multum, & bellicos apparatus, ubi relictus est à Rege in præsidijs dux Senopontius regulus cum duobus millibus peditum, quinquaginta cataphractis equitibus, & centum leuiori-

Philipus à Belgis in regẽ accipitur.

leuioribus. in tertia munitione quæ per deditionem uenit in potestatem Regis iussi sunt esse in præsidijs quingenti pedites, equites leuiores quinquaginta. tum Rex ad expugnandum Monlambertum & Ordam oppida munitissima Boloniæ finitima sese contulit. Ibi positis castris præsidia, quæ tantum exercitum circa se positum undique intuentur, præsente Rege præcipuè terrore ac trepidatione affliguntur, cum maxime tumultus in Anglia succrescerent in dies, & iam catholici ad magnam impressionem in hostes fecissent: quare statuunt locum & tormenta & cætera grauia conuectioniq; difficilia relinquere. effusis itaque in fossarum aquas omnibus cadis pulueris tormentarij, ac reliquo apparatu, qui fieri posset inutilis, ne in potestatem hostium ueniret, sese Boloniam incolumes clam recipiunt cum miro silentio per noctẽ obscurã egressi. Henricus relictis ibi in præsidijs tredecim Germanorum uexillis, & nonnullis leuibus equitibus, Gallicam classem in portum acciuit. Reliqua erat ordæ turris expugnanda; at Rex ne tempus in paruis negotijs absumeretur inutiliter, copiæq; tardarentur in ea expugnatione, iubet fauces portus Saxonum, & nauium immersarum mole claudi, efficiq; portum inutilem hostibus si stationem ibi habere conarentur. Bolonia itaque cincta est obsidione; atque iuuenis Rex Odoardus ærario per furta suorum exhausto, quod maximũ est subsidium rebus bellicis, denique post multas contentiones & sumptus, cum tantæ bellorum moli non posset resistere, pacem cum Gallo facit; cuius conditiones hæ fuerunt: ut Odoardus Boloniam Gallo Regi restitueret, ut quadringenta nummum millia solueret pro bellicis sumptibus, ut Odoardus primogenitã Henrici duceret uxorem cum ad aptam ætatem, legitimamq; matrimonijs uterque accessisset: in quod tempus dilatæ sunt nuptiæ. credita est ea pax, & sanè fuit utilis utrisq;. Odoardo quidem, quia ærarium Angliæ maximè erat exhaustum, quod per quinquennium ita repletum iri uidebatur; ut si matrimonium non succederet, Gallicæ uires non forent magnopere formidandæ. Henrico quòd præter eius urbis commoditatem, uidebatur Cæsarem hostem aliquo terrore afficere, &

Bolonia obsessa initur pax inter Henricum & Odoardum Reges.

res

res Scotias reducere in pristinam tranquillitatem ac felicitatem. Nam mortuo Iacobo postremo Scotiæ rege relicta filia parua ex uxore sorore Ghisij per leges eius regni regina mater non poterat legitimè res publicas cum libera potestate administrare; nisi cum filia ad ætatem legitimam duodecim annorū peruenisset. Iubebant enim leges à coniunctiore magisq; propinquo Regi ex sanguine res regias interim administrari. Sed quoniam puella uix annum sextum attigerat, periculosumq; fore uidebatur per bellum aduersus Anglos ne aliquod insidiarum genus puellæ reginæ subtexeretur à Gubernatore Scotiæ, Henricus ut prudenter tanto periculo maturè occurreret, iubet gubernatoris filium ad se acciri, & esse inter aulicos, quem tamen honorificè tractat. cum uerò tres illi proceres Angliæ gubernatores qui catholicæ fidei pietatiq; repugnabant propè repentino interitu decessissent, uisa est catholica religio quasi postliminio in patriam breui reditura, quod Galli regis soceri opera nonnihil esset adiutura. Istud enim Pontifex cum speraret omni genere officij atque industriæ usus est Gallo ad eam prouinciam suscipiendam per literas adhortando. Philippus ubi ciuitates omnes iurassent se unum eū suum principem habituras, rogatur à Mauritio, ut pro libertate Philippi Lantgrauij intercederet, quòd miserabilis esset iam tanti principis tam diuturnæ captiuitatis fortuna; qui satis ingentes pœnas dedisse uideri poterat suorum errorum. Neque uerò Turcarum Solimaniq; Imperium satis erat quietum, quem non solum externæ curæ, sed etiam intimæ solicitudines uexabant. Nam Baiazettus eius primogenitus ægrè ferens, quòd Solimanus in liberos alterius mulieris uideretur propensior, quos etiam ad successionem imperij Muscaphæ hortatu uidebatur prælaturus, odio patris ad Thamnasum Persarum regem confugit; cuius copijs adiutus paternum imperium hostiliter inuadit, pecora abigit, homines trucidat, uillas ac urbes concremat, regionem ad multa millia passuum populatur, omniaq; obuia ferro et igni demolitur. Solimanus, ut sunt ingentia & propè incredibilia odia, maximeq; atrocia inter coniunctissimos, tantas filij iniurias ægerrimè

Baiazettus paternū regnū demolitur

gerrimè tulit, milites ad signa uocat, quam maximas copias comparat, ad quingenta armatorum millia colligit. Persarũ copijs obuiam prodit, quas commisso uix prælio in fugam uertit, at enim cum Persæ omnia concremassent, Solimanus ob rerum omnium necessariarum inopiam per desertã populatamq; regionem iter faciens centum & amplius suorũ millibus desideratis negotio infecto redire cogitur. neq; tamen cessauit indignatio & ultionis desiderium in filium; quippe cum illud auro & largitionibus expugnare tentauerit, quod ui & ferro non poterat. Nam nihil est tam sanctum tamq; munitum apud Barbaras gentes, nulla tam firma amicitia quæ auro uiolari labefactariq; non possit. Solimanus pluribus magnificẽtissimisq; muneribus ad Persarum regem missis non solum pacem assequitur & amicitiam & inducias cum ipso Rege, sed etiam ut filius clam de medio tollatur. Pontifex post mortem Petri Aloysii Octauium nepotem Parmæ Placentiæq; ducem apud se Romæ retinebat, ad quem iure hæreditario tanquam ad primogenitum pertinebat principatus earum ciuitatum. Octauius etsi magno erat intrepidoq; animo, cupiebatq; eò proficisci, tamen Pontifex, ut qui rem altius pro senili prudentia perpenderet, ne adolescens per insidias ab hostibus paternis trucidaretur ac opprimeretur, illud fieri non patiebatur. uerebatur præterea Pontifex ne Cæsar occupata Placẽtia Parmam etiam illi extorquere conaretur, curareq; Octauium interficiendum, in quam suspicionem nonullis signis adductus fuerat per clandestinas delationes. Vt uerò urbs illa tutò custodiri posset mittit Camillũ Vrsinum uirum insignis autoritatis & prudentiæ ac peritiæ rei militaris, qui cum firmissimis præsidijs eam urbem diligentissimè custodiat; quæ tanto studio, tãque acribus uigilibus, tanta disciplina militari seruabatur, ut Pontifex de illa minime esset sollicitus. At enim Pontifex ipse ueritus irritatam esse in se diuinam indignationem, quando neque biẽnium quidem filius potuisset imperio illarum urbium duarum incolumis potiri sicuti prædictum fuerat in sacris comitijs, cum fuit proposita sententia de illis urbibus ab apostolica sede alienandis. curat Octauius illam successionem

Solimanus filium insequitur usque ad necem.

Pontificis solicitudines post cædem filij.

sionem renueret. pristinumq́; principatū Camerini resumat, quem pontificio ærario dederat ubi illarum urbium iura sunt concessa. At iuuenis cupidissimus principatus urbium per cardinalem fratrem ad eam rem Auum pontificem sollicitabat. Senex prudentissimis qui casus euentis pro secum in animo excogitabat non facile ad illud consilium capiendum adduci poterat. Octauius ubique queri, se infelicem & misellum appellare, cæteros uocare felicissimos, cum ipse nihil possideret: neq; haberet Camerinensem, neque Castrensem principatum, quorum alterum ærario Pontificio, alterum Horatio fratri Pontificis hortatu concesserat. ita sunt ardētia ad omnem animi impetum adolescentum desideria, tantaq́; cæteris præstandi cupiditas. Octauius omnes purpuratos sacros antistites rogare, quos sciret Farnesio nomini esse amicos, suppliciter petere ut intercederent apud Pontificem. Sed cum negotium differretur, moræ impatiens, Pontificiumq́; consilium ut subfrigidum & timidum negligens præter ipsius Pontificis uoluntatem citatis equis Parmam conuolat. frater Purpuratus antistes ubi nisus esset Octauius esse Parmæ propinquus, subputatis horis itineris, ne ira Pontificis in se etiam excandesceret si rem diutius occultasset tanquā cōsilij particeps nuntiat Pontifici Octauium moræ impatientem citatis equis Parmam cōuolasse. Pōtifex cum præter periculū, quod imminere uidebatur cōtemptus ēt patrui accederet, & patrui Pōtificis, facinus illud ægerrime tulit, magnaq́; indignatione succensus est. At uir præclarus Camillus Vrsinus & singulari prudentia, utpote cui optimè cognita essent consilia Pontificia ne præsens iuuenis trāquillum rerum præsentium statum turbaret, & quasi excitaret dormientes hostes finitimos, quia sua sponte iuuenis nullo Pontificis iussu aduentasset, non admittit intra urbem: quare compellitur ad proximos fines singulari odio & ira & desiderio potiundæ urbis inflammatus recedere. Vrsini facinus Pontifici nūtiatū mirificè laudatur ut prudentiæ plenū, ad quē etiā Pōtifex sua manu literas exarauit, in q̄bus illud summis laudibus extollebat. dedit præterea literas ad Octauium iræ et indignationis plenas, quibus cum elatius esset responsum uir in extre

ma senectute imbecillus, quippe cum secundum annum post octagesimum ageret, propter iram turbulentissimam & potẽtissimam omnium animorum affectuum, maximeq́; senibus periculosam in grauem morbum incidit: neque prius illum febris aut indignatio, quàm uita ipsa reliquit, cum semper illud haberet in ore; peccatum meum contra me est semper. atqui eius ægritudo nõ in maius spatium triduo protrahitur, quo breui tempore procurauit ut patrum consensu Parma possessio Octauio nepoti concederetur, tres nouos episcopos creat, portorium farinæ Romanis sustulit, & ad quartum idus Nouembris naturæ concessit. eximium eius prudẽtissimi ac optimi principis desiderium Romani omnes ciues lacrymis & lamentationibus significarunt, cum pater communis uniuersæ Italiæ, nedum urbis Romæ mortuus esse uideretur; quamui tributis & uectigalibus magis omnibus superioribus Pontificibus Romam ecclesiasticumq́; principatum oppresserat. Nã profectò uisus est omnibus uir iustus & benignus & prudentissimus, qui bella à suis finibus longe repulerit, iustitiæ munia legitimè exerceri curauit, quare nihil est ad salutem ciuitatum salubrius, aut efficacius ad conciliandam populorũ beneuolentiam: ita ut neque è nepotibus quidem quisquam ausus sit aut reprehensibile quidquam committere, aut parũ honestum. fuit Pontifex annos quindecim & nonnullos menses, uir & priuatim & publicè per uniuersam uitam literatorum doctorumq́; hominum amantissimus. fuit interregnum

1550 *ad sextum usque idus Februarij anni sequẽtis, qui fuit quinquagesimus post millesimum & quingẽtesimum propter dissensiones patrum in creando nouo Pontifice dilatum. comitia dũ protrahuntur in Italia creandi Pontificis, Bolonia per pacem inter Anglum & Gallum reges compositam, numeratamq́; pecuniam in conditionibus contentam, ut maior intercedat necessitudo & amicitiæ uinculum Gallus Anglici, Anglus Gallici ordinis sit eques. Burdigalensis senatus in Gallia priori autoritati restituitur. Cæsar ad componendas discordias, quæ religionis causa fuerãt excitatæ Augustana comitia indicit, quare relicto Philippo Melchinis, quod & munitissimum Am-*

Pauli III. Pont. Maxi. obitum.

bic-

biccaritorum oppidum siue Brabanciæ ipse cum Philippo filio ad ea comitia accedit. Creatur denique sacratorum patrũ suffragijs Pontifex Ioannes Maria Montius uir bonus & munificus ac liberalis quæ sola propè regia est uirtus, uocaturq́ Iulius Tertius; qui initio sui pontificatus Octauium Farnesium Parmæ Placentiæq́ ducem confirmauit. sic enim conuenerat. scripsitq́ ad Camillum Vrsinum ut Octauio Parmam assignaret. Pro tantæ humanitatis liberalitatisq́ magnitudine gratias acturus nouo Pontifici Octauius ad pedes pontificis accurrit; cui etiam ad maiorem munificentiam addita sunt duo millia nummum in singulos menses pro Parmæ defensione; quia dicebatur Gonzaga esse Placentiæ cum Italis Hispanisq́ copijs, & summa diligentia ubi res ita postulabat arcẽ reficere ac munire. Romam, quòd magnum erat iubileũ uocatum, quod quinquagesimo quoque anno celebratur, fit ingens populorum ex uniuersis Christianis nationibus, & ex Italia præcipuè concursus; quare non solùm ob anni penuriã, qui insigniter propter cœli siccitatem fuerat sterilis, sed etiam propter infinitam propè confluentium undique multitudinem populorum fame miserabiliter laboratum est Romæ. Per istud ferè tempus post obitum Barbarussæ Ottomanicæ classi præfecti, cuius uirtus non semel in rebus naualibus enituit, delatum est summum imperium classis turcicæ Draguto nobili pirata, & nulla re ipso Barbarussa inferiori; quippe qui peritia rerum maritimarum, & diligentia & consilio & animi magnificentia ac liberalitate cæteros omnes antecelleret; ac nisi inhumana crudelitas tanti uiri ingenium contaminasset, summus dux haberi poterat. Hic plurimum existimatione cum propter eximiam quandam liberalitatem sibi apud Arabas comparata poterat, & apud nationes Lepti Adrumentoq́ finitimas; tum propter autoritatitem quam illi Solimanus concesserat. Hic urbem celebrem & munitam Aphrodisium in prominente maris dorso, quod in mare mediterraneum protenditur, occupauerat: opulentam sanè & potentẽ propter frequẽtiam Hebræorum ex Hispania Lusitaniaq́ eiectorum, qui eò tanquam ad Asylum & communem sedẽ con-

Dragutus in Barbarussæ locũ sufficitur.

Aphrodisiũ urbẽ pręclarã Dragutus occupat.

Fugiebant. eam cum certum sibi fecisset hospidium, firmißimisq; Maurorum & Turcarum præsidijs munierat, omniaq; maria finitima rapinis & incursionibus & direptionibus infestabat. Sed quoniam non solùm nauigantibus, sed etiam Siciliæ tranquillitati finitimarumq; insularum Aphrodisii receptaculum, omnium latrociniorum officina uidebatur minari Siculorum rogatu Cæsar eam urbem expugnandam curat; cui negotio Ioannem Vegium Siciliæ proregem præficit cum summo imperio. Mittit etiam Auriam cum classe, multisq; nauibus onerarijs quæ Hispanos Italosq; pedites conueherent. His acceßit Garzias Toletanus Petri proregis Neapolis filius cum triremibus eius regni, quæ claßis omnis cũ duabus triremibus religionis melitēsis oppidulo Monasterio uocato se ostentat, quod est in mari per quoddam spatium distans ab Aphrodisio urbe. Istud autem factum est mense Iunio. Dragutus statuerat oppidum illud defendere, sed cum præsidia aßiduis hostium conatibus non possent resistere, uincũtur & trucidantur. Itur deinde ad expugnationem Aphrodisii, quod statim terra mariq; obsidione cingitur, cum Cæsarianæ copiæ nemine prorsus resistente descensionem fecissent è nauibus. atque cum ibi non adesset Dragutus, utpote qui ad colligenda magna Arabum subsidia contendisset, primum fuit Cæsarianorum studium castra, ut mos est, reparationibus & foßis & aggeribus cingere aduersus hostium impetum siquis fieret: & tormenta corbibus terra repletis protecta in exploratas debiliores urbis partes, quæq; commodius concuti possent, collocare. ad sextum nonas Quintilis Aphrodisium incredibili strepitu & impetu terra mariq; quatitur, magnum mæniorum spatium in fossas collabitur. cum iam uiderentur ruinæ urbis satis facilem aditum inuasuris Hispanis esse daturæ, cognitum est per trasfugam ab urbanis præsidijs profundam fossam apud ipsa mænia interius à fronte esse per ductã, cuius in ima parte tabulata fuerant cum magnis & eminentibus acutißimis clauis terræ affixa, quibus inuadentes urbem illapsi transfigerentur. deinde quòd à dextro sinistroq; latere concussorum deiectorumq; murorum tormenta clam fuerant ere-

Classis Cæsariana cõtra turcas.

Aphrodisium obsidetur & quatitur à Cæsarianis.

erecta, quæ uniuersam illam partem diuerberarent. Quibus auditis uisum est eo die urbem non esse inuadendam, ne tot homines strenui in ea fossa miserabiliter trucidarentur, captumq́; est consilium per maiores, amplioresq́; ruinas murorũ negotium facilius efficere. atque primum in duas turres erecta sunt tormenta, quæ stabant è regione verberationis & ruinarum, in quibus oppidani magnam spem suæ defensionis collocauerant. Addita sunt quatuor muralia tormẽta illis duodecim quibus antea urbs concutiebatur, quibus turres quati incipiunt. Dum ita Aphrodisium terra mariq́; oppugnatur Dragutus cum suis copijs accedit propius ut Cæsarianos frequentibus molestißimisq́; incursionibus infestaret; qui cum turmis Arabum ad aggeres usque Cæsarianorum sæpius procurrebat; sed ui sclopettariorum multis cadentibus procul arcebatur. Enimuero cum intra urbem tantundem fieret reparationum summa diligentia ac celeritate ab vrbanis præsidijs, per noctem quantum diurna oppugnatione à Cæsarianis deuastabatur, cœpit negotium uideri ualde difficile. Dragutus contrà cum censeret ad eam uictoriam maioribus uiribus opus esse, iubet Arabas in quodam colle, castrametatos aggerem ducere ad ipsa castra munienda, ipse ad colligenda noua auxilia proficiscitur. ex altera parte prorex ad conuehendas nouas copias Italas, quæ collectæ iam fuerant, & Ligurnum peruenerant, nauigia expedita mittit. Quæ dum fiunt Cæsaris iussu in Mauritania, Cæsar ipse ad sextum calendas sextilis incœpta indictaq́; comitia Augustana auspicatur. Mauritius eò mittit legationes, ostendit se non probaturum tridentinum concilium, nisi Theologi confeßionis Augustanæ liberam habeant potestatem definiendi: neque Pontifex locum præsidis obtineret in concilio. atque ita res Germanica potius ad nouum bellum, quàm ad ullam spem quietis & concordiæ spectare uidebatur. Protractum est bellum in Mauritania in mensem usque septembrem multis commißis leuibus prælijs, murisq́; in tribus locis disiectis; in ea parte nimirum quæ mare prospectat, cum propugnaculum fuisset erectũ super duabus coniunctis triremibus, magnæ fiunt ruinæ, magnaq́;

Dragutus Aphrodisio suppetias ferre contendit.

Mauritij legationes

gnaq; uerberatio cum murus inuentus fuisset debilis. Enimuero cum nullum spatium, nullaq; facultas data esset urbanis ut se interius munire possent, nullo interuallo post uerberationem ab equitibus militiæ Melitensis & Italis, Hispanisq; copijs per eas ruinas inuaduntur: atque urbs capta est non sine aliqua clade inuadentium. desiderati sunt equites decem & septem præter alios Cæsarianos milites. è turcis ceciderunt plures octingentis; reliqui captiui facti; quorum omnis numerus omnium ætatum & conditionum ad decem millia mortalium accedebat; qui omnes ferè in Siciliam & Neapolim traijciuntur. liberati sunt Christiani captiui cõplures, urbs tota direpta est. Garziæ & Astoris Baleoni præclara opera pter cæteros insignes duces in eius urbis expugnatione enituit, & præcipuè equitum Melitensium, qui semper in omnibus bellis fortitudine maxime præstare uisi sunt; utpote qui non nisi spectatæ uirtutis & probitatis & nobilitatis homines ad eũ dignitatis gradũ admittantur. Postea restaurata refectaq; sunt collapsa mænia, portæ ubi debiles apparebant munitæ, inuecti commeatus, imposita Hispana præsidia, aptus tormẽtorum numerus relictus, reliquæ copiæ in Italiam reuectæ.

Aphrodisium ui capitur christiana.

Dragutus amisso Aphrodisio cum sex triremibus & quatuordecim biremibus ad Aegimum insulam nauigat reliquias turcarum secum aduehens, quæ è tanta clade Aphrodisiensi euaserant. Solimanus fit certior per Draguti literas de ijs omnibus, quæ contigerant: quare indignationis plenas literas ad Ferdinandum Romanorum Regem exarat. queritur Cæsarẽ uiolasse ius gentium, & inducias in Pannonia factas, in quibus Carolus Hispaniarum rex comprehendebatur. Scripsit etiam literas ad ipsum Cæsarem, quibus eum hortabatur ut Aphrodisium urbem suo seruo Draguto ereptam restitueret. Quod nisi fieret, minabatur se eam iniuriam armis uindicaturum, quam sibi ipsi contra leges pacis & amicitiæ factam esse iudicaret. Responsum est ab utrisque Dragutum minime esse subditum suum, cum ipse Solimanus nullum haberet imperium in Mauritania. licere per conditiones induciarum, nec uetitum esse piratas, & latrones, & maleficos homines

exturbare, paratasq; insidias undique conuellere. eo responso non mediocriter indignatus Solimanus, ut erat ad iram facilis, decernit eas iniurias armis ulcisci. Amida interea Rex Tunetanus uexatus perpetuis incursionibus Aloysii Peresi ducis Cæsariani, qui erat in præsidijs Guletæ, quòd ipsum regem sæpius inuadens magno terrore affecerat, eò consilij denique peruenit, ut his conditionibus pace in sex annos composita duodecim nummùm millia tributi nomine Cæsari dissolueret, ut quindecim præstantes equos quotannis daret, ut decem & octo falcones, ut ordinaria stipendia in præsidia Guletæ, ut omnes captiuos Christianos dimitteret, ut neque ligna neque hospitium, neq; ulla subsidia Cæsaris hostibus, aut piratis & latronibus suppeditaret. Philippus Lantgrauius interea captiuitatis pertæsus accitis clam Teuceris ex Hessia se accingebat ad fugam, cum equi iam parati essent in itinere. Sed res præfecto Hispanorum in ipso articulo temporis ac fugæ patefacta, causa fuit ut alij capite plecterentur deprehensi, ipse Lantgrauius arctiori custodia traderetur. in Augustanis Comitijs actum est à Cæsare cum Ferdinando fratre Cæsare designato, ut sunt Reges Romanorum, de Philippo principe Hispaniarum in successionem Imperij admittendo; sed cũ neque Ferdinandus aduersus filiorum suorum dignitatem, neque è comitiorum consensu illud fieri commodè posse intelligeret, minimè assensit. Initio anni sequentis, qui fuit quinquagesimus primus post mille & quingentos ab ortu, Christi 1551. *nostri redemptoris, Octauius Farnesius quòd Parmæ cum maxima suspicione morabatur, uerebaturq; Cæsarianorum Placentiæ morantium insidias, quamuis uigilantissimos duces, & fidelissimos habebat, ipseq; diligentissimè omnia aucupabatur, tamen censuit sibi opus esse maioribus copijs, quas suis sumptibus cum alere non posset, ad Pontificia auxilia se trãsfert, quòd Pontifex iure defensurus & iura Pontificia in eũ principatum, & principatum liberaliter à se concessum uideretur. rogat igitur Pontificem ut urbem illam, quam ipse liberam concessisset necessarijs auxilijs sustentaret, quòd ea amissa & iura Pontificia, & quòd pluris faciendum est, Pontifi-*

Tuneti Regio pactis tributaria cum Cæsare.

cia

cia dignitas labefactari quodammodo uideretur. Põtifex quoniam rei pecuniariæ inopia laboraret propter magnitudinem sumptuum, immensamq́; liberalitatem & munificẽtiam qua usus erat initio sui Pontificatus, respondit se non posse maiora auxilia suppeditare, cum idem per domesticos Pontificis ministros paucos post dies tentasset, idemq́; responsum retulisset, rogant ministri saltem ut patiatur Octauium ad uitæ principatusq́; defensionem ad alicuius potentis principis tutelam cõfugere: quibus responsum est ut faceret quod luberet. eo responso accepto Octauius consulente etiam fratre Purpurato antistite, literas dedit & mandata ad Horatium fratrem, qui gratia plurimum poterat in Gallia apud Henricum Regem; quippe qui etiam esset daturus filiam spuriam eius regis. ita actum est denique & stabilitum, ut Rex stipendia præsidiaq́; Parmæ suppeditaret, atque Octauius Regi militaret. Cæsar clam senserat Octauij generi consilia per exploratores, monet Pontificem ut animaduertat, futurum enim breui ut Octauius Parmã Gallorum potestati cõcederet. id si fiat, nihil aliud esse quàm ingentium bellorum incendium in Italia excitari. quare uel ipse tãtis rebus occurreret, uel sibi maturè permitteret suscipere illud negotium impediendum. Pontifex aut oblitus concessæ libertatis Octauio, aut quia nullo pacto putarat id se inconsulto factum iri, non prius credidit, quàm certus nuntius allatus est quòd Octauius iam ingentes Gallorum copias intra mœnia accepisset. Is nuntius mirum in modum Pontificis animũ afflixit, non solùm propter damna quæ inde uidebãtur euentura, uerũ etiã quia Cæsari per literas respõderat nihil eiusmodi esse euenturum, iusseratq́; esse quieto hilariq́; animo. Verebatur enim Pontifex ne ipse uideretur clam adiuuisse illud consilium, atque ita per ambages Cæsarem delusisse, cuius arma timebat in se motum iri, ut uir tardo ingenio & natura timidus. Idcirco post diplomata ad Regem & Octauium missa quòd alter se inconsulto admisisset præsidia, alter eam tutelam suscepisset aduersus Pontificiam dignitatem, mittit Dandinum ad Cæsarem in Germaniam, qui certiorem faceret Cæsarem illud facinus inconsulto Põtifice fuisse transactũ.

Initia belli Parmensis.

Vt

Vt āt appareret quā illud grauiter ferret, poscit auxilia ad Octauiū & Gallos ex urbe Parma eyciēdos. Id tāta uerborū efficacia, tātaq; ui orationis peroratū est à Dādino, ut accedētibus literis Pōtificiis Cæsari facile psuasum sit incuria Pōtificis, at nō malitia illud accidisse: quare Cæsar accepta excusatione, omniq; maleuolētia abolita cū ob desideriū suscipiendi negotij, tū ob indignationē propter facinus Octauij, hortatur pontificē ad tantarum iniuriarum ultionem. Pollicetur itaq; liberalissimè ad illud negotium non solùm insubriæ principatusq; Mediolanensis copias, sed etiam ultro ducenta nummùm millia mutuo ut summis uiribus, et nō subfrigidè res ageretur. Erat enim maximè sollicitus Cæsar ne Galli fundamenta sui imperij in Italia per eius urbis opportunitatem iacerēt: quæ ex ipsa & Iulia Taurica plurimum infestare posset Placentiam & uniuersam insubriam. his accedebat quod sæpius Cæsar esset expertus non ita facile esse urbes occupare, quæ armis Gallis defenderentur. Pontifex interea tribunos militum instruxerat ad Parmam obsidendam, & Ferrādus Gonzaga copias conscribebat ad ferenda auxilia, solumq; Regis responsum expectabatur, à quo petitum fuerat ut ab ea defensione desisteret; poscebaturq; ab Octauio ut Gallica præsidia eyceret. Henricus responsum dedit humanitatis plenum, se putasse eam defensionem in beneficium ecclesiæ redundaturam; quia si urbs illa fuisset occupata, uidebantur uno tempore & Octauij, & ecclesiæ iura perire. Se nihil contraxisse cum Octauio ut eam urbem caperet, sed solum promisisse pro mercede, cum illi Octauius militaret ut dux summus cum potestate proregia in Italia menstruos sumptus in stipendia, uel pecuniā uel milites scilicet regijs sumptibus conductos sustentaret. cū uero Octauius milites maluisset illis concessis ad defensionem, se potius laude quàm ulla reprehensione dignum apud ipsum Pontificem existimare; cū præsertim significatum ab Octauio fuisset id inconsulto ipso Pontifice non esse factum, qui concesserat cuius uellet mereri stipendia. Octauius respondit si curasset eam urbem ab insidijs Cæsarianorum tueri, id minime molestum debere uideri ipsi Pontifici, quo etiam non inconsul

to istud fecisset, cum suis ministris responsum esset à Pontifice ut cui uelle principi militaret, ac suis rebus quoquomodo posset, consuleret. licere enim cuique militi si natiuus princeps nulla mereatur, aliena mereri, cum praesertim princeps ipse concesserit. His responsis cum uerba efficacia plena addita essent à legationibus Pontifex animo dubio fuit diutius quid esset agendum: atque respondit denique se nihil permisisse. atq; cum pollicitus esset iam Caesari rem ad bellum spectare, ueritus est si ab eo desisteret, ne uideretur particeps fuisse eius consilij. Iubet igitur colligi sex millia peditum; qui sparsim Bononiam, ubi copiae colligebantur, accedunt. at prius quam agrum hostiliter inuadat, mittit Ascanium Corniam nepotem ad Henricum Regem, iubet Octauium ex itinere conuenire, monere ut impendentis belli molestias ultro deuitaret; quod sibi necessariò erat suscipiendum: hortatur ut urbem ecclesiae restituat; Camerinensem principatum securiorem & sine controuersia praeponat; atq; ad supplementum redditũum adpromittit quindecim millium nummũm prouentus annuos. Sic enim factum iri dicebat, ut regi fieret satis; & Caesari adimeretur omnis occasio belli in Italia excitandi. Octauius respondet istud sine regia autoritate fieri non posse, cum tamen Ascanius probaturum esse Regem in eo negotio quidquid probasset Octauius saepius obijceret. Postea cum spe pacis è Gallia Ascanius ad Octauium rediisset, cognouit Octauium nolle urbem illam praeclaram, opulentam, nobilem, in amoenissimo loco sitam, est enim in ripa Padi fluminis qui eam per medium alluit, deserere; cum praesertim oborta esset spes Placentiae etiam recuperandae per regia auxilia; quae & ipsa urbs est clarissima in Aemylia regione Italiae ad miliarium distans à pado flumine, & tria à Trebia, qui fluuius ex Apennino monte ortus in Padum influit: cuius ager fertilissimus est propter placidarum aquarum copiam, cum multos habeat fontes, & placidos fluuios, & riuulos pascuorum irrigationibus maxime accommodatos, & semper propè uirentia uiridaria, cum multis ferri fodinis. Rex item uisus est nolle ab ea defensione desistere, quae tam praeclara opportunitas uideretur oblata Caesaris

Parmae descriptio.

Placentiae descriptio

ris per id bellum in Italia uexandi. Rex itaque opportunitatem turbandæ compositionis Camerinensisq́; negotij arripuit, quia Ioannes Baptista Montius pontificis nepos eius expeditionis dux summus Bononia Parmam uersus cum Alexandro Vitellio castra mouerat, quamuis nondum attigerat agrum Parmensem. Rex queri quia bellum esset incœptum dum agitur de pace, sibi strui clam insidias, nullum expectatum esse negotij finem: atque ne repente inuaderetur Gallos equites iubet Parmam ingredi. Italorum peditum cohortes acciuit è Iulia Taurica; ita ut omni spe pacis de medio sublata ad arma denique uentum sit. Creatur & publicè pronūtiatur dux summus Ecclesiæ Ferrandus Gonzaga, qui captis è præsidijs Hispanis Subalpinæ Galliæ duobus millibus Veteranorū peditum, quos superuacaneos putabat per inducias, collectisq́; nōnullis Italis cohortibus, cum eo quem tunc breuitas temporis passa est exercitu agrum Parmensem hostiliter inuadit. primum igitur occupat Brisellum oppidum, quod plurimum referre ad res bellicas censebat: At Thermeus dux regius uir summæ autoritatis & prudentiæ & peritiæ rei militaris, qui Parma egressus Iuliam Tauricam conuenerat, copias summa celeritate conscribit ingentes; quod ubi nuntiatum esset Gonzagæ ad impedienda Thermei consilia, significauit per literas Montio & Vitellio ut cum Pontificijs copijs ad obsidendam Iuliam Tauricam properarent; quod ipse obsidendæ Parmæ negotium sustineret. ea dū aguntur in Italia in Augustanis Comitijs Germaniæ procurat uidua dux Lotharingiæ cū nonnullis filijs res sui principatus stabiliri, negotio tamē prius cū Cæsare & Ferdinando Rege communicato. Sed quoniam eò Philippus Hispaniarum princeps, Maria Regina, & Eleonora Regina Galliæ, & multi alij principes conuenerant, non parum ea res animum Henrici affligebat, quoniam suspicabatur ne sibi quid insidiarum per clandestina colloquia pararetur, decernuntur in ijs comitijs multa ludorum genera ad animos eorū principum oblectandos. Paulatim bellum in finibus Belgarum & Sequanorum siue Burgundiæ exardere inter Cæsarem & Henricum, quamuis Parmense bellum sine

Ferrādus Gonzaga summus Ecclesiæ dux Parmam hostiliter inuadit.

Apparatus belli inter Cæsaré & Henricum in finibus Bargūdię.

Principiũ belli inter Cæſarem, & Henricũ in finibus Burgũdiæ.

ulla offenſione induciarum fieri diceretur; cum neuter bellum gereret, ſed hic Pontifici, ille Octauio Farneſio opem ferret. Cum igitur paulatim Regum populorumq; odia ad bellum ardere & inflammari inciperent, Maria Regina inter Belgas nouos terra mariq; copiarum apparatus facit, mercatores Gallos capit, eos hoſtilem in modum tractat. id Rex aliquandiu æquo animo tulit, quòd putaret mercatores aliquid commiſiſſe, quare legationem miſit pro eorum libertate. ſed paulo poſt fiunt captiuæ omnes onerariæ naues Gallicæ cum ipſis mercibus. capti ſunt & nonnulli Galli, qui uiſendi ſtudio in Germaniam & inſulam Batauorum profecti domum iam reuertebantur. nam hi conuecti plauſtris tanquam malefici homines & latrones Bruxellas fuerant. Henricus contra ut omnem inimicitiæ ſuſpicionem Cæſari adimeret, iubet munitionem Lincontis euerti, quoniam eius oppidi princeps Regnaccus multis detrimentis rem Cæſarianam affligeret. Veruntamen Galli proceres, qui erant apud Regem, antiquas criminationes memoria repetebant, & palam proferebant: ꝙ Cæſar conatus eſſet nunc minis, nunc pollicitationibus Heluetiorum Rhetorumq; fœderationem à Gallis diſtrahere; & ꝙ per crudelitatem in eos Germanos qui Gallica ſtipendia meruiſſent, conatus eſſet animos Germanorum ab amicitia Gallorum abſterrere. Cæſariani contra criminabantur Gallos, ꝙ Germanos principes in Cæſarem ſæpius excitaſſent. Quòd rex apertè abrupiſſet inducias, atque per eam ſimulationem quòd auxilia Farneſio ſuppeditaret, nonnulla oppida occupaſſet in Gallia ſubalpina. Galli itaque Polino duce Belgica nauigia & ipſi detinent in litore ceſtarum ac Hormaniæ. ſic paulatim horum principum animi ad bellum incitantur ut Cæſar Mariliaccum legatum Regium à ſe diſcedere iuſſerit, nonnullasq; minas addiderit aduerſus regem, & apparatus bellicos fecerit ad Galiam per Veſſonũ agrum, qui populi ſunt apud ſequanã fluuiũ inuadere. Sed quoniam illud bellum tãquam ex aliqua eminente ſpecula multo ante proſpectum fuerat ab Henrico, oppida munitionesq; eius regionis fuerant præſidijs opportunis inſtructa, & Neuerſius dux ad fines recognoſcendos

miſſus,

missus, qui armatos iam incolas regionis inuenit. erat per illud tempus gubernator principatus Leucorum dux Masfeltius: quo præfecti præsidiorum Danuillæ & Iuoorum collecto ingenti numero Menapiorum & Sicambrorum ex hypernis, ut ducem Neuersium inuaderent. at uerò tanta exorta est uis pluuiarum, ut illud consilium uanum fuerit. Galli conduplicatis præsidijs multa equitum uexilla, & octo cohortes ueteranorum peditum colligunt: quæ dum parantur in finibus Sequanorum apud montem cornettum fiunt obuij. quadringenti Sequani equitibus reguli Sciatilioneo, commissoq́ leui prælio multi utrinque cadunt. at Sequani denique miserabiliter profligantur in eo prælio, quod primum commissum est in ijs finibus. postea frequenter certatum est. nec multo interiecto tempore Sequani ad leuia prælia complures egressi aduersus Gallicana præsidia ducem Gorgem ex insidijs cum multis militibus trucidarunt: qua uictoria elati ausi sunt nemoris cuiusdam ope protecti se Neuersio opponere, qui eos erat inuasurus cum suo equitatu. illi cum angustiæ uiarum & difficultas inutilem equitatum faceret simulata fuga sese in nemus recipiunt, effusaq́ in inuadentes glandium sclopettariorum procella equites & equos multos transfigunt. postea Sequani mille equitibus, & sex millibus peditum in unum contractis ulterius procedunt, ducem Sanctamandum copias Regio nomine conscribentem in finibus Lotharingiæ profligant, oppidū Aspramontem finitimum obsident, & denique capiunt: quod rex suspicatus est factum esse opera ducis Lotharingiæ, cum præsertim post eius oppidi direptionem & incendium illi sese recepissent intra suos fines: quia temporum pluuiarumq́ molestia fuisset in causa nihil ut memorabile ederetur, agebatur enim tunc quoque mensis Ianuarius. Erat in castris in ea parte Belgarum, quam Piccardiam uocant, regio nomine uir præclarus & insignis autoritatis, rerumq́ bellicarum peritia ac gloria præstans Vandomus ad eas urbes oppidaq́ tuenda cum octo millibus peditum, & quadringentis cataphractis equitibus qui incursiones per agrum Belgium faciens Rigiacum erat occupaturus. Sed consilium illud euanuit, quoniam

Præliū in illis finibus cōmissum.

Vandomus uir Præclarus.

niam res non successit è sententia. ea dum aguntur inter Belgicos fines Pontifex Synodum patrum Tridenti indicit postulante Cæsare ad euertendas hæreses; quoniam apparebat Bononiam non esse liberam omnibus ciuitatem, quo translatum fuerat concilium propter pestilentiam. Sed haeretici neq; Tridentum quidem ueniunt iam cõgregatis catholicis patribus. ubi Tridentũ conuenissent episcopi Cæsar diem dici iubet principibus factionis Lutheranæ, ut ad statutum tempus adessent, qui responderunt neque ibi quidem se tutos futuros, quare Cæsar iam palam intelligit id fieri quod diffiderẽt se posse sophisticis humanisq; rationibus res diuinas, & sacra instituta per tot annorum seriem stabilita, tot patrum antiquorum integritatem & sapientiam diligenter examinata & disputata posse diluere aut labefactare. Parma uerò & Iulia Taurica ab ijs duobus exercitibus obsidentur multos dies per quas obsidiones multa utrobique commissa sunt certamina, sed multò plura ad Iuliam Tauricam, ubi cum esset in præsidijs Thermeus dux strenuus sæpius egressus decertauit leuibus prælijs non sine aliqua utrorunque clade. Nam cum urbs illa esset munitissima, egregieq; bellicis tormentis, & ualidissimis præsidijs, & omnibus bellicis apparatibus instructa, in qua erãt Galli & Itali ueterani pedites, Pontificieq; copiæ urbi propinquarẽt per frequẽs munitiones; milites Põtificij ad leuia certamina egressi facile urbanis globis tormẽtorũ prosternebãtur. At Parmẽses Nocturno tẽpore repẽte egressi pugnant acriter. multi insignes uiri utrinq; cadũt, inter quos fuit princeps Macedoniæ. Venerat in Italiam per id tempus cum potestate pro regia regulus Brisaccus uir Gallus prudens, & in militari disciplina maxime exercitatus, qui accessit in Galliam subalpinam, ubi Sergianus Melphitanus princeps suum diem obijsset. Hic ubi uidet bellum Parmense & ad Iuliam Tauricam exarsisse existimauit Cæsarianorum ministrorum obtestationes esse uanitatis & fallaciarum plenas, qui dicerent se non aduersus Regem illud bellum suscepisse, sed pro pontifice aduersus rebelles ecclesiæ. nam profectò ridiculum uidebatur aduersus eundem hostem non hostem pugnare & non pugna-

re

Synodus Bononia Tridẽtum trãsfertur.

Parma obsidetur.

Brisacci aduentus in Italiam

re uno tempore, cum nomina differrent; personæ essent eædem: quippe cum etiam Rex profiteretur se causa defendendi Octauij aduersus pontificem pugnare, & Cæsariana subsidia, at non aduersus Cæsarem. Brisaccus itaque cum intelligeret esse debilitata præsidia locorum Cæsarianorum in Gallia subalpina, unde excepti fuerant Hispani ad bellum Parmense profecti; decernit magno repentinoq; conatu loca ipsa adoriri, inde captata opportunitate, quòd Cæsariani spe antiquarum induciarum protecti negligentius res agebant. At uerò ne illos ante opportunum tempus in suspicionem induceret magnis copijs colligẽdis iubet paulatim magnum militum numerum in Galliam subalpinam in uaria castella conuenire: qui ita sensim creuerunt ut nemo senserit quid cogitaret. ubi uisæ sunt conuenisse satis ualidæ copiæ repente per noctem Iulia Taurica egressus iussis ad statutam horam finitimorum locorum præsidijs ad certum locum conuenire, Cherium inuadit & expugnat, alijsq; castellis non parui momenti. mox procedit ad aliorum locorum expugnationem. ijs auditis Gonzaga quãta potest usus celeritate discedit relicto Mariniano summo duce exercitus ad obsidendam Parmam; ipse multas cohortes secum adducit. Marinianus ob imbecillitatem relictarum uirium recedit ab urbe ad septimum lapidem, ibiq; positis castris prouidet ne commeatus in urbem importaretur. Neque terrestribus prælijs tantum certabatur inter Cæsarianos & Gallos in Italia, sed maritimis etiam: nam Leo Strozza capuæ Prior, Gallicæ classis præfectus quòd audiret futurum ut Cæsaris iussu Auria princeps cum classe in Hispaniam transiret ad Maximilianum Bohemiæ regem cum uxore in Italiã traijciendum, statuit in itinere illum aggredi. Nam Philippus quidem princeps Hispaniarum sub finem Maij Augusta per Italiam citatis equis clam profectus Hispaniam repetiuerat. instructis itaque biremi, & uiginti ac tribus triremibus Massilia nauigat eo consilio. fit obuius non procul à Tauroentio Auria qui cum uiginti & septem triremibus occidentem uersus nauigabat, erantq; minus accuratè quàm Gallicæ instructæ. Auria classem Gallicanam ad quinq; millia passuũ distan-

Brisaccus in subalpinã Galliã inuadit.

diſtantem conſpicatus, quia ſciret bellum in Italia incæptum ratus adeſſe etiam maiorem numerum, non nauigat ulterius. eo timore cognito Gallus eò claſſem dirigit neque prius inſequi deſtitit, quàm dies defecit, atque in portum Tauroentij deniq; peruenit. ibi moratus aliquantulum cum putaret futurum ut Rex Bohemorum cũ paucis Hiſpanis triremibus omnino iter caperet ſi claſsis non accederet opportune, ſtatuit ire obuiam; quod putaret in itinere fieri poſſe ut daretur pugnandi facultas. nauigat igitur ad portum uſque Barcinonis, nulla ibi neque Hiſpana, neque alia claſſe inuenta capit in portu unam triremem principis, & cataſcopium, ſeptemq; onerarias, quæ omnia nauigia Maſsiliam ſunt attracta cum magna Barcinonenſium trepidatione. Nec multo ſanè interiecto tẽpore Leo Strozza relictis regijs ſtipendijs occultis de cauſis cum duabus ſuis triremibus Melitenſis militiæ ſtipendia mereri cœpit, quòd eſſet & ipſe equeſtri dignitate inſignitus: in cuius locũ ſuffectus eſt Polinus, qui etiam præfuerat claſsi regiæ in oriẽte, & tunc in occidente præerat in mari celtico. Erat hic Polinus fortuna uel inferiore quàm mediocri, ſed tamen qui propter præſtantiam uirtutis ad ſummos honorum gradus ab eo rege fuerat prouectus. Pontifex cum diu uires fruſtra abſumpſiſſet & inutiliter in Iuliæ Tauricæ obſidione, nullumq; uideret inſignem Cæſaris conatum ad occupandam Parmã, ut uir ocij & quietis amicus, qui ducenta nummũm millia à Cæſare mutuo accepta abſumpſiſſet, eamq; ſuſcepiſſet prouinciam magis ut Cæſaris, quàm ut ſuæ uoluntati ſatisfaceret, aut urbẽ Octauio extorqueret intercedentibus purpuratis patribus Gallicis, qui initio eius belli, qui ob regis odium Roma diſceſſerant paſſus eſt ut res cum Gallo componeretur. rebus itaque Romæ compoſitis dum tabellarij Iuliam Tauricã in caſtra cũ literis conuolant Ioannes Baptiſta Montius infeliciter occiditur, dum hoſtium mœnia cum Alexandro Vitellio, alijsq; multis è primarijs exercitus explorat. Nam tametſi monebatur ne ita mœnibus propinquaret, ſeq; fruſtra exponeret manifeſto periculo, tamen ſuæ ſententi[æ] tenaciſsimus, cum neque multis quidem egreſsis uellet cedere, trucidatus eſt. eius cla

Claſsis Cæſariana, & Gallica.

Polinus eques Melitenſis.

Io. Battiſtę Montii interitu bellũ in ciſalpina Gallia extinguitur.

de pax non est intermissa, sed continuo Parma & Iulia Taurica obsidione soluuntur: quare Marinianus opportunè contendit ad ferendas suppetias laborantibus copijs Cæsarianis, quò bellum translatum fuerat, in subalpinam Galliam. quæ dum in Italia geruntur, in inferiore Pannonia, quam Transyluaniam uocant, fortuna res non paruis mutationibus afflictabat; cum proceres eius regni modo huc modo illuc fluctuantes uariatis studijs nunc Isabellæ Reginæ partibus fauerent, nunc Georgij monachi libentius imperium complecterentur. ad quam rem explicandam uidentur altius initia harum dissentionum quanta fieri poterit orationis breuitate repetenda, ex quibus postea ingentia & acerrima bella pullularunt. Ferdinandus itaque electus Rex Bohemorum cum primum se auctum uiribus intelligit ad Regnum inferioris Pannoniæ aspirare cœpit, quia illud ad se pertinebat hæreditario iure; nā præter iura Alberti principis superioris Pannoniæ, quam Austriam uocant, accedebat quod Anna uxor Ferdinandi erat soror ipsius Ludouici Regis Pannoniæ. Multis itaque Pannonibus ultro Ferdinandum inuitatibus, suaq; studia promittētibus inuitatur Ferdinandus ad illud regnum è manu Ioannis Regis per fraudem coronati extorquendum; qui magnis copijs collectis confert signa, pugnatur acriter utrinque diu, denique uictoria fuit penes Ferdinandum multis hostibus profligatis, qui cum Anna uxore coronatur Rex Pannoniæ. Ioānes Rex profligatus ad Solimanum confugit, rogat pro institutis Ottomanicæ familiæ, quæ semper principes iniquè oppressos subleuare ab exterorum tyrānide crudelitateq; consueuit, ne se legitimè & solenniter coronatum Pannoniæ Regem per auaritiam uimq; Ferdinandi communis utriusque hostis negligat. præstare rebus Ottomanicis se habere finitimum imbecillum principem, nullis nisi Ottomanicis auxilijs suffultum, quàm Ferdinandum & per se potentem, & multo etiam potentiorem in dies futurum cum Norico Pannoniæq; superiori Vngaria siue Pannonia accesserit; & Caroli Quinti bellicosissimi fratris uires in dies augerentur. adpromittit precibus tributum quod honestum uideretur, seq; cogniturum addit

Ferdinandus Pānoniæ regno sibi iure debito uibellica potitur.

Rex Pannoniæ profligatus cō fugit ad Solimanū

illud regnum accepisse ab Ottomanica clementia, quæ semper erit optime de ipso merita. Solimanus Taurumnum exercitũ ducit quod Belgradum uocatur. cuius in castra uenit Ioannes, multa castella uastata, capta, incensa. Iuliobonam denique peruenit, qua expugnatione frustra tentata cogitur turpiter recedere. confirmat Ioannem Regem Pannoniæ. Pax denique inter duos Reges fit: sic conuenitur, ut Ioannes omnia possideat dum uiuit, post mortem ad Ferdinandum uel hæredes deuoluantur. at si Ioannes legitimos filios haberet, Ferdinandus illis Patrimonium honorificum assignaret & castella cum dignitate Vayuodæ inferioris Pannoniæ. nec multo post moritur Ioannes relicto infante filio undecim dierum Stephano nato ex Isabella Sigismundi regis Poloniæ filia, qui deinde ad patris memoriam Ioannes fuit nominatus; filij matri tutela & administratio data est, additus adiutor Georgius monachus. Erat Georgius uir illyricus pauper, è nobili familia, inter familiares matris Ioannis Regis educatus. munia exercuit uilia, monachus factus ordinis Diui Benedicti in Cœnobio Diui Pauli apud Curtam quã Budã uocant. atq; sacerdos factus secutus est in Sarmatiam siue Poloniã Ioannẽ exulem regnoq; eiectum; & ad multa negotia missus cùm magna fide, animiq; sinceritate ac uigilantia res regias gubernasset, ab ipso Ioanne regno recuperato denique in consilium admissus fit Quæstor; & episcopus Varadini cæso Amenico episcopo Aloysii Gritti opera; & mox defuncto Ioanne tutor & adiutor Reginæ in regno administrando. eò rem deducit nihil ut se inscio ageretur. Mox Ferdinandus petit regnum spectans ad Stephanum ut testamento sibi relictum. proponit quod uiuo patre se daturum promiserat, assentit Regina. Georgius qui sibi uidebatur propè regnum amittere repugnat, Solimani auxilia implorat. Ferdinandus cognita fraude Georgij colligit ad quadraginta millia armatorum, cũ quadraginta & quinque muralibus tormentis multisq; mediocribus delato summo imperio Gulielmo Roccandulpho uiro Germano ad Curtam expugnandam copias mittit; quò se Georgius & Regina receperant. Curtam acriter è duobus latentibus concutiens Roccandulphus

Ioannes à Solimano Pannoniæ Rex confirmatur, & Ferdinandus pacantur.

Georgij Monachi fortuna.

dulphus cum frustra expugnationem tẽtasset, Solimanus Mau mettum cum multis millibus hominum mittit ad subleuandã Reginam; Roccandulphus infeliciter pugnans amissis uiginti & quinque millibus hominum, triginta & sex muralibus, ad centum & quinquaginta minoribus tormentis, in insulã Comariã seruatus paulo post diem suum obit. Solimanus ad Curtam profectus, uerbo ut pristinam quietem ac tranquilitatem Reginæ restitueret, re ipsa ut curtam occuparet, quæ ob fertilitatem plurimum cõferre rebus bellicis aduersus Ferdinandũ uideretur, muneribus ad puerũ regẽ missis simulat desideriũ eius uidendi missum cum blanditijs multis excipit; proceres ad lautum conuiuium inuitati qui regem deduxerunt. iussi duces turcæ nõnulli simulato desiderio uidendæ Curtæ urbem ingredi per portam Sabatiam, atque eam sine tumultu occupare. alij ingredi, alij exire redireq; simulant. multi ingrediẽtes, pauci sunt qui reuertant. mox porta occupata multitudo urbem ingreditur: puero remisso proceres retinet. Solimanus deinde urbem ingressus reginam cum filio iubet excedere in inferiorem Pannoniam. ipse paulo post Byzantium repetit. Regina à proceribus Pannoniæ inferioris iubetur absistere, ne curtense infortunium eò transferat. Cogitur Lizisi morari. agrè opera Georgij obtinet ut admittatur. mox aucta in regem beneuolentia populorum, obseruantiaq; in reginam illa procurat ut Georgius fiat quæstor Prouinciæ & gubernator: cui tantopere aucta est audacia, ut urbes tanquam suas gubernaret solo titulo ac nomine relicto Reginæ, cum uniuersam autoritatem sibi usurparet. illa apud Solimanum per literas queritur de monacho, monachus contra curat se Ferdinando adiungere. copias parat. turcæ Reginam tuentur. multis ortis controuersiis ac sæpius frustra pacatis, denique Georgius ad auxilia Ferdinandi cõfugit aduersus Reginam & turcas. Ferdinandus ut uarijs Pannoniæ inferioris calamitatibus aliquis exitus inueniretur, decernit denique tam opportunam rei præclarè gerendæ occasionem oblatam non esse prætermittendam. Sed quòd illa tanta expeditio uirum aliquem rei militaris insigniter peritum requireret et scribit ad Cæsarem, ut sibi ac-

Solimanus Curtã urbem dolo occupat.

bi accommodatum aliquem ducem ad tantum negotium mitteret, qui posset id bellum sapienter administrare, cum multos apud se præstantes Cæsar haberet. Cæsar cognita æquitate fraternæ petitionis & tātæ rei magnitudine, tamen dubio erat animo, cum teneret adhuc captiuos duos Germanos principes, ne qui tumultus excitarentur: neque sibi conducere existimabat si prudentioribus ducibus carere cogeretur, qui tunc maximè uidebantur fore necessarij, cum etiam occulti bellorum motus, qui clam ab Henrico Gallorum Rege parabantur in regionibus finitimis non mediocriter commouerent: & indignatio Mauritij, ad cuius preces ut promissum fuerat, socerū nō soluerat. Verumtamen ne in tanta rerum opportunitate fratri deesset aduersus barbaras gētes præcipue & immanes turcas, Ioannem Baptistam Castalium uirum Italum rerum bellicarum in primis peritißimum, quem Marchionem Caßiani oppidi in ripa Abduæ fluminis siti creauerat, summum ducem eius expeditionis pronuntiat, & primum autoritatis locum tenentem post Maximilianum Boemiæ regem. ille magnis itineribus ad Ferdinādum contendens per benignè acceptus monetur quibus artibus monachi ingenium sit captandum, atque dum res ad bellum necessariæ quas postulauerat, parantur calendis Maij anno salutis nostræ quinquagesimo primo post mille & quingentos accepto insignis autoritatis diplomate, ut illi Pannoniæ, illyrij, Dalmatiæq́ populi subditiq́ omnes parerent Iuliobona Vincendriam siue Agriam uersus proficiscitur ad eas copias quæ erant in inferiorem Pannoniā traducendas. eo in itinere Comariam insulam & oppida eorum finium ad defensionem cognoscit, iubetq́ pro temporis angustia resarciri. Vincendriam itaque profectus Bernardum Aldanam magistrum castrorum cum septem uexillis Hispanorum reperit; ibi nonnullos dies absumit donec copiæ, & tormenta, & bellici apparatus conueniunt. ea urbs cum maximè omnium Pānonicarum ad rem bellicam conferret, essentq́ muri debiles, nulla propè latera, nulla industria erectæ muniones, diligentem munit: quam prouinciam muniendæ urbis Erasmo Teuslio committit, donec perficiatur. collectis igitur

Io. Baptistæ Castalii aduentus in Pannoniā ad Ferdinandum.

1551.

tur copijs dum tormenta maiora tardiora essent, quæ non satis utiliter diutius expectari censebat, sine tormentis discedit. Ferdinandum facit certiorem. mittit qui curarent celeriter attrahenda. Sic igitur copijs instructis ad sextum calendas Iunij Vincēdria discedit. ipse in primo agmine procedit, quod constabat è mille & ducentis Hispanis, quingentis Pannonibus peditibus, quos Aiduchos uocant; mille usaronibus, qui sunt equites leuiores Pannones: hi ad morem turcarum scutis lanceisq́; utuntur, & acinace, galea, claua ferrea, quos quidam Bodurgij regulus adduxerat cum quatuor campestribus tormentis. inter ipsam Phalangem Io. Baptistam, & Felicē Arcuos locat cum tribus Germanorum millibus optimè instructis, quadringentis equitibus, quatuor campestribus tormentis, duabus semicolubrinis, trecentis hastatis equitibus, centum ferrorolis. in postremo agmine impedimenta cum trecentis leuibus equitibus & Pannonibus peditibus subsequebā tur, ac tribus campestribus tormentis. erant omnes hæ copiæ equites mille & septingenti, at peditum quinque millia & septingent. cum his paruis copijs itaque procedit castalius ad inferiorem Pannoniam occupandam. eo ordine cum ad Tibiscum fluuium esset peruētum, qui fluuius amplus est & profundus à carpathoq́; monte Iazigum ortus sinuosis fexibus in uiperæ morem ad meridiem decurrens Tibisco urbe à sinistra relicta ad uocatum propè triconium defertur, & cum Danubio coniungitur inter Taurinum ac Viminantium. tam placido uero cursu defertur ut uix fluere appareat, quod accidit ob amplitudinem aluei, cum propter paludes ad octo millia passuum aliquando dilatetur. eò profectus primus fluuium traijcere uoluit ut cæteros ad traijciendum inuitaret. postea ad ulteriorem ripam uectus cæteros copias traijciēdas curat, quæ omnes uix post octauum diem sunt transuectæ propter fluminis amplitudinem. Sic igitur in acie procedens ad Debrecenum oppidum peruenit, ubi eum Batthorq́; Andreas, Thomasq́; Nadassus Pannoniæ facile principes autoritate, nobilitate, opulentiaq́; expectabant. eum transitum interea cum quingentis equitibus tuebantur, donec Castalium in inferiorem

Ferdinandi exercitus instructus à Castalio.

Tibiscus fluuius.

feriorem Pannoniam comitarentur. His communibus castris coniunctis ad oppidum Zanolchum uocatum peruentum est, ubi ad custodiam oppidi relicti sunt quinquaginta Hispani. Regina interea comitia Egnethi, q̃ urbs est ampla & celebris inferioris Pannoniæ indixerat; in quibus proponendum erat quo pacto Georgius monachus posset ex ea prouincia eijci. ille de his omnibus certior factus cum esset Varadini, præsentibus omnibus negotijs relinquens Cisiis eò conuolat, Turdamq́; profectus proceres per literas hortatur, qui erant cum Regina, ut si saluam patriam uelint, minimeq́; in barbarorum potestatem uenire ad ipsum quàm citissime properarent. cum eò conuenissent equitum & peditum Varadino satis ingentes copiæ simulatis custodijs sui corporis ad comitia et ipse properat ubi comitia indicta euanescere necesse sit: quare Regina Albam Iuliam cum filio se recipit collectis ijs maioribus uiribus, quas potuit,, quarum summum Imperium habebat Petrus Vicchius. eam summa diligentia muniendam curat. Sed cũ uereretur ne ibi à Georgio obsideretur, relictis præsidijs quæ uidebantur necessaria ad urbis defensionem, ipsa Sassebessen se transfert; quæ urbs & arte & natura magis erat munita: ut ibi spectaret quò tenderent Georgij consilia, & fortunæ suæ temeritas. Georgius auditis subsidijs Ferdinandi quæ mittebantur, & iam propinquabant, statuit Albam Iuliam obsidere, atque concutere magno studio. sed cum præter expectationem fortiter defenderetur, neque tam cito copiæ accederent ut opus erat cum se in magnam difficultatem intrusisset, decernit res denuo cum regina componere. ea dum tractantur, Castalius attigit fines inferioris Pannoniæ, quæ regio est Pannoniæ altissimis montibus undique ferè circundata, ingressusq́; habet difficillimos & asperrimos, cum alibi fluuiorum amplitudine, alibi montium asperitate protegatur. Nã ab oriente amplissimo fluuio Danubio cingitur, & à mysia quam ualacchiam uocant metanastarumq́; regione disterminatur. ad occidentem habet Narabonem fluuium & Bebios montes qui ad meridiem quoque in sinum distenduntur ultra Darum fluuium, eamq́; separant à superiore Pannonia, quam

Alba Iulia à Georgio monacho obsidetur.

Pannoniæ descriptio

uulgo

uulgo Vngariam uocant. ad septentrionem habet Sinnosum flexumq; danubij sinum, qui Sarmaticos montes uersus protenditur, qua ex parte sidonia, mysiaq; inferiore siue Moldauia terminatur. habitant eam regionem Amantini, Hercuniates, Andiantes, Arabisciq; populi olim uocati bellicosissimi ac robustissimi, facileq; bellicorum laborum patientes. diuisi sunt huius Prouinciæ inter se populi, quòd alij legibus & moribus superioris Pannoniæ utuntur uocanturq; Ceculi; alij Sassonum lingua & legibus & moribus Germanis uiuunt. atque ut Ceculi feri sunt & crudeles tanquam turcæ; ita hi sunt perhumani & maximè ueritatis cultores, & fidei obseruantissimi, qui primum è Saxonia pulsi huc ad habitandum conuenerunt. prouincia est frumenti, uini, omnisq; generis animalium ferax, Syluis abundans, & uenationibus. domicilia tamen non satis magnifica, cum fiant uillæ ubique & domus è paleis, aut fluuialibus cannis, aut materia consimili. abundat ea prouincia multis ferri, argenti, auriq; fodinis, tantaq; copia salis excauatur, ut uniuersæ Pannoniæ Sarmatiæq; sufficiat. perluunt hanc prouinciam duo fluuij nauigabiles, qui apud Lizisum & Tibiscum urbes inferiores in Tibiscum fluuium ingrediuntur: quorum alter è montibus mysiæ inferioris septentrionem uersus ortus Marossus appellatur, alter in extrema parte carpathi montis scatēs Altus uocatus fuit, qui plurimum arenarū aurearum deuoluit. habitant in ea prouincia ad meridiem rhatiani uocati, qui modo christianis principibus, modo turcis militant. homines fidei parū obseruantes, inopes, nihil propè poßidentes, & ob suā perfidiam omnibus inuisi. hi sunt inter Mæsiam & Dardaniam a duobus lateribus, cum ad alterum latus habeant Daciæ mōtes. præcipuæ huius prouinciæ urbes sunt Metropholis Zibinium uocatum, & Præssouium, Cassouium, Vlpianum, Turda, Corona. eò cū Castalius aduētasset, iussus est Battor Andreas & Thomas Nadasdus transitus explorare montis cum nōnullis peditibus & equitibus. fit certior Marchionem Balassum uirum primarium potentia totius superioris Pannoniæ aditus occupasse, qui ad reginam ope subleuandam confugerat Ferdinando

nando Regi iratus, quod nonulla castella sibi in Pannonia superiore extorsisset, ut ferebatur, quod ab eo desciuisset. Hic enim cũ magna manu peditũ, & septingentis equitibus aditus ab ea parte occupauerat, quare Castalius non ita facile tentandam fortunam ratus ad alias uias uel cum aliqua difficultate teporisq; stipendio aggreditur, ita ut Balasso eos aditus adhuc custodiẽte ipse sine controuersia copias deduxerit, & tormenta in Pãnoniam inferiorem attraxerit. primo itaque die in acie instructæ copiæ iter faciunt. est oppidum quoddam non procul ab ipsis montibus in placidissimo colle situm, quod Dalmas uocant, cui propinquum iter necessario erat faciendum; quod statim propinquas copias tormentis infestare cœpit. ea re indignatus Castalius illud ipse explorat ad expugnationem: cum ut poscit ratio bellica nihil hostile ad infestanda castra uellet à tergo relinquere. Sed cum munitius esset quàm quod posset sine maioribus tormentis expugnari, cogitur infecto negotio procedere. at iubet comites Felicem & Io. Baptistam Arcuenses qui sequebantur in postremo agmine ut illud cum Germanis obsiderent, quatuorq; illis campestribus, & duabus semicolubrinis concutere: quod summa diligentia factum est. at enim minus apta sunt minora tormenta muris concutiendis; non solum quia propter globorum paruitatem non ita acriter concutiunt, sed etiam quia bombus plerunque nõ peruenit & aeris impetus ad mœnia hostilia. sunt enim colubrinæ uocatæ, tormenta longiora, quæ triginta librarum globos emittunt ad perforandum aptæ propter uim longitudinis: at minus concutiunt. contra uerò cannones sexaginta librarum globos eiaculantur, at non ita perforant aut penetrant, sed magis concutiunt. horum tormentorum mutua opera utilis est; cum uideantur fraterna concordia in hostes & quasi fœderatione cõspirasse. sic igitur semicannones & semicolubrinæ quæ dimidij ponderis globos eiaculantur, & sagri, & cætera huiusmodi tormenta tanquam pueri sunt putanda: at illa maiora tãquam uiri fortes ad urbes & castella prosternenda. dum Felix huic expugnationi esset intentus Castalius ad urbem Colosuariam uocatam castrametatur, unde trecentos Hispanos misit

Dalmas oppidum multo genere tormentorũ cõcutitur.

Colubrinæ, & canones qui sin., & quorũ opera.

misit sclopettarios ad eius oppidi expugnandi negotium. Regina interea omnes neruos intendere, omniq́; industria uti ut res cum Georgio componerentur; quia nuntiabantur aduentare decem Hispanorum millia cum multo equitatu & peditatu, & iam Dalmas oppidum arctißimè obsideri: Vlpianū, ubi coronati reges consueuerant, iam propè uenturam esse in potestatem monachi, quam ille tantopere cuperet; quia se nullas habere paratas copias intelligeret quibus posset resistere, omnibus monachi petitionibus facile assentit. nuntiatum mittit ut præter uitam & impedimenta cuncta monachi arbitrio concederentur; qui neminem ex militibus ingredi passus est, antequam omnia quæ forent reginæ efferrentur, ad quæ cōuehēda etiam suos carros concesßit. certiorem facit castalium ea urbe potitus, mittitq́; nuntium qui ad se illum adduceret ad urbem Egnethum, ubi esset commeatus, & omnium rerum copijs necessariarum facultas & copia. Monachus interea Reginam conuenerat, hortabaturq́; ut iuberet oppidum Dalmas se dedere, quod illa cum uideret in periculo, cum per cunicolos illud tentaretur munus, quod erat tormentorum, libenter annuit, misitq́; qui regio nomine ad deditionem hortaretur. Monachus interea ad castalium ad Egnethum urbem properat, cui Castalius fit obuius honoris gratia: multisq́; de autoritate Castalij & de omnibus negotijs inter se communicatis, monachus mirificè lætatur, quòd intelligeret se à Castalio uiro cum proregia autoritate profecto tātopere, ut apparebat, obseruari. Sassebessam itaque urbem accedit, de ijs quæ cum Castalio transegerat, Reginam certiorem facit: quæ iam uirum nobilißimum Sarmatam ad Castalium miserat, multaq́; promittebat, quibus apparerent omnia pro uotis Ferdinando successura. nonnullis diebus interiectis monachus literas dedit ad Castalium, monet ut ad nonas Quintilis Vlpianum ad colloquium secum conueniret. eò profectus cum paucis è suis monachum non inuenit, qui Sassebessam se contulerat ad reginam. Castalius rem commodam futuram ratus si cum utrisque uno tempore loqueretur, Sassebessam accedit. tertio inde die in concilium cum Regina & Monacho Castalius, multisq́;

Monachus Vlpiano urbe potitur

Reginæ Pannoniæ Monachi, Castalij, & regni pcerū colloquium.

tisq; primarijs eius regni conuenit. ibi Castalius sui aduentus causam explicat, quæ erat ut regina eam prouinciam pro cõditionibus cum Ioãne rege compositis Ferdinãdo restitueret; qui omnia quæ pollicitus fuerat sese statim executurum pollicebatur. quod quidem uidebatur fore commodius & utilius, cum intelligeret per quãtas molestias eas regiones possideret, quantaq; in suspicione uersaretur ne Thracum imperator eã repente occuparet; quodsi contingeret, non poterat fieri sine maxima Pannoniæ & Austriæ & Germaniæ calamitate. Maxime omnibus optandum esse ut ea prouincia in potestatẽ christiani principis deueniret, qui armis & autoritate eam protegeret, immaniumq; turcarum impetum, & rabiem barbararum nationum frenare posset. quod certe Regina sine exterorum auxilijs minime esset factura. multò præstabilius esse quod à Ferdinando offeratur quietum & tranquillum & sine ulla controuersia, quàm illud regnum in perpetuis periculis & difficultatibus & curis possidendo uersari; cum nullum tantum sit imperium, nulla tanta, tam preciosa, tam admirabilis opulentia, quæ possit cum animi tranquillitate comparari. His additum est ad promissorum obseruationem Ioannam minorem natu filiorum Ferdinandi nuptui datum iri Ioanni filio cum dote centum millium nummum, soluturaq; iri pecunia Ferdinandi quidquid æris alieni Regina contraxisset, & numeratum quãtum reginæ ipsi legitimè deberetur. eæ conditiones cum optimæ ac salubres omnibus uisæ essent, datum est negotium Monacho ut priuatim ageret pro regina, qui modo hanc, modo illam excitans difficultatem, cum propriam utilitatem spectaret, seq; simularet ea uti diligentia, quod tantopere cineribus Ioannis Regis deberet, cuius beneficentia & liberalitate ad tantam dignitatem prouectus fuisset, in rem protrahebat, ut nihil omnino concludi posset. at cum aliquando data esset colloquij facultas Reginæ inscio monacho primum gratulatur Castalio pro concessa autoritate proregia, quod uir eius ingenij ad eam dignitatem esset assumptus. ostendit se ad uota Ferdinandi semper fuisse paratissimam, omnesq; accusationes diluit, & in monachum torquet, à quo opprimeba-

primebatur. se difficultatibus cōpulsam aliquando uel ad Solimani auxilia cōfugisse, fuisse sollicitatam ut illud regnū tanta alibi regione accepta permutaret: sed minime uisum esse tantam iniuriam faciendam esse Ferdinando ut tam propinquū tamq́; potentem barbarum hostem finitimum admitteret. tamen multò sibi tolerabiliorem uisum iri Solimani quàm monachi tyrrannidem. Se libentissime eam regionem Ferdinando concessuram, quam nulla ui armorum compelli potuit ut cuiquam concederet. se unum rogare Ferdinandi dementiam ne obliuisceretur Ioannem filium esse Regem, & puerum, & orphanum, quibus de causis uidebatur iure posse impetrare ut filij loco haberetur. quod si fiat se unam illam consolationem in tantis malis, tantaq́; fortunæ mutatione esse habituram: his commotus Castalius, tantam fœminæ constantiam prudentiamq́; admiratus respondet se pluris optimam eius uoluntatem in Ferdinandum æstimare omni quouis opulentissimo regno. omnia promissa ad unguem obseruatum iri quæ tractata sint, futurum ut Ferdinandus in numero filiorum suorum Regem haberet. se proprio nomine omne defensionis officijq́; genus liberalissime polliceri. at monachus horum ignarus sua negotia in dies protrahere difficultatem, difficultatibus annectere, conditiones quas ipse requirebat in medium adducere. atque ut Reginæ regisq́; utilitatem primum procurare uideretur, curat ut prouentus Regi & successoribus uiginti & quinque millium nummùm prius assignētur, quàm concedatur regnum; qui prouentus liber esset & securus & ab omni molestia immunis. quod statim Castalius adpromittit assignatum iri in principatu oppoliæ, quæ regio est Bodurgij silesia uocata fertilissima & amænissima, omniumq́; rerum humano uictui necessariarum abundans. His additum ut dos Reginæ 150000. nummùm redderetur. quæ dum integrè soluatur, nonnullæ urbes pignori darentur, quò se reciperet cum filio; & dum redditus prædictus, inter quas urbes fuit Rhauporiū & Munsterburgum. sic igitur urbs opulenta Cassouium Reginæ concessa est. his ita compositis monachus ad suas conditiones uenit, petit ut dignitas Vainodæ sibi concedatur cum soli-

io stipendio à Ioanne concesso quindecim millia nummùm in singulos annos. ut munus quæstorium quod exercuerat ne eriperetur cum stipendio ordinario, quod erat. 4000. nummùm. ut tam pacis quàm belli tempore mille & quingenti equites ad regionis suiq; custodiam alerentur stipendijs Ferdinandi. ut Turdæ salis fodinæ quæ maximi erant precij, quas tunc ipse possidebat, sibi concederentur; quæ omnia præter suam expectationem concessa sunt. nam etsi ea consecutus fuerat, quæ cupiebat, tamen in horas mutabatur; cum modo diuersa optaret, modo optatorum pœniteret: nihilq; dedecoris in inconstantia & uolubilitate ingenij collocaret. nam profectò nihil minus uirili grauitati & prudentiæ conuenit, quàm promissa fallere; aut quæ semel probaueris, mox reijcere; nisi dolus & insidiæ & fallaciæ sese patefecerint, cum nemini datam fidem seruare teneamur, qui insidias pro sinceritate nobis obtulerit. Quippe cum neque ignoratio eorum quæ sciri possunt nos in hoc genere à leuitate excusent. Idcirco dum ea forent conclusa, quæ acta fuerant, conatur persuadere Reginæ ne prius exeat ex eo regno, quàm Fordinandus omnia promissa exequutus esset. quod ad se pertineret, se omnes suas copias extra regionem emissurum, ut ea intelligeret se tanta molestia liberata. omnes deos obtestari se fidem illi in posterũ seruaturum. æquius sibi uideri, ut illud regnum, quod ipse toties armis, assiduis laboribus, perpetuis uigilijs defendisset ad Ioannem regem perueniret, quàm ad Ferdinandum: qui neque auxilijs unquam protexisset, neque sanguine esset coniunctus, neque ullum probabile ius in eam regionem haberet.

Ferdinandi literæ ad Pontificẽ pro Monaco.

Quæ dum clam aguntur Ferdinandus literas dedit ad Pontificem plenas honorificentissimarum laudum huius monachi. quòd is sua industria regnũ illud aduersus immanitatem potentiamq; Thracam tot annos defendisset, quòd eos affecisset multis cladibus, quòd ex infimo fortunæ gradu per suam uirtutem ad summam dignitatem esset prouectus. rogat Pontificem, ut uisus fuerat monachus cupere, ut in patrum purpuratorum concilium senatumq; cooptaret, & purpureo galero insigniret. quæ dum ab oratoribus etiam Romæ agerentur

moritur

moritur Strigoniæ archiepiscopus, cuius redditus erat, ad quinquaginta millia nummùm. eam dignitatem cum monachus expetisset statim obtinuit. at cum reginam persistere in eadem sententia, obseruaturamq́; esse quæ Ferdinãdo promise rat, intelligit, mirificè laudat eius mulieris constantiam. at regina rursus in colloquium cum Castalio ueniens ingenium monachi Castalio explanat, nihil tantopere præsentibus nego tijs quàm illum aduersari commemorat. cauendam esse eius uolubilitatem monet, quod ipsa experientia iam didicisset. qui monachus cum ad alia quæ cupiebat præclusam esse uiam intelligeret, necessariò conditiones factas amplectitur; quæ erãt ut Regina intra sextum diem exiret è Transyluania Cas souium. tum perscriptum est ad Petrum Vicchium de his omnibus negotijs, petitumq́; ab eo si uellet Lizisum Tibiscumq́; urbes Ferdinando concedere, futurum ut digniorem principatum in superiore Pannonia acciperet. ut autem res celerius & commodius transigi posset, missum est ad eum diploma, in quo proponebatur ut tutò posset ad reginam accedere. ille ueritus monachi insidias, cum res tam breui transactas nõ crederet, duos oratores mittit, quibus omnia quæ transacta erãt patefiunt. ut autem tarditas & mora omnis ac dilatio è medio tolleretur missus est Batthor Andreas, qui cum duobus millibus equitum proficiscitur ad res negotiaq́; illa transigen da. nam fama erat Vicchium Thracia auxilia in dies expectare, quibus turbaret ipsa negotia. Interea comitia indicuntur Colosuare, ut omnes principes eius regionis ac regni adessent, quo tempore Regina erat regnum Ferdinando concessura, atque eum Regem iuratura, ubi omnes dum conueni rent expectauit. Auria omni conatu omniq́; uigilantia & studio usus fuerat, ut post occupatam urbem Aphrodisium, Dragutus acerrimus crudelissimusq́; archipirata opprimeretur, qui omnia maria infestabat: cuius iter cum diu uestigasset, denique intra lacunas Egimi reperit triremes curantem ut inungerentur. ibi cum certatum esset à Draguto ut præsens opportunitas ferebat, displosa sunt utrinque plura tor menta. sed cum pirata uir callidus & astutus sese per eũ diem defendis-

Draguti classis ab Auria inclusa cæso terræ spatio in aliud mare elabitur.

defendisset, tamen in eas angustias denique perducitur ut uel inopia rerum omnium moriendum esset, uel per deditionem in potestatem hostium cum classe ueniendum. alterutrũ horum ne fieret noctu mirificum suorum remigum & militum studio ac labore facinus aggreditur: nam caeso ligonibus nonnullo terrae spatio, quae in alium maris sinum desinebat, per illud spatium aquas marinas admittit, atque nihil tale sentiente auria per nouã Alacunã in mare euadit. postridie eius diei cum illuxisset, neque inclusa classis usquam appareret, exploratur locus, cognitumq́ est piratam euasisse non sine magna omnium admiratione. Solimanus ad Aphrodisium urbem recuperandam auxilia Septuaginta triremium mittit, cuius classis summum imperium defertur Sinamo cum summa autoritate, quibus addita sunt quadraginta nauigia uarij generis. Sinamus cum ea classe Rizonicum sinum, corcyraeaq́ littora praeteruectus, omnia maritima littora praedationibus rapinisq́ infestans se Melitensibus equitibus ostentat, qui cum quatuor haberent triremes piratas & latrones omnes ex eo mari turbabant, latrocinijsq́ expurgabant. eaedem cum siculis coniunctae magna damna plerunque Mauris & Thracibus christianorum quietem securitatemq́ infestantibus inferebant. classis urbem multis tormentis diuerberat; at contrà equites in ipsam classem intrepide displosis tormentis triremem turcicam disrumpunt & demergunt: alias quatuor ita dissipant ut remigibus propè nudarint. quare ducentis & amplius è suis desideratis turcica classis recedere coacta est. ex Augusta uerò per illud tempus Caesar omnes haereticos concionatores per edictum eiecit, & Meminga, & Sueuia, quae una ratione optimè religioni eius prouinciae consulturus uidebatur. Inferioris Pannoniae regina sub finem sextilis Sassebessa profecta omnibus ferè Transyluaniae proceribus comitantibus, quam mediam tenebant Monachus & Castalius, ad expedienda exequendaq́ illa quae statuta fuerant, procedunt. eò cum peruenisset, de concedendis regijs insignibus habetur sermo, atque regina acceptam regiam coronam, quae Aurea in acuti galeri formam cõsurgebat multis gemmis ac margari-

Sinamus turcicae classis praefectus Corciram quatit.

margaritis egregijs insignita, cuius in suprema parte crux aurea consurgebat, eam Castalio in manus tradit cum diceret iure regia insignia ad eum pertinere, in cuius potestatem regnum deueniret. se fortunæ uolubilitate & inconstantia cogi ut regnum opulentum & nobile relinqueret, tamen illud solatium habere in tantis malis quòd in potestatẽ optimi & christiani principis ueniret, & à quo omnia humanitatis officia & ipsa & filius expectarent. His cum rex paruus uideretur resistere, neque æquo animo assentiri, mater ostendit sapientis esse opportunè repugnanti fortunæ cedere. neque per temeritatem & pertinaciam omnia potius esse amittenda. suas uires non sufficere illi regno defendendo, cui immanis turcarum potentissimusq́ imperator assidue immineret. Hanc unã tutam esse rationem sui seruandi, si fieret illa permutatio, & si uoluntatem Ferdinandi dum liceret ultro exequerentur. plus fidei & spei & liberalitatis in hoc principe, quàm in auaritia, perfidia, crudelitate, insidijsq́ turcarum esse reponendum, ad cuius tutelam nisi se Ferdinando dedidisset necessariò erat confugiendum, cùm iam assiduis bellorum cladibus ita afflicti essent populi ut omnino esset ad aliena auxilia respiciendum. His dictis cum puer acquieuisset, & coronam, & sceptrum eburnum multo auro multisq́ gemmis ornatum, & talarem uestem multis preciosis gemmis limbum undique circundantibus, Castalio in manus tradit. quibus acceptis Castalius non tam pro acceptis muneribus, quàm pro alacritate gratias agit, hortaturq́ ne regni concessionem suo infortunio ascribat, sed conseruationi cum semper patris loco & defensoris ipsum Ferdinandum sit rex habiturus. ea corona tanti fieri apud eos populos, quanti regnum ipsum consueuit, quã cũ & Turca, & Georgius magno studio habere curassent, tamen impetrare nunquam potuerunt. ea missa est statim ad Ferdinandum regem per Ioannem Alphonsum nepotem Castalij. Regina Colosuar profecta conuocatos ad comitia proceres, qui nondum conuenerant, expectat; ut animos eorum confirmaret hortareturq́ ad iurandum Ferdinandum Regem, & ad capienda arma quibus Turcas repellerent parantes denuo in

Regina Pannoniæ insignia regni transmittit Ferdinando.

illud

illud regnum irrumpere. illi cum aduentassent partim optimo consilio, partim timore omnia quæ gesta forent approbantes iurarunt alacri uultu se in regem Ferdinandum accipere, ac fidem seruaturos. primi autem omnium Saxones, postea Ceculi iurarunt ea tamen conditione ut sibi integra seruarentur confirmarenturq́; priuilegia. sed quoniam turcicum bellum instare uidebatur, fit edictum ut omnes armati pararentur cum primum fuisset significatum. Ferdinandus omnia quæ gesta promissaq́; essent per Castalium rata firmaq́; se habere nuntiatum mittit, hinc addita est facultas procuratori, ut posset nuptias filiæ Ioannæ cum Ioanne filio reginæ celebrare, quæ affinitas cum summa omnium lætitia contrahitur, quòd hæc concordia in omnibus quietē & tranquillitatem uideretur allatura. postea quadringentis comitantibus equitibus regina non sine lacrymis multis cum filio Cassouium uersus iter capit: qua uix profecta nuntiatur Vicchius cum Battore Andrea conuenisse, cui iam Lizisum & Tibiscum & alia nonnulla castella quæ possidebat, concesserat; quod tamen nisi per literas reginæ de omnibus rebus factus certior, assentiri noluit; qui ad reginam Cassouium comitandam adproperabat. at Battor ipsis castellis in præsidia trecentos equites distribuit, & octingentos aiduchos, qui pedites sunt arcubus utentes & acinace cum thoracibus, aut hastatis telis. his rebus ita feliciter succedentibus Ferdinando Franciscus Chendus, & Marchio Balassus proceres summæ autoritatis in amicitiam fidemq́; sunt recepti, quod non parum referebat ad conseruationem eius regni. Castalius postea Lizisum trecentos Hispanos mittit in præsidia duce Aldana, statutumq́; est ut ea urbs muniretur, & in debilioribus partibus reparationes excitarentur; quod ipsum fiebat in cæteris urbibus Saffebessa, Alba Iulia, & Zibinio; ut turcarum impetus retardaretur si conaretur in illud regnum irrumpere, donec opportuna auxilia possent accedere Ferdinandi. Sed quoniam in recentibus comitijs colosuaris pecunia impetrari non poterat, quod omnes assiduitate bellorum essent exhausti, statutum est ad harum urbium munitiones reficiendas, ut episcopatus trā-

Syluaniæ & Vinundriæ prouentus addicerentur. Monachus plurimum lætari, quòd sibi omnia succedere è sententia uiden tur, quę initijs fortuna amisisset, existimat se grauiter offendisse Turcarum Imperatorem, quòd illi Ferdinandum prætulisset. excogitat quibus rationibus illi satisfacere, & in gratiā redire posset; cum utrosque amicos uellet habere. eo consilio Colosuare diuertit ad oppidum suum, quod ipse à fundamentis extruxerat, ac Vuiuar nominauerat; ubi decreuerat ut adesset purpuratus Turcicus, quem chiusum uocant, ad exigendum tributum eius prouinciæ missus. is enim dum agebantur illa negotia eò accesserat. curauit itaque monachus ne quis eum alloqueretur, ne quæ transacta essent, posset cognoscere: quem tamen curauit magna cum liberalitate & magnificentia tractari. misit accersitum etiam Castalium, qui ubi conuenisset communi amborum consensu solutum est tributum cū essent adhuc induciæ, neque opportunum tempus uideretur præstandi facultatem turcæ atque occasionem belli inferendi, cum munitionibus maturè instruendis commoditas esset per utilis. At uero eodem die uesperi nuntiatur Acmethum purpuratum, eius odinis quos Bassas uocant, cum tribus millibus equitum Curta egressum ut Reginam & filium & regiam coronam interciperet, quam secum afferre reginam existimabat, ad Ferdinandum properantem. Sed ea Cassouium uersus ut diximus iter ceperat, atque in horas multo grauius ferebat eam fortunæ mutationem; quare cum propter difficultatem uiarum è montibus descendens, qui superiorem ab inferiore Pannonia occidentem uersus disterminant, in antiqua quadam arbore has literas incidit; sic fata uolunt. ac paulo inferius; Isabela regina. deinde iter peragens Cassouium incolumis peruenit, cum turcarum curtensium conatus irritus fuisset. nam regina, ut quæ prudentia & cognitione disciplinarum esset exculta, quæ facit plerunque homines cautiores ad agenda negotia experientia & recordatione rerum præteritarum, per inusitatas uias iter faciens fraudes & insidias turcarum, quas suspicabatur, delusit. at Solimanus cum per exploratores omnia quæ gesta contrectataq; forent percepisset,

continuò copias colligit ad occupandam Transyluaniam. eius expeditionis summum imperium defert illi purpurato Belierbeio qui esset in præfectura Græciæ; iubet eum cum duodecim millibus equitum Taurumnum conuenire, ibi coniungere castra cum reliquis copijs quæ fuissent comparatæ à Sanzachis; eam prouinciam ex altera parte aggredi cum auxilijs Vaiuodæ mysiæ inferioris siue Moldauiæ, ex altera parte inuadere purpurarum curtensem. id uero tanta fieri iubet celeritate ut nullum tempus concederetur Ferdinando aut muniendorum locorum aut copias colligendi. ijs nuntiatis Castalius statim monachum hortatur ut ad tantas calamitates propulsandas, quantæ imminere uidebantur, sese accingeret. is se non defuturum illi negotio respondit, at ex altera parte conabatur reconciliari & in amicitiam Solimani redire cum literas non minus ad se purgandum, quàm ad placandum animum Solimani aduersus Ferdinandum conscriberet. Nam si Solimanus idcirco copias mitteret, quòd possessio Transiluaniæ data sit Ferdinando aiebat eam nō uideri legitimam causam belli, quoniam illud esset à Regina, at non à se tractatum, per nuptias filij qui duxerat Ferdinandi filiam, quare liberam prouinciam ministris Ferdinandi reliquisset, seq́; ipsa recepisset Cassouium. non esse mittendum exercitum ad labefactandos populos rerum omnium ignaros, quòd ipse eiecturus esset omnes Ferdinandi copias quæ in prouinciam essent ingressæ, soluturusq́; tributum ordinarium, ut promissum fuerat. Additæ sunt clam in hanc sententiam & primatum eius regni supplices literæ ac preces, quæ eadem confirmarent. sed nihil retardatus furor turcarum Byzantio profectorum. nam cum dux summus Taurumnum accessisset extructo pōte super Danubio castra Tibisco flumini propinqua locat. ibi quoque ponte excitato ad oppidum in ripa propè fluminis situm cōtendit, quod Beche uocatur. in ea planitie cum omnibus copijs castra metatus finitimarum regionum præfectos monet ut quas copias belli tempore submittere deberent, celeriter ad se mittrerent. Castalius interea iubet Aldanam castrorum magistrū monere Georgium Losantiū ut cum sexcentis equitibus Tibiscum

Literæ Monachi belinguis ad Solimanum:

biscum urbem ingrederetur; iubetq́. Aldanam quoque cum suis Hispanis ibi praestò esse; atque Losantio defert summum imperium rerum bellicarum & administrationem eius regionis. qui etiã communi consilio cum Aldana Tibiscum & nonnulla finitima castella munierat pro breuitate temporis, neq; opus tamen intermittebatur faciendis reparationibus, & reficiendis partibus urbis opportunis. fiebat certior de his omnibus Battor Andrea Lizisi, qui statim ad colligendum quãtum copiarum potest animum adijcit. omnes monet opem ferẽdam esse aduersus communem christiani nominis hostem. Rasciorum primates, qui populi sunt Transyluaniæ ad meridiem habitantes, nunc rhatiani uocati, quorum inconstantiã ac fidem suspectam haberet ad se accersit: non tam ut eorum opera uteretur, quàm ut Turcarum partibus ne fauerent. eorum fidem ut magis stabiliret, ad quatuor millibus stipendia præbet, cum multi eorum principes etiam ultro se offerrent. collectis igitur summa atque incredibili propè celeritate quindecim millibus armatorum, quorum maior pars erant equites, eas copias eduxit in apertum, atque ad Lizisum castra ponit ut hostis adhuc inter duos fluuios castrametati consilia exploraret. Castalius munit urbes in Transyluania, quæ istud requirerent; qui cognoscens Belierbeium Tibiscum contendere aliam cohortem Hispanorum mittit cum pecunia in stipendia Rhatianorum. Comitia Zibinij indicit. tum curat ut Georgius Vaiuoda regni copias colligat ad subsidia Tibisci, iubetq́; Battorem Losantio quantum posset copiarum mittere ad turbandum traiectum Tibisci Turcis. at Georgius qui prius subfrigidè negotium curabat, quia non putabat futurum per suas literas ut Turcæ progrederentur, ubi audiuit eos pontes excitasse, colligit ad tria equitum millia, quibus in apertum eductis scribit ad omnes urbes quæ paratas copias haberent ad secundum mandatum, & quantum deberent copiarũ mitterent. est autem consuetudo conuocandorum militum ad uexilla, ubi ita res tulerit, ut ad communem salutem libertatemq́; tuendam inuitentur, ut Lancea cruẽtata & gladius ab equite per urbes singulas publicè feratur obequitante per

Castalius repentino turcarum aduentui obuiã exercitum mittit.

uicos; quem alter propinquus pedes sequitur omnes inuitans ad arma sumenda contra communem omnium hostem. his auditis omnes qui apti sunt exercendis armis per ætatem, conueniunt ad statutum locum; atque ita breui magnus equitũ peditumq́; numerus colligitur. at Castalius qui suspectã monachi haberet inconstantiam illi quæstorium munus cum stipendio quatuor millium nummum concessit, & Vaiuodæ cum quindecim millibus, adauxitq́; equitatum & peditatum ad corporis custodiam, tantaq́; liberalitate deliniuit ut Zibiniũ ad comitia conuenerit paulo ante indicta. in his petita pecunia ad regni defensionem obtinetur. Philippo in Hispaniam reuerso, ut diximus, Maximilianus Rex Bohemiæ iam per Italiam cũ Maria Caroli filia Iuliobonam redierat per magnas eius ciuitatis lætitiam & solennitates: quo tempore Romã allatæ sunt literæ ad Ferdinandum, quibus significabatur breui fururum ut Georgius in numerum purpuratorum cardinalium cooptaretur. At Belierbeius omni conatu nitebatur ne regis copiæ adaugerentur; qua de causa Ferdinandus præter copias, quas mittebat in Transyluaniam, præsidia in finibus Pannoniæ auxerat; ne si ea inuaderentur non possent resistere. Mittit Andream Brandaium cum tribus millibus Germanorum, Carolum Scerettinum uirum Maruingum cum quadringentis equitibus, quorum maior pars erat cataphracta, quorum omnium summum erat imperium penes Sfortiã Palauicinum. Hi Varadinum profecti Castalij mandata expectant, qui propter Monachi suspicionem cum non posset ex eo regno exire mittit nuntiatum Sfortiæ ut cum Germanis copijs ad ipsum proficisceretur. ipse relictis in præsidijs altera cohorte Germanorum Albæ Iuliæ, alia Saßebeßæ, duabus Zibinij cum reliquis Germanis Hispanisq́; copijs ad castra cũ Monacho coniungenda properat. Interea nuntiatur Belerbeius cum octoginta millibus armatorum, & quinquaginta muralibus ac mediocribus tormentis Tibiscum fluuium traiecisse, infestaq́; signa promouisse ad expugnandam Tibiscum urbem: qui Losantio significatum mittit Solimani nomine, nisi urbem illam dedat, se eum & omnia præsidia iugulaturam si-

cuti iussus fuerat, neque ullius misericordia motum iri earũ calamitatum, quas sibi sponte asciuissent. Losantius urbẽ illã esse Regis Romanorum, at non suam respondit: se non posse dare aliena sine proditionis crimine; creditam illam esse defensori, at non proditori iure uideri. splendorem gloriamq; militarem facile hostium minas contemnere solere, quo nomine indignus sit qui non pluris honorem quàm uitam faciat. Se nullum regem præter Ferdinandum agnoscere. esse magis æquitatis Ottomanicæ pacem & quietem curare, quàm regnũ illud, in quod nullum ius haberet, ita armis uexare. His auditis Belerbeius ad oppidum Becchen profectus cum omnibus copijs decem muralibus tormentis concutit, qua uerberatione magna parte murorum disrupta & prostrata oppidani cuncta præter uitam arbitrio Belerbeij dedunt. at uero cum accepta fide ex oppido exissent ad unum trucidantur à Ianizzeris præter ducem, qui uix ab ipso Belerbeio seruari potuit. hinc acceptis per deditionem Bechereche & Senatho oppidis. auctisq; copijs Rhatianorũ aduẽtu, qui cognito turcarum exercitu potentiore contra iusiurandum ac fidem datam Ferdinando, cuius stipendia etiam acceperant, in castra turcica transfugerant, ad Lizisum castra mouet, explorato at minime tentato Tibisco, quod nimis præsidijs & reparationibus munitum uisum est, ac difficilius quàm ut tunc expugnari posset. decernit igitur omnem finitimorum subsidiorum spẽ è medio tollere, & loca quæ opem possent ferre circum expugnare, ut ea urbs auxilijs postea priuata facilius ad deditionem compelleretur. primum igitur Lizisum, quo oportebat prius conuenire à Castalio subsidia Tibisci, expugnandum censet; quare primam aciem castrorum cum abesset adhuc iter unius diei exploratum mittit copias Battoris. ea cognita à uigilibus, qui missi fuerant ad explorãdum hostium aduẽtum procul ab urbe sub noctem tanta perturbatione ac trepidatione plenas copias repente contraxit, ut pene solutæ fuerint, cum quisque latebras ad fugam prospiceret, per eum itaque tumultum castra mouet ad profectionem relicto in eo oppidulo Petro uiro Pannone præfecto rerum bellicarum apprime

Belerbeius Becchẽ oppidũ expugnat.

me

me perito cum trecentis equitibus, & nonnullis Aiduchis, monet hunc quanta poßit uirtute urbem & oppidulum tueri, uix inde profecto Battore Burgomagister, sic enim supremus magiſtratus urbium in ijs regionibus uocatur, nuntiat præfecto præsidiorum se uelle facere deditionem, neque uitam, honorem, facultates, libertatem, filios, uxores, omnia bona uno tempore esse certißimo periculo obijcienda, si tentassent eam urbem defendere, quam Battor ita turpiter reliquisset, quia iudicasset facile posse expugnari. quare se ipsum claues uelle offerre, at ipse quidquid libuisset faceret de oppidulo. Petus cum intelligeret urbe à turcis occupata se posse ægrè oppidulũ defendere, statuit Ferdinandi rebus præstare ut eas copias incolumes seruaret, quàm ut inutiliter hostium immanitati obijceret: quare milites eduxit. Belerbeius capto Liziso ita per deditionem ibi decem dies cum uniuersis copijs moratur. tum oppidum paruum Solimum uocatum, quod distat ad duo miliaria à Liziso in eminente quodam colle situm, expugnare adortus, præsidia parui uires turcicas facientes, erant.n. Pannonica, singulari uirtute illud tuentur. frequẽtibus enim prælijs leuibus quanta fieri potest molestia hostes affligunt. Belerbeius cum neque minis, neque largitionibus, neque ulla uirtute militari eos ad deditionem posset compellere aut subiugare. sublatis uexillis ad profectionem inde castra mouit relicto Lizisi Olimano præfecto uiro Persa cum quinque millibus equitum, & ducentis Ianizzeris cum reliquis copijs ad Tibiscum proficiscitur obsidendum, quo occupato uidebatur omnia Ferdinandi auxilia parui facturus, cum Tibiscum sit urbs munitißima uulgo Themesuar uocata à fluuio Themi, qui eã circundat; atque altera pars eius erat terra lignisq́; in aggeris morem congestis munita, ubi multæ erant Lacunæ & profundißimæ paludes, & fossæ aqua plenæ, unde neque tormentis concuti, neque ullo pacto obsideri potest; altera pars muro cincta erat antiquo è lateritia materia, atque interius fossa erat deducta insignis profunditatis & latitudinis; atque ad turrim quæ mediam fossam prospectabat domus terra repleta est, quæ collocatis tormentis undique fossam defensaret, quæ cum

Belerbeius turca Lizisum capit.

Tibisci urbis descriptio.

cum suis lateribus ita erāt extructa ut sclopettariorum usui essent accommodata. comportato igitur in urbem omni commeatu qui erat in suburbanis, suburbana omnia succendunt, ne fierent utilia castrametationibus hostium: statuūtq; uel honorificè urbem defendere, uel per gloriosam mortem fortitudinis non uulgaris exemplum ad posteros transmittere. Sic igitur pridie idus Octobris prima acies turcarum urbem ad expugnationem explorat, quo tēpore Losantius egressus cum quadringentis equitibus præter Aldanæ magistri castrorum consilium, & Viliandrandus cum quinquaginta sclopettarijs leue prælium committit, in quo certamine se gloriose gessit & ipse Losantius, & Alphonsi Rerecij uiri Hispani egregia opere enituit. nam tanta uirtute & peritia Losantij certatū est, ut duo turcarum millia pugnantia Losantiorum fortitudine ad castra sint repulsi. at Aldana quia uerebatur ne illa uictoria nimis alacres suos in periculum alliceret, cum tot essent hostium millia, mittit qui suo nomine Losantiū hortarentur ut caneret receptui, quod factum est sine alla suorū iactura, cum turcæ præsertim in redeuntes impetum facerent, donec ad suburbia uentum est. ibi enim subsidia sclopettariorum erant hac ipsa de causa collocata, quæ ubi in irruentes turcas glandium procellam effundunt, eos cogunt recedere. Postridie eius diei Bolerbeius uniuersas copias urbi ostentant, quæ accessione Rhatianorum ad nonaginta hominum millia excreuerant, ubi tam amplæ tamq; condensatæ ostentantur Phalanges ut uel sola urbem trepidatione replere crediderit. qui cum urbem uellet explorare egressorum rursus uirtute præsidiorum re infecta repellitur. tertio ab inde die directa sunt tormenta in eam partem urbis, in qua forte Losantius & Aldana munitionem inceperant. Eo consilio hostium per captiuos cognito fossam latiorem faciunt ea nocte inceptam, ita ut postridie ualde essent muniti. directa sunt duæ semicolubrinæ & duo semicannones, ac reliqua minora tormenta, hisq; urbs concuti cœpta, quare præsidiorum duces cœperūt turcarum uires paruifacere, cū nulla ratione uiderētur urbe potituri, nisi per acerrimum impetum tormentorum maiorum

Tibiscum tormentis muralibus quatitur.

maiorum omnes propè muri essent aperti & prostrati. Quadum ad Tibiscum aguntur, Castalius collectis copijs quas habebat in hybernis, communia castra cum monacho coniungit, qui ad septuaginta millia hominum summa celeritate collegerat, quæ tamen uires in dies succrescebant, additis cohortibus Palauicini, & decem millibus hominum Battoris. nam eo uires copiæq; Ferdinandi excreuerant, ut essent in castris ad nonaginta hominum millia, quæ sequebantur quinquaginta bellica tormenta. hæ copiæ etsi numerosæ erant, tamen cum essent plerique rerum militarium imperiti, &, quales tumultuarij solent esse, male instructi; promptioresq; ad fugam, quàm ad pugnam, Castalius parum firmamenti se in ijs habere oportere censebat, cum omnem spem in mercenarijs militibus, qui partim pedites, partim equites uariarum nationum accedebant ad quindecim millia armatorum, collocasset: & in quingentis Hispanis quos semper secum habebat uiris lectissimis. at uerò nationes illæ nullum militarem ordinē seruabant, erantq; omnia confusione plena, cum nulla natio uellet cum alia ad munia militaria obeunda communi consilio conspirare: sed singulæ proprijs munijs ac seorsum fungi niterentur, neque ullas preces aut blanditias ducum audirēt, quæ una pestis omnem gloriam Germanici nominis destruxit, & in perpetuum destruet, donec id consilij ab omnibus captū fuerit ut uni Imperatori parentes, uno cōsilio, una mente, uno animo utantur ad communem salutem & libertatē & patriā aduersus barbaras immanesq; nationes defendendam. Castalius his discordijs cognitis curauit animos ad concordiam reducendos, quare conuocatis insignioribus ducibus & primarijs cuiusque ordinis ac nationum eos ita ad cōcordiam & ad seruandos ordines militares cohortatur. existimo uobis manifestum esse cōmilitones nullum neque imperium, neque regnum, neque urbem, neque domum saluam esse posse, ubi uel nullæ leges ad felicitatem dirigentes fuerint; uel si existant, parum diligenter seruentur: quippe cum lex populorum regina, anima ciuitatum, firmissimum omnium societatum uinculum ubique sit necessaria. at quantò magis seruandæ leges

Ferdinādi exercitus.

Castalij oratio prudens & salubris.

militares

militares sunt in castris, ubi multi sunt malefici homines, qui spe prædæ & impunitate cædium conueniunt ad urbium agrorumq; populationes; qui nisi legibus coerceantur, ac ingenti metu suppliciorum, nulla differentia amicos ab hostibus dignoscerent. omnium uerò legum militarium prima & regina, ut ita dixerim, ea lex est, ut imperatoribus communi omniũ saluti & regnorum conseruationi consulenti pareatur: quod ni si fiat, irriti sunt & inanes omnes regum conatus; frustraq; maximæ copiæ comparantur, ubi imperatore caruerint. carẽt autem exercitus imperatore, qui imperatoris uoluntati non obtemperant. imitari oportet sapientissimos illos Romanos cõsules, qui cum exissent ad bellum pro patriæ salute, priuatas simultates & odia intra fines agri Romani deposuerũt, resumpturi ubi redirent parta Reipublicæ uictoria. facile futurum est si per has discordias inter uos diutius dissenseritis, ut patriam & filios & facultates & libertatem in manus crudelissimorum hostium tradatis; quippe cum nihil magis optabile sit barbaris, quàm ut communia arma harum prouinciarum inter se ad mutua uulnera conuertantur. quòd si sapietis omnem ambitionem, omniaq; odia deponetis, omneq; studiũ conuertetis ad profligandos communes hostes, ad propulsandum iugũ seruitutis à uestris ceruicibus, ad restinguenda tectorũ uestrorum incendia, ad repellendos acinaces à iugulis uxorũ, filiorum, affinium, amicorum uestrorum. Non potest tantus malorum cumulus propulsari priuatis armis alicuius nationis, sed communibus omnium; neque utilia illa fore nisi uni Imperatori obtemperetur. se autem omnium periculorum & laborum socium ac ducem futurum pollicetur, qui ad eã expeditionem non aliqua sua priuata causa compulsus, sed studio defendẽdæ eius regionis accesserit; quam propriã causam postea fecit amor & charitas in omnes illos populos; & insignis spes triumphi de immanibus turcis reportandi. his rationibus omnes discordiæ, omnisq; ambitio repressa est, coniunctiq; animi & consilia omnium unius Castaliј uiri alienigenæ imperio ut subijcerentur, quod non ita fecissent, si imperator fuisset alicuius uel Germanicæ, nel Pannonicæ nationis. hæc

enim pestis inuasit uniuersum ferè terrarum orbem, aut saltē uniuersa christianorum regna ut suarum urbium sapientes præstantissimos in una quaque re faciant parui; at mediocres externos admirentur, & maximè colant; contra quam ratio omnis postulat; cum ita fiat ut uiri boni ex omni patria cogantur solum uertere, qui maximè omnium utiles esse possunt ciuitatibus. Sed hac res multas urbes euertit, & euertet in posterum. staret enim adhuc florentissima urbs Troia, neq; Græcis armis & flammis concidisset cum magno fragore, si paruisset Cassandræ suæ monitis. censis itaque copijs Castalius magnis itineribus coniunctis copijs cum Monacho ad ferendas suppetias Losantio contendit & Aldanæ qui Tibisci obsidebantur. primo die monachus in prima acie incessit, quod Castalius permisit; at ubi castris hostium propinquaretur, ipse in prima acie esse uoluit cum præstantiore manu militum, Monachum ipsum in Phalange conferta esse statuit, cum ipsemet etiam castra omnibus copijs eligeret in munitiore atq; commodiore situ, qui sese ostentasset. at difficultas & angustiæ uiarū nonnihil copias retardabant, quòd per angustum spatium inter fluuium & montem iter esset faciendum; neque fieri poterat ut tantus armatorum numerus breui per eas angustias pertransiret. at uerò ad euitandas eas uiarum difficultates existimabant nonnulli commodius fore ut Lizisum omnes copiæ diuerterent ad eam urbem expugnandam, quia sic futurum uidebatur ut Belerbeius cogeretur Tibisci obsidione soluta Olimanno opem ferre. Castalius utrunque uno tempore fieri posse existimauit cum tantas haberet copias: nam relictis tot copijs quæ possent Lizisum obsidere, & molestias Olimanni diuertere ac fugam impedire, ipse uniuersum exercitum Tibiscum uersus signa iubet conuertere. eo in itinere monachus non esse Tibiscum adeundum narrat cum tumultuarijs copijs aduersus ueteranos & exercitatos turcarum ordines, qui si collatis signis dimicarent certissimam uictoriam erant relaturi. Castalius laudare mutationem sententiæ Monachi, quòd in tantis rebus utile sit consilium in melius uertere. rogat ut Lizisum accedat. docet in unius urbis expugnatione consistere

Castalius Tibisco suppetias ferre contendit.

re

re uniuersum imperium Transyluaniæ. rogat ne christianum nomen in tanta opportunitate rerum paruifaceret. obtestatur ne tantam gloriam, quantam consecuturus uidebatur ea ciuitate expugnata negligeret. se illi summum eius rei inquit deferre imperium, seq́ tanquam priuatum ducem mandata executurum, rogat ut istud fiat celeriter, quia tempus petitorum auxiliorum à Losantio & Aldana laborantibus rebus erat propinquũ; qui se per uiginti dies tãtũ se posse turcis resistere profitebãtur, cũ diurnis laboribus pugnæ, nocturnis excitandarũ reparationum assiduè fatigarentur. Monachus quòd Lizisum etiam inuitus accederet, tardius iter faciebat ea sentẽtia fortasse ut daretur tempus Olimanno aufugiendi, quem in urbe tam imbecilla tantum exercitum non putabat expectaturum. nuntiatur interea Belerbeius auditis copiis hostium propinquare, ubi per octo dies Tibiscũ uerberasset uel nouis accedentibus tormentis exercitum ab ea oppugnatione retraxisse: quare quo die Tibisci præsidia conatũ turcarum mane expectabant, fossas & aggeres desertos aspiciunt. quo tempore tormenta attracta sunt per noctem ad illa castella quæ occupauerant. urbani tantum strepitum audientes, noua tormenta duci rati, mittunt nonnullos Aiduchos ad exploranda castra, qui tanta celeritate & confusione turcas se recipere intelligunt, ut multos globos intra fossas reliquerint. Monachus magnam lætitiam se cepisse ex ea re ostendit, quare die postero conuocatis ducibus præstantioribus ad militaria comitia decernitur ut Lizisum expugnetur, ne illa munitio à tergo relinqueretur, quæ posset insecuturos hostem infestare. uix quatuor miliaria distabant copiæ à Liziso cum tabellarius accedit in castra, qui nuntiat Pontificem rogatu Ferdinandi Monachum in patrum purpuratorum numerum cooptasse, affert purpureum capitis operimẽtum, multorum cardinalium literas, qui istud ipsum significabant, exponebantq́ cum quanto totius eius ordinis gaudio & consensu fuisset exceptus, se gratulari pro accepta dignitate: sed multo magis pro accepta gloria apud omnes christianas nationes cum tanta prudentia, tantis tamq́ diuturnis laboribus ani-

Belerbeius retrahit se ab obsidione Tibisci.

Monachus nunciatur Cardinalis Ferdinandi rogatu.

mi & corporis illud regnum aduersus immanem Turcarũ tyrannidem defenderit. Monachus his laudibus, & hac honorificentia dignitatis non minus quàm dignitate ipsa lætatur: quippe cum dignitatem uideri uellet paruifacere, at nonnulla signa tamen lætitiæ domesticis ediderit. Sed quoniam nulla fera homine scelesto immanior est, aut quæ beneficijs aliquo pacto placari mansuefieriq́ non possit, Monachus nullis tantis Ferdinandi beneficijs adduci potuit ut eius partes sincero animo complecteretur, ac Ottomanicam in se indignationem non magnopere curaret, cum multò pluris Solimanum quàm Ferdinandum faceret. eo consilio impulsus est, ut sibi delatos honores & duces ipsos Regios pro nihilo haberet; quare in suspicionem aut occulta omnium cædis, aut proditionis futuræ paulatim inciderunt: quare Castalius nunquam oculos ab eo diuertere, omnia dicta, facta, consilia, cogitationes pro uiribus diligentissime obseruare: de quibus omnibus certior fiebat Ferdinandus. ea dum ita aguntur citatis equis uenit in castra Iulius Salazarius Iuliobona, uir aulicus unus è domesticis Ferdinandi, literas Castalio reddit, quibus continebatur si copiæ non exissent è Transyluania, ne exeant; ne forte à Georgio Monacho excludantur: curareturq́ quanta fieri posset celeritate & commodo ut is è medio tolleretur: quoniam ex Byzantinis exploratoribus, per literas regis Sarmatarum, ac multorum procerum cognouisset eum curare in fidem amicitiamq́ Solimanis recipi, uelle Castalium cum omnibus copijs trucidare, atque is paratis creatum iri Solimani consensu regem Transyluaniæ. Castalius nihil horum inexpectandũ censuit, nihilq́ nouum putauit. uerumtamen ne Monachus in aliquam incideret suspicionem, nuntiat quæ Ferdinandus audierit de uiribus hostium sibi significasse, multaq́ addit simulata, quæ probabilia uiderentur, & quo pacto tantarum rerũ magnitudo uideretur agenda. eum magnopere cupere exitũ eius belli, cum sibi certam uictoriam proposuisset. tamen in Georgij iudicio & experientia rerum bellicarum omnem eius expeditionis gloriam collocasse. his ambagibus res ad maturam opportunitatem protracta est, itaq́ aptum tempus obser-

Literæ Ferdinandi ad Castalium de proditioue Monachi.

uatum,

uatum, ne regnum unà cum ipso Monacho amitteretur. ea dum intexuntur exercitus Liziso propinquat. Monachus curat esse in prima acie, illud conceditur. at quoniam angustus erat transitus sequentis noctis castris propinquus, mittit nũtiatum Castalio sibi non uideri tormenta maiora eà attrahi posse, quare ibi esse relinquenda cum tantis equitatus peditatusq; præsidijs quæ possent ea defendere. quare hortatur Castalium ut ipse cum campestribus tormentis sequeretur. Castalius qui ridiculum putaret ad expugnandas urbes proficiscẽtes copias necessaria instrumenta relinquere, & ea quæ sola uiam exercitibus aperiunt; cum etiam non tam hebeti ingenio Monachum arbitraretur, qui non uideret eum transitum sine magna molestia parari, cognouit expeditionem non esse è Monachi sententia: quare iubet operas acciri, locum ita parari, ut saxo paulatim deciso è monte, uia dilataretur, fieretq; tormentorum & rotarum capax. prima nocte itaque non parua pars tormentorum transit; sed ubi hora esset tardior, ibi cum Phalange ac postrema acie castrametatur, iubet Hispanos duces, quos secum habebat curare ut tormenta per noctẽ procederent, quia per diem daretur tempus quietis. ipse nemine sentiente cum suis custodijs clam ad castra Georgij peruenit, quæ distabant ad decem millia passuum à Lizso. ipse tentorium Monachi cum multis Hispanis Italisq; ducibus ingreditur, atque cum ita repente illi apparuisset ne caperetur admiratione hortatur quòd magno desiderio teneatur intelligendi consilium, quo compulsus & adductus sit ipse Georgius ut nuntiatum miserit tormenta maiora esse relinquenda tam propinquo hoste præcipuè, unde insignis gloria speraretur. his respondet Monachus se eò usque profectum esse, quòd sperasset hostem omnino copias retracturum, qui tamen nondum Tibiscum traiecerat. istud sibi non mediocrem afferre curã cum etiam Olimãnus Lizisi statuisset omnes conatus hostium sustinere. quòd si Belerbeius suppetias ferre conaretur, non esse ulterius procedendum, cum nunquam tantis copijs, tam rerũ bellicarum peritis obuiam processerit. fieri non posse ut cum tironibus resisteret, nedum recuperaret quæ turca occupauerant.

rant. se non iudicare & copias, & regnum uno tempore fortunæ arbitrio esse committendum, sed potius quærendas procurandasq́ inducias. Castalius habendam esse honoris rationem ait. non ignorari potentissimos utrinque exercitus eductos, si relicto Liziso in potestate hostium, in qua una urbe salus eius regni, & Pannoniæ superioris, & omnis propè christiani nominis quies consisteret, fierent induciæ, eas non posse carere apud exteras nationes suspicione proditionis. rogat ut susceptum negotium exequatur, cum iam tormenta maiora accessissent, quod non sine admiratione auditum est à Monacho. sic igitur lubens Lizisum castra mouet. Castalius cum tribus millibus equitum Pannonum, & quadringentis cataphractis urbem ad expugnationem explorat, quæ ex altera parte quoniam Marosso flumine alluitur munitissima est: at ex altera cum habeat collem editiorem, urbiq́ imminentē facile expugnari posse apparuit. nam cum ad excitandum leue certamen copias misisset ipse paucis comitantibus ducibus ad fossas usque progressus diligenter omnia speculatur. turcæ non exeunt in inuitantes; at multos sclopettos displodunt, ne urbs recognosceretur. Castalius urbe diligēter explorata suos à leui prælio reuocat, in castra redit, omnis quæ contigerant ad Tibiscum docetur. castra mouet, atque explicatis uexillis Liziso se cum omnibus copijs ostentat, cum aliquantulum ita in acie constitisset, collem occupat imminentem urbi. Monachus cum suis copijs e regione oppiduli castrametatur. datum est hospitium mercenarijs Ferdinandi copijs in parte editiore Liziso imminente, atque ipse inter hos tentorium locat. dum Castalius ita castrametatur, turcæ suburbium concremant quòd ibi multus esset commeatus, & copia optimi uini non mediocris, ad illud incendium restinguendum seruandamq́ annonam Castalius centum sclopettarios mittit Hispanos duce Ioanne Villioa, quæ summa diligentia tamen seruari ita non potuit, quin aiduchi nonnulli ebrij, ijq́ plures quingentis, ausi sint Lizisum Bacchico furore impulsi sine scalis aggredi, qui omnes propè à turcis in pecudum morem trucidati fuerunt in fossis ipsius ciuitatis. Interea omnes copiæ ca-

Castalius disposito exercitu Lizisum obsidet.

stra

ſtra deligunt, ad quæ Patochius uir Vngarus cum quadringentis equitibus & peditibus ſexcentis, quos alebat proprijs ſumptibus ac quatuor tormentis ad bellum Liziſenſe accedit, quo in itinere caſtellum etiam turcarum ui expugnat, & ad unum trucidat, oppidum diripit & ſuccendit, duce tamen ſeruato & in caſtra captiuo ducto, qui poſtea à milite quodã, qui eum ceperat deſperatione redemptionis, cum eum ſibi Patochius arrogaſſet Caſtalio etiam largiturus, interfecit. At uerò dum Turca Tibiſco copias retrahit egreſſi in hoſtes ducenti equites, & centum ac uiginti Hiſpani ſclopettarij nullo memorabile facinore edito coguntur recedere, quod ſit apud Galam caſtellum turcarum. eo ex itinere tentato per uim potiuntur, nam cum petijſſent præſidia maiora à Belerbeio, crediderunt ea aduentare, quod acciderat propter ueſtes turcarum, quòd Tibiſci milites Cæſorum ueſtibus eſſent induti; ſic enim in oppidum facile admittuntur. eo caſtello flammis abſumpto abductis captiuis colonis Tibiſcum copiæ redierant. at quoniam nox iam aduentaret miſſus eſt Ioannes Villioa Thomas Varcochius, & Antonius Azinetta ex altera parte ad Liziſum explorandum ad expugnationem; ex altera Aloyſius Barientus & Viliandrandus, tum rurſus ex alia alij duces ut diligentius negotium conficeretur. re itaque diligentiſſime explorata parua quadam tormenta in colle ſtatuuntur in eas uias, quæ aperta paterent, turbanturq́; turcæ ne urbem interius munire commode poſſent. poſtera nocte iubet Caſtalius in eam partẽ, quæ omnibus imbecillior uiſa eſſet, tormenta dirigi, atque cum primum illuxiſſet ſex muralibus tormentis urbs concuti cæpta, quod eo die & ſequenti nocte nullo intermiſſo ſpatio factum eſt. nam tormenta propter uim frigoris facilius id ferre poterant, cum Nouember menſis & id in locis frigidis præcipuè ageretur. cum ad tertium uſque diem ita urbs acriter fuiſſet concuſſa, magnaq́; murorũ pars proſtrata apertaq́; iaceret, ac ruinæ factæ eſſent ingẽtes, ne daretur tempus urbanis muniendi interius ſtatuit Caſtalius urbem eſſe inuadendam. at cum munitio iam apparere inciperet, quam turcæ interius erigebant, rurſus iubentur

Gala caſtellũ turcarum mẽtitis ueſtibus capitur.

Libiſcum à Caſtalio quatitur muralibus tormentis.

magiſtri

magistri tormentorum reparationes cõcutere duobus additis tormentis, quod magno impetu factum est. turcæ interea fossam duxerant interius eximiæ profunditatis & amplitudinis geminosq; ordines uasorum uinariorum plenorum terra erexerant, cum transuersis defensionibus; atque super illis duo campestria tormenta collocarant in inuasuros urbem. at nonnulli Hispani, qui extra cæteras copias ad fossarum custodiã, & ad spectandum uerberationem constiterant cupidi gloriæ. cum primis signũ inuadendæ urbis expectarent; quia unus eorum incredibili desiderio etiam compulsus est ut uerberationem, quamuis non satis diligẽter, exploraret, neq; uisis quæ interius erant parata, nuntiat apertum locum ad inuadendum esse idoneum; quo nuntio arrexerãt aures Hispani ut primi acciperent signum pugnæ. decernitur ut inuadatur. inflammãtur à Castalio animi militum ad expugnationem nunc pollicitationibus munerum pro singulorum uirtute, nunc spe gloriæ comparandæ apud posteros, nunc religionis & diuini cultus reuerentia, cum pro gloria, pro singulorum dignitate, pro christiani nominis defensione, pro cultu deorum immortalium, pro patria, pro uxoribus, pro liberis uno certamine dimicetur. additæ sunt ingentium munerum pollicitationes illi qui primus Lizisum esset ingressus tum monachi tum uti am Castalij nomine. si nobilis prior ingrederetur scilicet annuũ prouentũ ducentorum nummũm, & ducenta casalia subditorum. Qui uerò esset ignobilis nobilitatem, & dimidium eorum numerũ consequeretur. Hispani qui intra fossas constiterant, cum uexilla dirigi in urbem ac portari prospicerent, ueriti sibi illum honorem præripi, incredibili celeritate præuenire nituntur, certatimq; ab utrisque copijs ad pugnam accurritur tanto desiderio ut uanus omnino fuerit ducum clamor ad ordines seruandos reuocantium: accedunt Hispani & cum prima acie Viliandrandus & Antonius Enzinelius ad ruinas murorũ, qui uerberatione minime explorata cum triginta uiris illustribus ac strenuis intra ruinas ingrediuntur. illi cognitis reparationibus turcarum, fossæq; profunditate, & aggeribus præualidis consistunt, quod intelligerent turcas tormenta &

Cohortatio potens Lizisi inuadendi.

omne

omne telorum missilium genus in eos Hispanos contorsisse, qui primi inuasissent; decernuntq́, docere Castalium opus esse pluribus tormentis urbem concutere, uiamq́, per amplius spatiũ murorum aperire. at Aldana eò cum uexillis profectus pugnam conatumq́, restaurat, neque concedit tempus horũ cõsilio perficiendo cũ Pannonibus equitibus. ibi renouatur atrox & cruentum certamen, pauci è turcis ceciderunt, ex inuadentibus complures. erant enim tria turcarum millia ad eã uerberationem tuendam; qui tanta uirtute pugnabant ut è munitionibus etiã exierint ac mixtim cum inuadentibus certarint. ceciderunt in ea pugna Aldana, & Enzinelius & alij nonnulli duces, ac Viliandrandus grauiter uulneratur. Enimuero accidit ut Ferrandus Bottus magister acierum Petri Abulensis absente signifero eo die uexillum forte gestaret, quod super munitione turcarum defixerat. eum cum turca quidam glande transfixum deiecisset conatur uexillum eripere, id resurgente signifero prius assequi non potuit, quàm opẽ ferentibus turcis caput signifero sit abscissum, & uexillum eius sanguine conspersum. cæsi sunt & alij nõnulli signiferi, uexillaq́, quatuor ui e manibus extorta. sic igitur inuadentes cũ multa suorum clade coacti sunt copias retrahere: quod incõmodum una ratione deuitari poterat, si per ruinas missi fuissent duces aut uiri rerum bellicarum periti, qui uerberationem ac reparationes hostium dum starent instructæ parataq́, ad inuadendum acies, explorassent, ac recurrentes Castaliũ docuissent. est enim æquè reprehensibile nimium pugnãdi desiderium, & quasi furor quidam atque impetus animi; atq; timiditas & inscitia rerum militarium; & nescio an non etiã multo magis. quæ dum fiunt apud Lizisum, Ottomialis uir Vngarus se Pestium Castalio daturum profitetur, qui burgomagister ibi fuerat, ꝓpræter christianos se sequentes, cũ oppidanis cõuenerat, quibus inuisa esset turcica tyrannis: hortaturq́, ut intrepidè opem ferat; quia si subsidia apparuissent, statim oppidum illi dederetur. Castalius qui sciebat oppidum esse munitissimum se deludi putabat, sed tamen ne desperatione eum terreret, hortatur ut differat negotiũ ad expugnationem

Cruentum certamen obsessorũ & expugnãtium Lizisum.

tionē usq; Lizisi. Turcæ capita insigniorū ducum abscindunt, quos ex ornatu armorum dignoscunt; atque ea uictoria elati uel per ipsas ruinas recedentes copias insequuntur non parua strage edita. At Castalius, qui uerebatur ne prorsus conclamata esset spes recuperandæ urbis si Belerbeius cum suis copijs Olimanno succurreret, suos ad gloriam, ad militarē uirtutem, ad delendam contractam ignominiam hortatur. non esse formidandam præteritam calamitatem, cum nullum bellum tam feliciter geratur, ut nihil prorsus contingat aduersi. concedendas esse omnium rerum felicium decimas fortunæ, cui satis ingenti clade præsenti satisfactum est. sperandā esse in posterum omnem felicitatem, cum æquitas causæ deum habeat fautorem. unam esse rationem inquit delendæ infamiæ & contracti per eam pugnam dedecoris, si res in posterum strenuè fortiterq́; geratur. præstare uel gloriosè mori quàm turpiter uiuere; cum natura certos clatros uitæ cuique circumscripserit, extra quos erumpere nemo potest: unam esse rationem proferendæ uitæ per res cum uirtute & gloriosè gestas: eamq́; solam uerè uitam posse appellari, quæ non hoc breui decursu, sed æternitate memoriæ continetur: quam nemo sapiens non huic lucis usuræ antetulerit. Non esse expectandas copias hostium quæ essent in itinere. nunc faciliorem esse expugnationē si modo urbana præsidia sentiant primo conatu se cum exercitatis & peritis hostibus pugnare. omnem spem salutis præterea docet in armis, at non in celeritate fugæ esse reponendam, quæ spes sæpius multos incautos fefellit. proximam quanq; uictoriam facultatem esse non modo ad hostes infringendos, sed etiam ad regna subiuganda, cum fortuna plerunque in quam partem uirtus aditum patefecerit prorumpere soleat. His dictis dum maiore impetu mænia fuissent concussa iubet curare corpora. tum ad arma conclamatum est, ad quem clamorem undique scalæ mænibus adhærent, alij per ruinas quæ ampliores factæ fuerant, urbem inuadunt, quæ pluribus quadraginta millibus hominum circumuenta est: cum plures turcæ tribus millibus uerberationem tantum protegerent, multi Ianizzeri, & alij ciues cum Olimanno, qui omnes erant plures

quinque

quinque millibus. cœpta est atrox pugna intus forisq́; tanto cum barbarorum clamore, tanto utrinque tormentorum strepitu, & sonitu tympanorum ac turbarum, ut omnia circum contremere uiderentur. Castalius ad euitanda incommoda quæ solent in huiusmodi prælijs contingere propter confusionē perturbationemq́; ordinum, iubet omnes cataphractos equitare, omnemq́; reliquum equitatum, quem in turmas diuisum in opportunis locis statuit. cum uerò uerberationi propinquasset, cognoscit Olimannum sexcentos equites transuersè collocasse, qui euentum eius belli obseruarent, quos non solum ad defensionem, sed etiam ad fugam; si ita res posceret, statuerat, si urbe excedere cogeretur. Castalius ut omnem spem fugæ ac salutis illi adimeret, omnemq́; subsidiorum facultatem, mittit Turcum Ioannem cum quatuor millibus equitum, & Carolum Scerettinum cum quadringentis cataphractis ad occupandum transitum ex altera parte fluminis Marosli, quà subsidia possent accedere, & ipsi salutem sibi compararæ. Sic igitur Monachus optimi strenuiq́; ducis munere perfunctus nunc huc nunc illuc properabat, omnibus ma'urè consulens, ut maxime indigere uidebantur, ut qui optimè belli munia sciret exequi. Olimannus contrà & ipse suos ad pugnam incēdebat, ita ut egregiam ac singularem uirtutem præ se ferrēt, cum diutius conatum sustinerent, qui iam in quintam horam protractus fuerat. nam cruentum & atrox fit prælium, cum Turcæ neque tantillum quidem cederent, neque hi omnino oppugnationem intermitterent. cum duces nonnulli tantā suorum cladem perspicerent, mittunt nuntiatum Castalio optimum uideri ut post tam diuturnam oppugnationem copiæ retraherentur: qui respondit istud nullo pacto faciendum esse. oportere Lizisum ea nocte omnino capi; quod nisi fieret, præter existimationem, quod maximum est in re militari, periculosum erat ne uita quoque cum gloria amitteretur, cum maius periculum esset in retrahendis copijs, quàm pugnando. uictoriam penes illos fore qui fuissent pertinaciores. Monachus uiridi paludamento indutus et Thomas Nadasdus ad ruinas murorum ueniunt, ubi Germani, & Hispani erant mixtim

pugnantes. eos ad certamen, ad ultionem amicorum Cæsorũ in eorum conspectu, ad prosternendos communes hostes hortantur. ex altera parte Castalius intuetur equites Olimanni sensim retrocedere, cum non possent amplius resistere, qui uel deditionem uel fugam cito erant electuri, iubet ducentos cataphractos ex equis descendere, alios strictis gladijs, scutisq; arreptis, alios captis sarissis per uerberationem irrumpere conari. omnes imbelles præterea, qui castra sequerentur, iubet hastatos in parmonum morem supra collem consistere urbi imminentem, quibus militum frontem præfert, ut omnes esse milites ab vrbanis Turcis iudicarentur, ibiq; collocati ad inuadenda mænia quæ illis erant è regione. mittit præterea significatum præfecto earum gentium, ut cum uideret urbem acrius inuadi, cum ijs descenderet, atque cum clamoribus & strepitu Lizisum uersus procederet, ut trepidatione tantarum uirium Turcæ consternerentur. tum ad eos qui descenderant ex equis redit, hos inuadere acriter iubet, Turcæ quo tempore hostes se recipere ab ea expugnatione credidissent intuiti conatum renouare, uisa innumerabili propè descendentium è colle multitudine, ita animo concidunt, ut & per uerberationem, & per mænia, ubi scalæ hæserant, in urbem admittantur per singularem uirtutem Pallauicini & suorum, qui se præclarè gessit eo die in omni militari officio. conscendunt mænia Lizisi Ioannes Villioa & Franciscus Salsedus eius signifer cum suo uexillo, quòd cætera uexilla Turcæ antea extorserant. Sic igitur ingens Pannonum multitudo per aditum ruinarum ingreditur, ubi constratorum Cæsorumq; Turcarum per multa iacebant cadauera. omnes igitur turcæ, qui reliqui erant cum Olimanno, magno terrore in oppidulum refugiunt. qui manserant in urbe, nulla facta defensione in pecudum more cæduntur. tantus erat strepitus & gemitus ubique languentium ac morientium ut miserabile appareret spectaculum. urbs diripitur. equites ad fugam parati in potestatem equitum Turci Ioannis, & Scerettini ad unum ueniunt, partim iugulati ac cæsi sunt. pauci qui sibi uidebantur

Lizifo urbe direpta Olimannus i eius oppidulũ refugiens obsidetur.

bantur traiecto fluuio natando posse euadere, à Germanis Pãnonibusq́; peditibus hastatis telis transfiguntur, antequam possent ad ulteriorem ripam euadere. Olimannus cum magna manu equitum ex urbe egressus ubi tantam suorum stragem uidet, ut uitam seruaret statuit in oppidum redire, quò profectus magnam suorum manum reperit, cuius in ingressu multi in fossam ui sequentium impulsi ceciderunt ac perierunt. cum nox aduentasset, custodiæ uigilesq́; sunt impositi ne is euaderet per noctis obscuritatem, cum certò sciretur nullam propè annonam esse in oppidulo. Castalius iubet in posterum diẽ ut oppidulum è tribus lateribus concuteretur, datumq́; id munus est Pallauicino tormenta ut erigenda curaret. decretum fuit ut è regione ferè portæ oppiduli una uerberatio fieret; alia fluuium uersus, ubi Palauicinus ipse cum mille Germanis peditibus, equitibus quingentis castrametatur; alia apud fossas occidentem uersus, in singulis his locis sex erant duplices cannones & totidem mediocria tormenta ad decutiendas defensiones: quibus tormentis per nouem dies assiduè concussum est oppidulum. Turcæ tanta tamq́; uiolenta uerberatione territi ad decimum quartum calendas Decembris postulant facultatem colloquij; ut posset agi de deditione. etsi cognitum est multas difficultates, multosq́; terrores Monachi consilio iniectos militibus, ut ab ea expeditione recederetur, tamen Castalius è sententia dimoueri non potuit, cum sibi uictoriam omnino proposuisset. cognitum est postea è turcis transfugis propter annonæ penuriam, inopia incredibili uictus in oppido laborari: cum uel ad esum equorum, ac potum sanguinis illorum essent redacti, quòd oppidum esset paruum, neque tantarum copiarum capax. petitum est paulo post ut liceret saluis armis & equis & libertate exire, quod minime concessum est à Castalio; qui cum sciret eos non posse tempus protrahere, cuperetq́; facere captiuum Olimannum nullam conditionem accepit, nisi ut cuncta arbitrio uictoris concederentur. ad eam rem tractandam mittit equitem Pannonem qui turcicæ linguæ erat peritus. at contra Monachus significatum Olimanno mittit ut cautè &

Monachi detecta proditio Olimanni liberandi.

tè & è dignitate ſua negotiaretur, quod omnia obtineret, quæ clam ab eo Pannone percepta Caſtalio nuntiatur. captus fuit paulo poſt uir quidam illyricus, qui ſe Monachi nomine id nuntiaſſe Olimanno profitebatur, uniuerſumq́ conſilium Monachi aperuit, qui cupiebat animum Solimani placare, ac non etiam magis in ſe irritare. quin niſi Olimannus cum armis & ſocijs liber dimitteretur, ſe non poſſe eum non defendere. quare etiam multa fuerat illi cum Caſtalio diſſenſio. Quod quoniam ita ſtatuerat, ſibi uideri antequam tranſigeretur negotium ad concilium omnes primates tum Ferdinandi Regis tum etiam Tranſyluaniæ conuocare, dum ceſſantibus turcis agere de deditione uerberatio acrior inſtruitur, ne quis iure queri poſſet ſibi inconſulto eum honorem ac gloriam præripi, quam diuturnis laboribus, multis ſumptibus, multo ſanguine ſibi peperiſſet: neque de amborum principum conſilio quererentur. Monacho res ea iucunda uiſa eſt, cuius ad tentorium conuocati conueniunt Caſtalius, Nadaſdus, Battor, Balaſſus, Perenus, alijq́ Hiſpani, Germani, Bohemi, ac Pannones principes; atque eos præſentes propoſita crudelitate barbarorum terrere conatur, quod turcæ non ſolum in omnis generis & ætatis homines ſæpius uictores ſæuierint, ſed etiam in ipſa bruta animalia, & in plantas, ubi uel iuſtam uel iniuſtam iram conceperint. non eſſe irritandam Solimani iram per crudelitatem in obſceſſos, quæ multò magis poſſit eũ inflãmare quàm iactura ipſius ciuitatis. eorum quos fortuna belli trucidauit, omnem iacturam fortunæ attribuendam; at ſeruatos non poſſe ſine crudelitatis nota apud imperatorem labefactari. facile futurum eſſe, ſi Olimannus liberalitatem obſidentium in ſe ſenſerit, cui uitam & libertatem & ſocios largiantur, ut deprecatoris partes apud Solimanum ſuſcipiat ad res placandas, impetrandumq́ ut ſine ſuſpicione belli ſolutis ordinarijs tributis Tranſyluania pace & quiete perfruatur. uictoriam non in una Olimanni anima, aut in cædendis eius ſocijs obſeſſis conſiſtere cum infinitus propè numerus armatorum Solimano superſit, ſed acriora odia turcarum conci-

concitari. omnium militarium uirtutum maximè laudabilem esse clementiam, ubi cædes necessariò non exercenda sit; quæ ad omnes fortunæ euentus uel mitiores hostes inueniat. his Castalius respondet non ita Monachum Cæsari aut Ferdinando pollicitum esse, se tam miti ratione belligeraturum ut clausos etiam hostes sponte emitteret; cum se perpetuo & inextincto odio flagrare turcici nominis esset professus: qua etiã de causa tanta missa sint auxilia eius rogatu, ut non modo turcicum nomen eiecerint è Transyluania, sed etiam multas urbes recuperarint. turpissimum uel potius ridiculum uideri per pactiones potius turpiter, quàm per liberalitatem honorificè hostes penè captos dimittere; cum tunc uerè ex liberalitate & clementia se libertatem ac uitam possent fateri recepisse, cum ea propè amissa & conclamata uiderentur in uictorum facultate posita. non enim uideri quenquam illud largiri, quod nunquam in sua potestate fuerit, sed in arbitrio fortunæ. non enim esse militaris dignitatis ubi negotium penè perfectum fuerit, tanquam imbecillos imperfectum relinquere; neque hoc in obscuro geri, cum in omnium gentium, populorumq; Christianorum conspectu & sermone uersentur quæcunque hic geruntur. his rationibus assensum est ab omnibus Castalij consilio, statutumq; ne ulla libertas Olimanno aut euadendi facultas daretur. at Monachus ubi neque publicè neque priuatim posset Olimanni partibus fauere conniuentibus cæteris ducibus iratus inquit Castalio se uel eo inuito ad communem Transyluaniæ salutem esse illum liberaturum. his nihil respondet Castalius, ne maius odium excitaretur, tolleretur q; facultas opportuna eius occidendi. Monachus mittit ad Olimannum qui duces petat ad tractandas conditiones, sic denique res componitur, ut cum armis, equis, socijs, uexillis, impedimentis tutò exiret Olimannus, cui Monachus ad uehendos uulneratos plaustra concedit & mille equites ad tutelam. petitum est à castalio etiam ut tutò exire liceret, quod nullo pacto uidebatur posse obtineri: sed tanta fuit Monachi pertinacia ut coactus sit pro mercenarijs Ferdinandi promittere. exierunt ex oppido mille turcæ, cum uulnerati plaustris debe-

ueherentur unà cum suppellectili, turcicisq; impedimentis, atque ad duodecim miliaria à Liziso prima nocte castrametantur. Olimannus ad Monachū clam accedit, multisq; diutius communicatis auctusq; muneribus ad suos redit. postridie suis in Phalāgem instructis ad castra Belerbeij iter capit. at Balassus dum turcæ Liziso excederent cum ducentis equitibus discedit consilio cū suo nemine cōmunicato, cui sese addiderunt ad duo millia equitum egressa è castris ad turcas trucidandos. exierant & ducenti equites Tibisco duce Alonso Pereo, qui uiribus Balassi sese addiderunt; ac summa celeritate usi Olimannum in aperta liberaq; planitie nanciscuntur. Olimmannus his uisis cuneo condensato iter facit, cuius in medio plaustra cum uulneralis procedebant cum nonnullis sclopettarijs, qui reliqui erant ex omni numero. Balassus ubi uidet se propinquare Olimanni copijs suos equites in hostes hortatur ipse in prima acie procedens: at sclopettarij nisi uicini sclopettos non displodunt, ne frustra primus impetus fieret. Vulneratur Balassus, atque equo cæso humi cadit; cuius casus ubi cognitus est à suis, ne equitatus conculcaret aperta est confertissima Phalanx; & ex ea duæ debiles factæ, quæ in Olimanni copias irrumpentes priusquam iungerentur, in primam ac postremam aciem Turcarum scilicet; integram Olimanni Phalangem reliquunt. Turcæ strenuè pugnantes, cum fortiter pugnaret Olimannus condensati iter properant; atq; quò Belerbeius eos expectabat, incolumes denique peueniunt. postridie dimissæ sunt copiæ, quæ iussa in castra uenerant, procuratumq; ut in hybernis stipendiarij milites Ferdinandi essent in Transyluania, cum Monachus nollet quenquam externum eò ingredi, quòd diceret satis exhaustos esse incolas ob diuturna bella, procurabatq; ut in castellis ditionis suæ Varadinensis hyemarent. at Castalius cum res agi nimis apertè uideretur, opusq; foret maiori calliditate, conuenire inquit tormenta saltem eò transferri in regnum, unde deportata fuerant cum oppurtunis custodijs. Monachus id assensit, ea tamen conditione ne plures centum Germanis ea comitarentur. Castalius iubet tormenta procedere ante quam Monachus

Olimanni liberati & Balassi cum insequētis pugna.

chus id sentiret cum quinq; Germanorum uexillis : qui mox occupata Alba iulia, locisq; finitimis munitis ibi essent in præsidijs. Interea conatur persuadere Monacho utile esse ut nonnulli essent in eo regno non solum ad eius necessariam defensionem, sed etiam quia illo humanitatis genere uti conueniret in eos, qui in expugnatione Lizisi, & in eo bello multos labores pertulissent. Monachus cum non esse tantum numerum intelligeret, quantus posset sua consilia turbare assensit denique ut ibi hyemarent.

NATALIS COMITIS
HISTORIARVM
SVI TEMPORIS
LIBER QVINTVS.



IZISO ita per uirtutem Castalij non sine multorum suorum clade recuperato, acceptoq; oppidulo per deditionem, Castalius præficit Aldanam urbi & oppidulo muniendo, quod & firmis præsidijs, & annona in multos menses munit. Gaspari etiam Castelluio cum Hispanorum cohorte Tibiscum misso muniendæ urbis munus iniungit. Reliquas copias in castella Varadinensis ditionis in hyberna distribuit. Aldana ubi primum Lizisum ingreditur iubet Cæsorum cadauera humari, quia multæ ui æ Turcis cæsis ubique stratæ uidebantur, & oppiduli area præcipuè; qui fortiter resistentes fuerant trucidati. Nam profectò non imbelle quoddam genus hominum Turcæ existimandi sunt, ut plerique insulsi crediderunt; qui parum intelligunt Turcicam disciplinam, & singulare studium bellandi. nam certe quidem multa sunt, quæ faciunt eos formidabiles; primum obserua- Turcarum militaris disciplina

tio militaris disciplinæ, quam ad unguem obseruant. tum exercitatio & studium tractandorum armorum, quibus à pueris exercentur; neque alia studia magis curant, cum ea maximè necessaria sint defendēdis imperijs. Sic igitur optimi fiunt milites apud Turcas. at ex optimo milite non difficile est bonum fieri Imperatorem; quippe cum apud eos militares honores non opulentiæ neq; nobilitati neque splendori familiarum, sed strenuitati & fortitudini sint propositi. neque ullius maledicentia aut inuidia uiris fortibus præmia eripiat, aut retardet; cum idem dies sæpe & res bene gestas & remunerationem uideat. nam præfecturæ honorificentissimæ insignibus uirtute uiris deferuntur, cum parua sit nobilitatis ratio sine uirtute, at maxima uirtutis uel sine nobilitate. Populi autem omnes & subditæ gentes libenter parent, proruuntq; uel in manifesta pericula non solum ob spem præmiorum, neque metu tyrannicæ crudelitatis, sed incredibili quadam in principem beneuolentia compulsi, quod nullum iniquum iudicium eo cōscio fiat, æquumq; ius omnibus dicatur. quod cōtentus sit princeps suis decumis nullo alio imposito tributo uel belli uel pacis tempore. Quòd illis gentibus persuasum est omnem potentiam omneq; imperium esse à Deo, cui qui resistat uidetur Deo resistere, quod maximè fugiendum deuitandumq; est. quòd nemini liceat frumentum in priuatum horreum includere dum precium augeatur; sed tolerabili precio omnibus fiat annonæ copia. quòd si cui fiat iniuria princeps ipse acerrime in iniquos animaduertat, cui accessus ad colloquium nemini in itinere dum obequitat est interclusus. quare cum præmia fortibus, ius æquum uniuersis populis, exercitatio rei militaris, annonæ copia omnibus eadem sit apud Turcas, quis non uideat incredibilem in principem cōcitari beneuolentiā? aut quis nesciat nullum populum posse difficilius expugnari, quàm eum, qui concordibus animis ad defendendum principem conspirarit? sed quoniam multi arma pro Turcis uel coacti sumpserant Lizisi aduersus Ferdinandum, omnes facultates illis sunt à Monacho ereptæ, & prædia militibus distributa. fit edictum ut qui bellorum metu aufugissent tutò redi-

re

re possent, ne territorium à colonis desertum relinqueretur. rebus per eum modum compositis, copijsq; in hyberna distributis Castalius cum Monacho discedit, iubetq; per alterã Marosii fluminis ripam Hispanorum cohortes iter facere, per alteram ipse cum Monacho procedit cum triginta sclopettarijs equestribus, cum ex altera parte quingẽti sclopettarij & duo millia equitum sequerentur. per idem tempus Ferdinandus alterum iam nuntium Iuliobona miserat, ut negotium accelerarет, cum præsertim per literas Castalij cognouisset quæ de Olimanno acciderant. ne uerò aliquam suspicionem nouus hic nuntius afferret nuntiat Ferdinandum gratulatum misisse pro capto Liziso. sibi grauissima accidisse quæ sua causa fecerit. futurum ut intelligat se non in ingratum aut immemorem principem ea beneficia contulisse. sic igitur deluso Monacho ad oppidum Binsam uentum est, quod Monachus in eo loco propter amœnitatem extruxerat, qui locus opportunus uisus est Castalio negotio conficiendo. nam si eum in itinere oppressisset, facile futurum erat ut uniuersæ copiæ fortunæ arbitrio committerentur. cum Hispanus peditatus eò non conueniret, sine quo negotium non uidebatur aggrediendum, & Monachus esset breui discessurus, ne tanta opportunitas amitteretur, mittit significatum Pallauicino ac cæteris Hispanis ducibus ut continuo quanta possent celeritate usi ad se conuenirent cum suis cohortibus. Ea dum gerebantur in Pannonia, iam bellum exarserat in Italia cum multa oppida in subalpina Gallia ab Henrici Gallorum regis capta fuissent per eas opportunitates, quas superius commemorauimus. neque intermissum est Tridentinum concilium, ad quod uenerant tres archiepiscopi electores Germani, Mocontiacus, Coloniensis, Treuiricus, alijq; complures Germani Antistites. Henricus legatum excusatum miserat quòd propter bellum cum Pontifice non mitteret episcopos (nam hæc ad concilium spectantia ante res compositas acciderant.) se tamen in catholica obseruantia uicturum profitetur; atque facit edictum grauissimũ aduersus lutheranos, proponitq; ingentia præmia eorum nomina deferentibus. Mauritius Madeburgenses cum diuturna

Liziso capto copię distribuuntur in hyberna.

Madeburgi obsessi deditio.

obsidione pressisset, denique urbem in Cæsaris potestatem capit his conditionibus; ut Imperio pareant, nihil ut aduersus Austriacam familiam moliantur, ut pareant & assentiantur decreto Augustano, ut duodecim maiora tormenta Cæsari tradant, ut quinquaginta nummûm millia persoluant. at uerò quoniam Lantgrauij captiuitas non ipsi Philippo solum, sed etiam cæteris Germaniæ principibus iam nimis diuturna ac molesta esse uideretur, & ipsi Mauritio præsertim, qui sæpius pro illo frustra intercesserat, uisum est ad alia consilia esse recurrendam, quare Mauritius cœpit cum Henrico aduersus Cæsarem conspirare. Cæsar eorum quæ aduersus ipsum agebantur ignarus, cum multi principes partim præsentes, partim per literas secum agerent de liberando Philippo respondit se expectaturum Mauritium, atque eorum preces plurimum apud se ualituras. Gulielmus filius queritur dubium esse responsum apud Mauritium, patrem tabescere squallore carceris; hortatur ut patri opem ferat. at Mauritius, ut qui animum iam ad bellum conuertisset, oppurtunitatem rei maturè aggrediendæ expectabat; cum haberet adhuc coniunctas copias, quibus Madeburgum expugnarat, urbisq́; præsidia illis adiunxisset, quæ hyemabant in casuaris. Hispanæ copiæ properato itinere contendunt, dum Castalius uarijs sermonibus Monachum detinet, qui ad quædam comitia, quæ indixerat Vasraelli properabat; in quibus erat acturus ut postea cognitum est quo pactò Ferdinandi mercenarias copias ex ea prouincia eijceret, ut ipse Imperio solus eius regni potiretur. habebat hospitium Monachus in oppido uti consueuerat, & Castalius; at custodijs Monachi data sunt hospitia in suburbijs: Hispanis qui ea nocte accesserant, Monachi iussu data sunt in alijs suburbijs transfluuium: quippe cum inter utraq; oppidi suburbia fluuius limpidus defluat nomine Sebessus, qui mox paruo interuallo interiecto in Marossum decurrit. Monachus nullo pactò adduci potest ut Germanas cohortes pateretur coniunctas hyemare, cum aliam manum aliò transmitti uellet, ut ciues singularum urbium ac oppidorum eos facile possent opprimere ad signum datum. Castalius indignationem

Mauritij conspiratio aduersus Cæsarem.

Monachus comitia indicit spe regni potiundi.

nem uultu occultans Pallauicinum ad se accersit, regio nomine quid agendum sit docet. pergratum fore Ferdinando si ipse conficiendo negotio interesset, monet. non posse rem diutius differri. id tanto gratius Ferdinando futurum quantò maiori cum difficultate agitur & periculo. non esse prætermittendam proximam noctem, cum non ita facile postea futurum sit ut in oppidū aliquod solus includatur, quod diu expectatū est. His respondet Pallauicinus se ad omnia regis uota paratum, & mox ad negatiū transigendum accingitur. Castalius simulato negotio de hospitijs ad Monachum accedit, qui cum non possent ullo pacto conuenire, disceditur. Castalius Andreā Lopeum ad se accersit, monet opus esse eadem nocte Monachū trucidare, quod faciendum erat regio iussu. se eius fidei & integritati & uirtuti plurimum confidere, quare elegisse ut cū Monino, Campeggio equite, & Scaramuccia, & alijs nonnullis ducibus negotium conficeret duce Sfortia Pallauicino. id nisi fiat, regnum Transyluaniæ in magno periculo uersari, & Ferdinandi existimationem, & ducum suorum atque copiarum omnium uitam. promittit ingentia munera. docet qua ratione id fieri possit. iubet lectissimos ex omnibus Hispanis copijs uiginti quatuor sclopettarios deligere qui Monacho minime essent cogniti. dum castellum aperiretur eos qua posset calliditate curaret admitti, qui turres statim occuparēt quatuor donec significaretur quid esset agendum. tum Petrum Abulensem iubet collectis Sarcinulis Sassebessam sine tympanorum strepitu proficisci atque prima luce ad Binsam oppidū præsto esse atque erectis uexillis, copijsq; in aciem instructis, mandata expectare. ea nocte obscurissima, quæ secuta est, tāta fuit uis aquarum & uentorum, ut cœlum tanti facinoris dare signum uideretur: nam tanta erat uiolentia tempestatis ut cuncta intremiscere apparerent. Monachus cum esset eo die discessurus; Aiduchi, qui castellum custodiebant, ante solitam horam portas patefaciunt, ut carri exirent: quo tempore Lopeus scloppettarios commodè introducit, propter itineris curam nemine id animaduertente. Hi Turcico habitu induti introeunt arma & sclopettos sub tunicis occultātes,

Castalij conspiratio in cædem Monachi.

atque

atque in opportuna loca à Lopeo distribuuntur. tum itum est ad Castalium, qui cum Pallauicino reliquos expectabat conscios facinoris; atque Pallauicinum sequebantur Moninus Campeggius & Scaramuccia & Placentinus quidam; cum Lopeus etiam quatuor Hispanos lectissimos adduxisset. Sfortia princeps eius cædis patrandæ ad Thalamum Monachi cũ his accedit, quibus præcedebat Antonius Ferrarius Alexãdrinus à secretis Castalij cum literis post subscriptionem Monachi consignandis, in quibus fingebatur Sfortiam Iuliobonã iturum esse, petebaturq́; siquid eum agere ibi uellet. erat hic Ferrarius Monacho perfamiliaris, cui plura munera sæpius concesserat, atque plurimum fidebat, cum illi ob eximiã beneuolentiam & familiaritatem nunquam aditus esset interclusus; qui etiam illa de causa missus fuit inscius eorum quæ gerebantur, ut Thalamus facilius aperietur. huc accedit ꝙ Castalius eadem hora iam nonnullos dies ad negotia transigẽda miserat, ne quid suspicionis propter tempus posset oriri. sic igitur hi Thalamum adeunt, cum Aiduchi ad ignem propter frigus astarent inferius. statim Ferrario apertum est hostiũ, post hunc Sfortia uel inuito thalami custode ingreditur. narrat Ferrarius Sfortiam Iuliobonam discessurum, ad se primũ siquid uellet rogaturum accedere, literas conscriptas in manus tradit, quas cum subscripturus calamum sumpsisset, ab ipso Ferrario pugione supra pectus non procul à iugulo uulneratur. Monachi mors. *Monachus ubi paulum se collegisset, ait, ò Virgo Maria, atque manibus longe à se siccarium propellit. Erat enim uir robustus ac ualidus. Tum Sfortia accurrens stricto gladio Monachi caput grauissime uulnerat. alij ad strepitum accurrentes sclopettos in eum ferè mortuum displodunt, qui cum hæc tantum dixisset Iesus Maria expirauit. quæ mors illi diuinitus fuisse prædicta dicitur à quodam Abbate, cum destructo & euerso templo ac Cœnobio ipse castellum illud extrueret. ea mors credita est à nonnullis ex inuidia potius æmulorum, quàm ex ullo errore contigisse; cum sua in Olimannum clementia, & in cæteros Turcas eò spectare postea uisa sit, ut ea delinitus Solimanus ne Trasyluaniam*

niam infestaret. atqui tantum scelus, quod in sacratum antistitem commissum fuit, ultorem postea habuit Deum. cæso Monacho Aiduchi audito ubique strepitu, uisis Hispanis in acie, audita cæde Monachi sui principis, ita animo consternati sunt, ut quà uia sibi promptior ad salutem, eà profugerint; atque custodias in suburbijs commonefecerint. Castalius ueritus nequis fieret tumultus egressus Franciscum Chendum Ferencium uirum summæ authoritatis atq; unum è primarijs Transyluaniæ, Georgioq; amicissimum cisium ascendentem inuenit, eum manu prehensat ad Hispanas Germanasq; acies deducit, ut spectaretur quò tenderet strepitus qui fiebat à custodibus & amicis Monachi, qui omnes conscensis equis in unum coibant in planitiem, quorum dux erat Paulus Blancus is, qui in Lizisi expugnatione uicem gerebat ipsius Georgij. ij ubi in acie constitissent consulunt quid sit agendum; qui tamen rati magnas esse copias Castalij, quòd tãtum facinus paruis uiribus suffultum minime ausum fuisse censebant, nihil noui moliuntur, sed uindictam in opportunius tempus reseruantes quisque domum suam recedunt. At uerò Monachi cadauer inhumatum multos dies iacuit, sine ullo funeris honore, caput, brachia, pectus lacerum, ac sanguine gelu concreto fœdatum. Sepultum tamen fuit denique in templum Albæ iuliæ ab amicis nonnullis comportatum. Castalius cum nullum tumultum excitari intueretur Chendum manu tenens ante Hispanam Phalangẽ pedes Sassebellam uersus iter capit cum nũtiatum est oppidum Binsam à præsidijs diripi, multamq; pecuniam inuentam esse inter milites distributam. misit qui à rapinis coerceret, ac postea procuratorem, qui Ferdinandi nomine omnia recuperaret. Postea Castalius mittit qui nuntiarent castellorum munitionumq; Monachi præfectis ut sese Ferdinando dederent; quod nisi facerent minatur se copias & tormenta bellica missurum. inter cætera oppida erat munitissimum castellum Vuiuar, ubi erat thesaurus Monachi. at uero cùm timeretur ne ceculi, ut amiciores Monacho insurgerent, ac aliquem tumultum excitarent, statuit Castalius rebus omnibus per literas Ferdinando significatis sese Zeneum

Tumultus excitatus ob cædem Monachi.

Castalij prudentia in ceculorũ animis Ferdinando conciliandis.

neum

bineum recipere; quæ urbs esset munitissima, & minus cæteris Monacho amica: ut ibi prospectaret. Germanis itaque præsidijs Albæ iuliæ & Sassebessæ relictis, ac Binsæ Hispanis, ipse ad Zebinium castrametatur cum reliquis copijs tam urbi propinquus, ut cum uellet, citissime posset in urbem intromittere. perbenignè admittitur à ciuibus, qui pro parta de Monacho uictoria gratulantur, omneq; genus auxiliorum liberaliter adpromittunt, ac necessaria suppeditant. deinde cum ad comitia cæculorum quæ conuocata fuerant à Monacho Castalius esset iturus, id ciues non passi sunt; quòd nimis paruas custodias habere diceret, donec apparet quo animo Monachi cædem essent accepturi. non esse tutò eò ad comitia accedendum, nisi saltem quindecim armatorum millia haberentur. Horum consilijs confirmatus Castalius accersit cataphractos Scerettini, & Germanas Hispanasq; copias, cũ quibus ad oppidum Seghesuar uocatum accedit secum adducens Chendum, cuius animum Ferdinando conciliarat paulatim. Postridie eius diei missus est Chendus ad comitia, ubi consiliũ fiebat principum ceculorum, propositumq; fuerat quo pacto cædem Monachi ulciscerentur. eò ingressus Chendus proponit Castalij nomine maiora stipendia eos à Ferdinando esse capturos si eius partes complectantur; cuius in se liberalitatẽ multò maiorem essent expecturi. cæsum fuisse Monachũ, quia uellet turcas in illam prouinciam introducere, atque illorum opera creari Rex transyluaniæ. tũ multis alijs rationibus eos adducit ad iurandum Ferdinandum Regem, seq; omne genus obedientiæ præstituros, tum paulo post ad Castalium salutandũ nonnulli principes adeunt, confirmandãq; amicitiam, quibus omnibus multa munera conceduntur: qua liberalitate non mediocriter populorum barbarorum ac ferocium animos sibi deuinxit. nam certè quidem maximum tormentum ad expugnandos hostes aliquando sunt munera; quæ multò acutius penetrant quàm ullum genus telorum, liberosq; homines & nolentes trahunt in seruitutem: quamuis non defuerunt qui clam odia in Ferdinandum excitarent. Castalius rebus per hunc modum compositis omnes suas copias in proxima loco in

ca in hyberna distribuit, quod propter assiduitatem bellorum, itinerum, ac laborum defessa uiderentur: cum iam etiam uis frigoris tanta esset, ut non facile amplius sub dio posset tolerari. sed iam annus. 1552. inierat cum paulatim fama inter Christianas nationes succrescere ꝙ Ferdinandus Monachum trucidandum curarit non quòd eius fides esset suspecta, neq; quòd insidias clam cum Turcis moliretur, ut simulatum fuerat; sed quia cæso tutore pupilli Regis putaret Ferdinandus se posse pupillum facilius opprimere: neque aliam causam illum quàm auaritiam ad eam cædem compulisse; quam Castalius tam diligenter perpetrasset, ut solus Imperator copiarũ & prorex in ea regione relinqueretur. Quæ cum Romæ nuntiata sunt in patrum purpuratorum antistitum senatum, Rex pessimè audit, eum diris imprecationibus Pontifex insectatur cum ijs omnibus trucidarant. cum Ferdinandi oratores regem purgare conarentur, id non admittit Pontifex; cum diceret non fuisse rogandum pro uiro tam nefario, quàm simulabant. tam bonum, & fortem, & de Christianis benemeritum ut dixerunt, non ita esse trucidandum, cæsum esse spoliorum & inuidiæ causa, quæ tamen eo mortuo iure pontificio ad ecclesiam deuoluebantur. non esse ferendum tantum scelus ut uel in purpuratorum sanguinem manus principes impune intingerẽt, nulla habita sacrati capitis ratione. Nonnulli ita uehementer inuecti sunt in causam Regiam, ut cum Ferdinandus antea princeps bonus & prudens & pius iudicaretur, tamen accensis & inflammatis in eum non mediocriter patrum animis uix denique per summam difficultatem sit absolutus. Sed cum profiteretur se plenè demonstraturũ, & iam per ministros ostendisset, quanto in periculo & regna uersarentur ob Monachi inconstantiam & perfidiam, nisi ita obuiam itũ sit, ueniam solutionemq; per Pontificis facilitatem consequitur. non tamen obtinet ut illi etiam soluerentur, qui Monachum trucidarant, qui postea in maximas calamitates singuli inciderunt. nam Sfortia paulo post profligatus à Turcis captiuus est abductus, multaq; alia grauia passus est. Ferrario caput abscissum Alexandriæ. Cam-

[Margin notes: 1552. — Causæ Monachi trucidandi q̃ circumferebantur. — Papæ imprecationes in Ferdinandum & interfectores Monachi. — Vltio diuina in sacrilegos Monachi interemptores.]

peggius ab apro laniatus. alius in Prouincia à Gallis in frusta dissectus. Sic nullum scelus est, quod ubi arma mortalium effugerit, diuinam uindictam & iram numinis etiam possit euitare. petitum est enim ut Iuliobonā ad cognoscendam æquitatē causæ mitteretur, delectiq; tres cardinales sunt ad rē cognoscendā, missi sunt Iuliobonā qui casum cognoscerent, atque apostolico nomine spolia Monachi acciperent. at responsum est ea fuisse in stipendia, resq; necessarias bello aduersus Turcas absumpta, quæ multò minora fama fuissent. demonstratum fuit Monachum uoluisse turcas accire in Transyluaniam, uoluisse se creari Regem & tributarium Turcæ, quod per multas literas cognitum est. dum illi Iuliobonam ad inuestigandam æquitatem causæ cædis proficiscuntur, omnes præfecti oppidorum Monachi legationes mittunt ad Castalium re diligenter examinata, quæ & obedientiam & Thesauros Monachi offerrent: qui ijs in fidem amicitiamque acceptis, & in ijsdem præfecturis confirmatis mittit ad Ferdinandum qui procuratores peteret ad Thesauros Monachi capiendos. Interea nuntiatur Byzantio Solimanum iratum magnos facere apparatus, quòd ægerrime mortem Monachi tulisset, multaq; millia armatorum in Transyluaniam uerè esse missurum, cum duos maximos exercitus compararet, ut duabus è partibus in eam Prouinciam maximo impetu uno tempore irrumperetur. His acceptis Castalius summa celeritate literas ad Ferdinandum conscribit, ut necessariæ copiæ ad resistendum tantis uiribus maturè parētur, cæteraq; necessaria ei bello sustinendo. postulatum est à Cæsare ut mitteret quantum posset Hispanarum uirium. missus est Sfortia ad regem instruēdum, petitumq; ut Italas copias mitteret tanta celeritate, tamq; opportunè ut essent in Transyluania cum ijs maximè opus esset. ut muralia tormenta maturè attraherentur, ut cum his apparatibus tam potentibus exercitibus posset resistere. Ferdinandus his perceptis Sfortiam iubet in Italia quatuor millia peditum colligere, omnesq; Hispanas copias quas posset adducere. monet Castalium se nullis eius petitionibus defuturum. Castalius Tibiscum quanta potest

Apparatus ad propulsandā Solimani iram ob cędē Monachi.

test celeritate munire, cæterasq; ciuitates Pannoniæ; quæ dũ fierent, accedunt Ferdinandi procuratores ad omnẽ suppellectilem Monachi conscribendam, diligenter ab impositis custodijs asseruatam; multaq; loca clauis affixa custodita sunt, neque prius aperta, quàm procuratores ipsi accesserint. inuẽtum est magnum auri argentiq; pondus, & aurea numismata complura, cum non procul à Dæna oppidum aquis rapide labentibus è colle quodam magnus numismatũ aureorum numerus fuisset detectus, quorum in altera parte erat Lysimachus impressus in altera uictoria. quæ ubi accolæ ad satietatẽ rapuissent, tamẽ aureus serpẽs tanquã custos thesauri multa numismata Monacho allata sunt. aderant & annuli cõplures, & uasa aurea & argentea, pellesq; Sebellinorum aliorũq; animaliũ preciosæ, et uestes insignes, & gẽmæ, tapetes, aulææq; omnia ad precium trecentorum millium nũmorũ accedebant. at reginæ precibus omne aurum argentumq; antiquum Ioannis Regis, quod fuerat à Monacho usurpatum, restitutum est Ferdinãdi iussu cum nonnullis equabus insignis pulchritudinis. dona ta sunt & Castalio ducenta pondo argenteorum uasorum auratorum, laboratorumq; magnificè, quadringenta aurea numismata, Sebellinorumq; pelles nonnullæ. atque cæteris qui eius cædis fuissent participes ingentia munera concessa sunt. at uero quoniam duodecim mensium stipendia militibus debebantur omne aurum inuentum impressum est & argentũ non elaboratum; dataq; maior pars stipendiorum est militibus, quorum animi placati sunt, qui iam iam uidebantur tumultuari. Liziso ita capto Ottomialis ad Castaliũ redit, hortatur ut Pestiũ tẽtet, tractatũq; negotiũ exequatur. Castalius cũ animũ eius propẽsum ad obseruãtiã obedientiãq; Ferdinãdi cognouisset iubet eũ tantũ copiarũ capere, quantũ illi negotio sufficere uideretur. eũ monet, ne tempus amitteretur oppugnando oppidulo, nisi primo impetu caperetur, quia uidebatur inexpugnabile, sed occupatã direptamq; urbem uniuersam concremaret. Ottomialis ea accepta facultate ad duo millia peditũ colligit, qui capto Liziso fuerant dimissi, & quingentos equites, causam tamen occultauit; quod ubi significasset Castalio

Multa & preciosa suppellex Monachi

Aldana, monetur id totum fieri ad utilitatem Ferdinandi. Aldana ad Ottomialem profectus cognita causa omne genus auxilij liberaliter adpromittit. Ottomialis paratis copijs, cum Pesij ciues negotio fauerent, eos clam commonefacit sese paratum instructumq́; esse, sibi significarent quando negotium esset aggrediendum. signo igitur accepto ante diem statutum per noctem fit iter; at per diem copiae inter nemora occultantur: atque tam occultè duabus noctibus eò peruentum est ut nemo prorsus uiderit aut senserit, donec ad auroram die statuto in propinquioribus syluis maiorem copiarum partem collocarit in insidijs: ex altera parte pedites nonnullos mittit, qui ad arma conclamari iuberent. Turcae ea re cognita exeũt ex oppidulo, qui uisa paucitate peditum insidiarum ignari in eos impetum faciunt. illi simulata fuga Turcas in insidias alliciunt, qui ita repente circumueniuntur, ut non possent resistere. cognitis itaque insidijs in urbem conantur refugere, at conscij facinoris iam sumptis armis cum Ottomialis copijs conspirantes portas occludunt, omnesq́; turcae egressi nemine prorsus seruato trucidantur. praesidiarij turcae, qui erant in oppidulo ea clade accepta pontem subductilem tollunt, seq́; ad defensionem accingunt. Ottomialis urbe potitus, captiuis factis multis Turcis mercatoribus opulentis, qui Bysantio uenerant, horumq́; opibus direptis oppidulum inuadit, sed cũ tormentis, omnibusq́; bellicis apparatibus, & natura egregiè esset munitum, & fortissimè defenderetur, omnem conatum Ottomialis irritum fecit. Aldana re cognita cum quatuor tormentis & nonnullis Hispanis peditibus nullo expectato iussu Castalij eò contendit, quia se oppidulo potiri speraret. Scribit etiam ad Castalium, qui iam certior factus fuerat, ne ullum auxiliorum genus frustra desideraretur. at Castalius iubet urbem flammis absumi, quòd fieri non posse putaret, ut aduersus oppidulum teneretur: cum res maioribus copijs indigeret, cum uix quatuor millia peditum essent in castris. monet ut quam citissime copiae inde retrahantur, quia timebat Turcarum auxilia quae comparabantur. ne partam existimationem simul & uitam cogeretur amittere. at uerò cognita

Pesium urbs occiso per insidias oppiduli praesidio capitur ab Ottomiali.

pro-

profectione Aldanæ cum auxilijs etsi intelligebat uanum esse mittere nouas copias, cum oppidulum capi non posset omnino, tamen quantum copiarum et tormentorum Aldana poposcisset, mittit: ne quererentur negligentia Castalij oppidulum illud non potuisse capi. missa sunt igitur quatuor maiora tormenta secundo Marosso flumine & nonnulla campestria magna celeritate, iussiq; sunt Ourestolphus & Vacchipetrus cũ cataphractis & peditibus eò contendere. sic igitur duo peditum millia & ducenti cataphracti Pessium properant. his uiribus paratis Castalius docet Aldanam quantum erroris cõmisisset, quòd reliquisset Lizisum atque inde & Tibisco copias eduxisset, cum id oppidulum tentaretur, quod non poterat neque quadruplicatis quidem copijs expugnari. his comparatis Albamiuliam contendit, ut Pessio esset propinquior, possetq; omnibus rerum euentibus præstò esse. neque multo sanè interiecto tempore nuntiantur omnes, qui Pessij oppidulum obsidebant, fuisse à purpurato Bassà Curtensi trucidati. id etsi minime admirabile Castalio uisum est, tamen non potuit non egrè ferre. at ne Lizisi & Tibisci uires infringerentur, quòd essent illæ urbes debiles ob educta præsidia et sine duce, mittit nũtiatum Roderico Valiandrando Lizisum ingredi, quòd copias mitteret. iubet item Diegum Veleum Mendocium cum sua cohorte & trecentis Germanis ac totidem Pannonibus ingredi Tibiscum, atque bonam partem copiarum Lizisum mittere. eò cum adiret, multi fiunt obuij impetum Turcarum fugientes crudelitate territi, qua Bassà usus fuerat ijs trucidandis; qui ubi armatos eò mitti uident hortantibus ducibus ut intrepido essent animo cæperunt cõualescere & confirmari ab immenso terrore ac metu. perceptum est tamen postea Aldanam cum Hispanis & cataphractis Ourestolphi se in tutum recepisse: nam præter ducentos Ourestolphi cataphractos erant ad obsidionem oppiduli ducenti & triginta Hispani, centũ Germani sclopettarij, duo Pannonum peditum, tria equitum millia. Illud autem facinus præter opinionem Bassæ acciderat, qui cum mille & quingentis equitibus subsidia Pessio ferre conabatur, inter quos multi erant currus qui trahebantur. is cum

Pessii oppidulum obsidẽtes trucidantur à Bassà Curtẽsi.

Christianorum & turcarum certamen cruentum

cum intelligeret se ab hostibus uisum fuisse, uniuersos suos in duas turmas distribuit: omnibus IaniZZeris in curribus locatis munitionem ex ijs constituit, apud quam Phalangem maiorem constituit, qui currus erant pro reparationibus utrobique. ita consistit consilia hostium expectans. at Ottomialis Aldanaeq; copiae Turcis in acie constitutis ex omni leuiore equitatu Pannone turmam constituunt, alteram rursus è cataphractis à fronte turmae Bassae. constituta est Phalanx rursus ex uniuerso Aldanae Ottomialisq; peditatu, cui nullum datum est signum belli. Hi cum ita constitissent diutius, uidereturq; Aldana subdubitare, Ourestolphus maiorem turmam Bassae inuadit. cataphracti à fronte cum ad sinistram magis flecterent, non aggrediuntur mediam turmam; sed in quandam partem turmae tanto impetu irrumpunt, ut tantum fuderint, quantum ceperint: quos statim Pannones sequuntur, nihil aliud profligantes quàm quod fecerāt cataphracti. eo errore ita inter se funduntur ut alter alterum impellentes magnum damnum acceperint. multis Turcis cadentibus, solutisq; equis per planitiem errantibus, certam uictoriam sperantes, minimè uident aliam Turmam integram. Pannones minime curiosi uidendi exitum eius certaminis ex equis descendunt Turcas prædantes, qui mortui aut uulnerati cecidissent. Bassa ueritus uictoriam esse penes hostem, iam caeperat reliquias copiarum contrahere & currus: sed cum nemo insequeretur, fusimq; Pannones palantes uagarentur per planitiem suis ad pugnam reuocatis, & in condensatam Phalangem instructis, dissipatos Pannones inuadit, omnes trucidat. multò plures equi quàm homines aufugiūt. cataphracti cum Hispanis rursus condensati cognita clade dementiaq; Pannonum non arbitrantur fortunam denuo esse tentandam, quare se ad loca tutiora recipiunt. Bassà insperata uictoria potitus uniuersam planitiem percurrit, omnes inuentos trucidat: quod ipsum fit in urbe Pestio. Turcae ex oppidulo egressi omnes quos aduersus se arma suscepisse sciunt, obtruncant nulli neque aetati neque sexui neque conditioni parcentes. tum ualido globo facto reliquias peditum quos Ottomialis eò adduxerat,

rat, insequuntur: quos tanta uirtute opprimunt ut plures mille & quingentis humi fusi sint. cæsa sunt à Turcis eo die ad quinque millia mortaliū. ubi iam labore stragis cædiumq; fessi Turcæ constitissent, apparent procul trecenti Aiduchi, qui prædabundi uagabantur per Turcarum regionem, multaq; præda Onusti in castra redibant. illi nescij tantæ mutationis tamq; repentinæ fortunæ peragunt iter inceptum. at paulo post globum Turcarum conspecto nonnihil commouentur. sed existimantes illum esse suorum mox pergunt iter facere donec Bassà eos intuitus esse hostes & paucos; neque locum habere tutum, quò se reciperent, eos repente inuadit. illi minime consternati repentino euentu singulari fortitudine se defendunt. sed cum denique ad unum trucidati fuissent non sine magna clade Turcarum, Bassà agro liber potitur, atque urbem uictor ingressus pecunia, & rebus partis singulis pro dignitate distributis urbem reficit, qua parte fuerat labefactata. Aldana summa celeritate usus Turcarum impetū fugiens quos semper se insequi timebat plura sexaginta miliaribus uno die conficit, atque ad oppidum cornochium non procul à Lizisò peruenit; cuius negligentia amissæ sunt illæ copiæ, quia Aiduchos non iussisset pugnare. Interea Battor Andreas Vaiuodæ honore insignitur Transyluaniæ, & Stephanus Losantius comes creatur Tibisci, qui recusauit tantum oneris suscipere, nisi Ferdinandus illi manum Hispanorum concederet, ut posset aduersus hostiū conatus resistere, qui continuo missi sunt & locus cæptus muniri, iam nuntij certissimi aduenerant Mahometum Bassam creatum esse summum ducem Solimani ad expeditionem Pannoniæ qui Taurumni iam erat, maximasq; copias comparabat; quod ipsum faciebat Vaiuoda mysiæ inferioris. Accessit per id tempus cum quatuor millibus ueteranorum Germanorum ac decem tormentis Elphestainus comes, polliceturq; Ferdinandus se magnas copias Castalio comparaturum. Castalius & Vuaiuoda interim edicta fieri iubent ut omnes nobiliores regni Turdam conueniant, ut rebus salutiq; eius regni consuleretur, quia Mahometus properabat regnum ipsum è uarijs partibus uno tempore aggredi cum duobus

Transyluania munitur contra Mahometū Bassam.

bus exercitibus: ipse per urbes inferiores, at Mysiæ inferioris siue Moldauiæ uocatæ per Brassouium exercitus alius erat inuasurus. eò ubi conuenissent, post res ad communem regni defensionem spectantes, decernitur ut Lizisum Tibiscumq. urbes annona, præsidijs, reparationibusq. munirentur, quanta fieri potest celeritate, quæ tanquam obijces copiarum fluctus retardarent. dum copiæ regni conueniret in unū, ut erat consuetudo per huiusmodi opportunitates. collecto itaque satis ingenti exercitu decernitur ut obuiam iretur Moldauo ne per eam partem ingrederetur, cum nulla ibi esset munitio quæ posset eius cursum retardare; præter Seghesuar, quæ urbs cum esset parua tantis uiribus non posset resistere, ne urbe opulentissima Transyluaniæ potiretur, omnemq. Ceculorum Prouinciam concremaret. Sed quoniam Turda urbs est in loco fertili commodoq. sita, decernitur ut ibi copiæ colligantur omnes. eò Vaiuoda contēderet ad eas colligendas, cum nobiles milites iam secum adducerent, quos dedebāt Castalius comitem Ioannem Baptistam Archuum cum Germanorum cohorte Brassouium ad eam urbem tuendam. missus est, & Vicarius Scerettini cum ducētis cataphractis, aliaq. cohorte Germanorum sub imperium eiusdem Commitis. imperatum est ipsi comiti ut cum alia cohorte Germanorū munitio occuparetur, quæ extruebatur super colle iminēte Brassouio, ubi tormenta maiora collocarētur & mediocria, cum præsidijs quæ necessaria uiderentur, ne occuparetur à Moldauo. nam si ibi castrametatus esset Moldauus, magna facta esset & urbis & regionis populatio: sin coactus esset discedere, oportebat per montes iter facere non sine magnis incommodis, & fortasse exire è regione. Quæ dum parātur in Pannonia, Germania omnis ferè grauiter ferre Cæsaris seueritatem; cum amici & cōiuncti principes intolerabilem propè inclementiam ubique & non ferendam crudelitatem Cæsaris esse aduersus libertatem Germanicam quererentur: quippe quibus etiam ad confirmādas querelas non leuem occasionem præberet Federici captiui adhuc interitus, & contemptus omnium, quorum preces intercedentium uanæ fuissent. Præter cætera mirificè inflammabant

Germaniæ querela & conspiratio aduersus Cæsarem.

mabant aßiduè filij eius lamentationes, quem dedecus parentis & diuturnarum molestiarum cumulus impellebat ad cæteros ad defensionem Germanicæ libertatis incitandos,& ad obseruandum tempus ultionis opportunum. Illi rursus qui persuaserant Lantgrauio ut se Cæsaris arbitrio committeret, cũ uiderent illum perpetuo carceri esse addictum, neque promissa obseruari, id ipsum iam ægerrimè ferre: se proditores Lãtgrauij libertatis appellare. omnia lamentationibus implere, q Cæsar datã fidem fefellisset, q nobilitatis Germanicæ uniuersæ preces nihil faceret, q ita paulatim oẽs prĩcipes esset de medio sublaturus, cũ uirũ bonũ, & patriæ defensorem amãtißimũ tã crudeliter tractaret. nam uniuersa Germania Lantgrauium tanquam patrem patriæ miris laudibus efferebant, dicebãtq; in eas calamitates coniectum quòd arma pro communi omniũ libertate, & pro tuenda gloria Germanici nominis sumpsisset. quæ odia populorum omnium tametsi diutius occultata fuerant, tamen intra pectus capi non poterant, cum iam nimium excreuissent. His uidebatur non leuior causa indignationis accedere, quæ cum superioribus consentire apparebat, quia post oppressos Germanos principes, ac Germanorum animos consternatos, Cæsar ipse ausus esset quo tenderent sua consilia patefacere, quia procurauerat in comitijs Neomagi ut Philippus filius collega patris dum uiueret, & post patrem Imperator designaretur, ad cuius rei facilitatẽ petitum fuerat à Ferdinando fratre Cæsaris ut se ab electione abdicaret, cui petitioni non solùm ab electoribus, sed ab ipso etiam Ferdinando reclamatum est. ea de causa nata est opinio inter Germanos q Cæsar duos potentißimos principes Lantgrauium Sattorũ, & Federicum Saxonum duces profligare & euertere conatus sit non quidem rebellionis ac læsæ Maiestatis reos, neque q ab institutis antiquæ religionis defecissent; sed simulata honestiore religionis causa quòd eius optatis ac desiderijs clam repugnassent, neque uiderentur uelle assentiri. Querebantur Imperium à Cæsare ambiri & procurari ut tanquam ius hæreditarium ad filios transmitteret; quibus lamentationibus & populorum querelis ita male audire cœpit, ut non solum

Kk *nemo*

nemo esset quin Cæsaris nomen inuitus audiret, sed etiã principes ciuitatum ac nationes decreuerint eum tanquam communi saluti & libertati & gloriæ insidiantem è Germania cõmuni consensu eijcere: quare omnes ferè Germaniæ populi cõspirantes arma sumere aduersus Cæsarem decernunt. At uerò quoniam desperabant se posse tantum negotium ad optatum finem perducere sine Regijs auxilijs, quamuis Cæsar bellis Gallicis esset implicatus & Pannonicis nonnihil distraheretur, multisq́; augeretur difficultatibus, clam regis suppetias postulant. Rex tantam tamq́; opportunam rei bene gerendæ occasionem minime prætermittendam ratus magnas copias liberalissimè, & se ipsum præterea ad eam expeditionem uenturum promittit: quam liberalitatem benignitatemq́; regis ita Germani sunt complexi, ut Regem communem Germaniæ defensorem ac protectorem sacri Imperij appellauerint. ad huius rei confirmationem Henricus Rex Gallorum scriptum typis impressum edidit, cuius insigne fuit pileus & duo pugiones, cum hic libertatis insigne fuerit apud antiquos. subscriptus erat Regis titulus, Germanicæ libertatis uindex. Hæc agebantur duce & principe Mauritio, qui etiam ad ordines Imperij scribens facti sui rationem reddit, & Cæsaris crudelitatem aduersus Lantgrauium uehementer insectatur. quæ antequam aggrederetur Aredatam profectus Ferdinandum conuenit, rogat ut pro Lantgrauio intercedat ut socer sibi in libertatem concederetur. ille Inutrium accedens cum Cæsare collocutus uerba humanitatis plena tantum refert. at Rex ueteranos milites ad signa reuocat, equitatũ colligit, magnas copias conscribit. ipse Catalauni quæ urbs est apud Matronã fluuium in aquitania consedit dum exercitus pararetur, qui iussus erat ad Camponos aquitaniæ populos conuenire, atque ad Vittras & loca finitima colligebatur, quò etiam tormenta, commeatus, & omne genus apparatuum undique conuehebatur. accersita fuerant è Gallia subalpina uiginti ueteranorum Gallorum uexilla, qui diu militauerant in Italia, euocantur è Scotia ueteranæ cohortes, ita ut sint collecta undecim optimorum peditum millia. His accedunt triginta

Publica inscriptio Henrici, & expeditio aduersus Cæsarem:

ginta & quinque uexilla, quæ collecta sunt tyronum inter Tectosates, in Prouincia, inter Sequanos; atque omnis hic peditatus accedebat ad decem & septem hominum armatorum millia Gallorum, quibus praerat cum summo Imperio dux Sciatilioneus, addita sunt & uiginti Germanorum uexilla quæ collecta sunt ad Veuium & Sorcium insignes Remorum pagos in agro leucorum siue Tullensi. totidem rursus uexilla legatus comes Recrocus ad stipēdia uocat ad Basignium uocatum oppidum, & Cartellus ad quatuor millia peditum colligenda est missus; quare collecta sunt totidem millia peditum Germanorum. erant instructi iam mille & quingenti cataphracti, duo millia leuiorum, totidē sclopettarij equites, quibus dux praerat Omaleus. hic ita collectus exercitus Tullū uersus iter capit, quæ prima urbs Lotaringiæ principatus, eaq́ neutrius partibus studebat. eius urbis ciues anteq̄ exercitus accederet claues & Imperium ciuitatis, & oē auxiliorū quod possent genus per legates ultro Conestablio Memoratio summo copiarum duci obtulerunt, ꝓ Henricus Rex esset adhuc Ginuillæ, quia Regina ibi ægrotaret. accessit ad eam urbem Dux Lotaringiæ ad diluendas nonnullas accusationes, quibus acerrimè apud Regem fuerat oneratus, quibus criminibus dilutis ille dux sese, suaq́ omnia regis arbitrio dedit. recipitur cum matre uidua quæ aderat, in gratiam amicitiamq́ Regis perbenignè; atque Rex post multos familiariter habitos Sermones hortatur matrem ut ducem adhuc puerum mitteret in Galliam, qui cum primogenito Regio educaretur. atq; cum Regum adhortationes mite quoddam genus sit imperandi, ita factum est. Mediomatrices quia intelligerent futurū esse ut tantus exercitus in ea urbe & proximo agro hospitium haberet legatos mittunt in castra, orant Conestablium ut eadem benignitate atque clementia, cum neutrius partes complexissent, in se uteretur, qua usus fuerat Cæsar cum ea transiret in Galliam, neque atrocius tractaret: cum tantum commeatum uenalem suis copijs exponi imperasset. assenserunt tamen ut Rex ipse cum primarijs principibus exercitus urbem ingrederentur; quo commodius haberent

Tulli urbis deditio Conestablio.

 hospi-

hospitium. Memorantius his acceptis legationibus humanitatis plenum responsum dedit, se amicè eos tractaturum: sed paulo post ad Regem profectus ubi rediisset in castra copias ducit ad pontem Camosonium uocatum, unde tria millia Gallorum peditum cum nonnullis equitibus & tribus tormentis mittit ad expugnandam Abbatiam Georgianam. ibi praefectus Hispanorum praesidiorum egregiè se tutabatur. Sed propter uim tormentorum cum muri fuissent deiecti & prostrati antequam se dedere uoluisset Galli oppidulum per uirtutem armorum potiti maiorem praesidiorum partem cum ipso praefecto trucidarunt. quibus ita confectis rectà Mediomatritum belgarum populorum Diuodurum petitur, quae urbs est opulenta & ampla ad ripam Ombrici fluminis sita, habetq; Tullum urbem ad meridiem, Virdunum ad occidentem, ad septentrionem Treueros, quàm fama est Moselainam dictam fuisse primum à Muselano uiro Troiano, qui primus eius urbis iecit fundamenta, mox nomen mutasse. habet ea urbs agrum uini, frumenti, omnisq; generis fructuum feracem, & pascuis utilissimum, quare omnibus rebus humano uictui necessarijs maxime abundat: habetq; urbs praeclaros uiros multos, cum sit optimorum ingeniorum altrix. exercitus Diuodurum profectus in suburbijs & finitimis pagis castrametatur. tum Memorantius ciuibus regiam uoluntatem significauit. hortatur ut se fidei & arbitrio Regis committerent, libentius regijs legibus amici & indemnes parerent, quàm per uim & multas molestias cogerentur. fore enim tutius pacati regis amicitiã & fidem & clementiam experiri; quàm arma, & indignationem, & impetum armatorum militum, cum semper tristes exitus uictis afferat uictoria. eo nuntio grauissimus stimulus iniectus est animis principum ciuitatis, qui ex altera parte quantum se tantis uiribus non posse resistere intelligebant; ex altera uidebãt quantum utilitatis amitterent, quantumq; autoritatis quam exercebant in patriam & in caeteros ciues. quare hinc animus hortabatur ad resistendum regiae petitioni, inde metus à suscipiendis armis deterrebat. Petunt ut iura ac priuilegia saltem sibi concessa ab Imperatoribus ac regibus

Abbatia Gorgiana expugnat. atq; praesidium Hispanũ trucidatur.

Diuoduri urbis descriptio.

bus Gallorum sibi confirmarentur. Sed Memorantius indignatus rem per mutuas petitiones differri minatur nisi cito pareant se tormenta muris admoturum. ciues eo dicto territi in urbem Gallica præsidia ultro admittunt; & quamuis duas cohortes tantum admittere decreuerant, tamen mille & quingenti lectissimi pedites ingrediuntur. Illis ingressis neq; cæteris quidem iam possunt resistere. urbs itaque Diuodurum insignis ita compulsa ad quartum idus Aprilis in potestatē regis Gallorum uenit, quæ diu libera suis legibus usa fuerat, atque Imperium & tyrannidem in suos ciues exercuerat. Diuodurū se dedit Henrico.

Mauritius ex altera parte cum eorum omnium quos seueritas Cæsaris excitauerat auxilijs Gulielmum filium Lantgrauij sibi adiungit, factaq; fœderatione cum Gallo, Henricus centena millia in singulos menses quadringenta millia nummûm assignat in stipendia militum, quæ quidem erat portio sumptuum ipsius regis pro fœderatione. sic decernitur ut suis, aliorumq; fœderatorum stipendijs exercitus assiduè cōtra Cæsarem uiginti millium peditum, octo millium equitum in Germania haberetur. His addidit Henricus se noua auxilia adiuncturum, quoties Cæsar armatus cum exercitu in apertū prodiret. Fœderationi aduersus Cæsarem se iungit Mauritius & Lātgrauii filius.

Senensis respublica Cæsarianorum administrationē ferunt, quia Diegus Mendocius tyrannicè libertati urbis iactis oppiduli cuiusdam fundamentis simulata defensione uideretur insidiari. Neque deerant qui eos ad imploranda regia auxilia sollicitarent, inter quos princeps erat Hieronymus Vegghianus Pisanus; qui multis rationibus futurum docebat ut Henricus eorum defensionem susciperet si ad eius fidem, misericordiam, patrocinium confugeretur. Conspiratio Senensiū aduersus Cæsarē

Quæ dum tractantur Senæ Mauritius ingentibus uiribus maturè collectis clam iter capit Clusam uersus & oppidum Ferdinandi Embergum nocturno tempore per montanos aditus & asperos ac ignotos & insitatos: quod factum est tanto silentio ut nemo prius senserit, quàm sibi uisus sit Cæsarianos à tergo posse tuto aggredi, uiamq; occludere ne posset aufugere. Sic igitur Clusam repente profectus portam occupat inter duos montes in ualle quadam satis profunda; unde pulsis custodibus conatur Mauritius obsidet Clusā vbi Cæsar & Ferdinandus morabātur:

tur oppido potiri. Sed cum reiectus fuisset uirtute defensorũ relictis copijs ad obsidionem summa celeritate Inutrium uersus castra mouet, ubi Cæsar & Ferdinandus morabatur, qui improuiso Mauritij aduentu territi cum essent inermes, statuunt Corinthiam uersus iter capere. Sic igitur Cæsar noctu inualidus in lectica profugit Inutrio accensis facibus uel pluuioso tempore cum Ferdinando & omnibus quæ aderant legationibus. Nam tametsi tanto armorum Germanorum strepitu experrectus Cæsar tribunos miserat in Italiam ad conscribendas copias, paucosq́ milites quos habebat ad difficiles Clusæ aditus tuendos; tamen tantus impetus fuit Germanorum, tamq́ repentinus, ut cum Cæsariana præsidia quasi irruenti flumini non possent resistere, facile hostes quocunq; uellent irrumperent. Cæsar noctu ita iter faciens per eam cæli turbulẽtiam & obscuritatem Iulium Carnicum magna celeritate cõtendit multis relictis impedimentis, est autem Iulium Carnicum oppidum in finibus agri fori Iuliensis in ultima ora Norici situm antiquissimum patrimonium Austriacæ familiæ in ripa Drani fluminis. atqui tanta fuit festinatio & studium eius fuga ut multi uiri non ignobiles repentina inopia equorum per uias lubricas & cænosas ægrè Iulium Carnicũ peruenerint pedites. eadem nocte Mauritius Inutrium peruenit, Cæsarem fugientem aliquandiu insectatur; sed cum desperaret se posse eum comprehendere, Inutrium reuertit, rebusq́ urbanis incolumibus seruatis, omnia Cæsariana impedimenta diripiuntur. Cæsar statim Iulium Carnicum profectus multos honores à Venetis consequitur, multaq́ munera; à quibus omnia liberalissimè oblata sunt, quæ temporis angustiæ & senatus liberalitati conueniebant. quamuis ubi primũ Venetorum equitatum ad se cum muneribus uenientem uidisset Cæsar hostes adesse ratus erat & inde discessurus, nisi Venetus orator amicum esse equitatum qui honoris tutelæq́ gratia accederet docuisset. Ibi aliquandiu commoratur, donec quò tenderent Mauritij consilia exploraret. Ferdinandus interea legationes mittit percunctatum quibus Cæsaris iniurijs tantis commotus arma tam repente cepisset, aut cur sua

Cæsarẽ fugientem Mauritius insectatur

Senatus Veneti munificentia erga Cæsarem.

castella

castella occupasset, cum hostiliter agrum inuasisset. His respondit Mauritius se non aduersus Cæsarem arma suscepisse, neque ad eius castella occupandá; sed aduersus Albanum & cæteros Cæsaris consultores suos hostes, quos ibi esse percepisset. Se optimo in Cæsarem esse animo, atque nisi eos intra certum temporis spatium inuenisset, se dimisso exercitu Borodunum ad comitia uenturum, quæ ab ea Maiestate indicta fuerant, cum cæteris principibus ut posset de pace cum Cæsare agi. Cæsar tandiu Vacorij moratur, ut multæ Hispanorum cohortes eò fuerint classe ex Hispania ab Auria uectæ, quas Cæsar initio Germanici huius tumultus ex Hispania aciuerat. Ferdinandus in Germaniam accedit ad colloquium Are datam cum Mauritio uènturus quo eum Cæsari reconciliaret. Veneti ubi primùm nuntiatum est Mauritium suis finibus propinquare iubent conscriptos milites colligi ac censeri, atque in apertum educi ad suos fines tuendos. Eos Venetorũ motus ueritus Cæsar ne cum hostibus conspirassent, in eã trepidationẽ incidit ut nouas latebras ad fugã prospiceret: donec à Reip. legato cõfirmatus est eas copias censas fuisse propter suspicionẽ Mauritij, qui sese armatus Venetorũ finibus ostentasset. esse Venetæ consuetudinis ostendit arma parare, ubi armatos habeant uicinos. se obsidem offert, nisi hoc seruetur, quòd arma Veneta aduersus Cæsaris hostes prompta essent potius ac parata; quàm aduersus ipsum Cæsarem. Sic enim aliquando fit ut mutatio rerum non solum uires mortalium, sed etiam animum prius insuperabilem infringat. Mauritius & Protestantes ea felicitate elati, qui libellum Interim uocatum noluerant admittere, tumultuantes multis afficiunt damnis, ac ferro igniq; populantur regiones eorum Germanorum, qui partes Cæsarianas complecterentur: multasq; uolentes urbes communi consilio trucidatis aut eiectis præsidijs pristinæ libertati restituunt. ea dum fiunt à Mauritio Federicus captiuus naturæ concessit; at Lãtgrauius Mechiniæ, quod oppidum est munitissimum in finibus Belgarum molestissimam captiuitatem ferebat omni prorsus spe libertatis abiecta; neque uidebat quò sua negotia tenderẽt.

Mauritius præsidia Cæsariana trucidat ad pristinã libertatẽ.

Federicus morĩt captiuus.

custodijs

custodijs tamen præfectus omni quo poterat humanitatis genere utebatur, cum multos & ad colludendum & ad salutandum Lantgrauium admitteret. Nam Lantgrauius pro sua innata liberalitate ac munificentia ita ad se obseruandum custodes & cæteros amicos flexeret ut ad fugam oblata opportunitate sibi à spirare posse uideretur: uentitabat ad eum nepos Spurius iuuenis sanè callidus, & prudens, & liberalis, cũ quo Lantgrauius consilium fugæ communicabat; atque aliquando in uicinis locis occultis equi præstantes ad hoc negotium parati aderant. adducuntur turcæ equæ Mecliniam, quas iuuenis per miram quandam dexteritatem ad palatium adducit. nullaq́; excitata suspicione equas paratas esse nũtiat. Lãtgrauius dimissis sensim ijs qui colludebant, clam exit. Sed cũ ad cocleatas scalas uentum esset, per quam ascendebant custodiæ in angusto transitu, fit obuius casu dux custodum. Nepos qui putaret eo casò nihil se controuersiæ habiturũ, quia largitionibus per multos custodes corrupisset, alij somno ac uino tũc essent sepulti, sclopettum breuem in ipsum custodem displodit. cum irritus fuisset ictus, conclamatur: fit concursus. reducitur. Lantgrauius. nepos strenuè pugnans trucidatur. ita mortuus suspendio plectitur. ea dum inter Mauritium & Ferdinandum agũtur Henricus Rex Mauritij res egregiè adiuuabat, sed cum nuntiatum esset in castris Regijs Martinum Roscainum cum præualidis copijs in Picardiam Galliæ Belgicæ regionem & in campaniam, ingressum esse multasq́; urbes & castella & obuia quæq́; ferro igniq́; populari, magnisq́; itineribus Lutetiam contendere, statuit ibi optime consuli si alienorum oppugnatione relicta ipse ad sua defendenda signa moueret. coegit hostem itaque Galliam relinquere, ac suæ saluti cõsulere. Mauritius Inutrio profectus ubi minime compos educto exercitu è Tiroli principatu, Clusaq́; libera relicta Borodunum contendit, quò conuenit etiam Ferdinandus: atque præter cætera multa quæ acta tractataq́; sunt in ijs comitijs, ita pax inter Mauritium & Cæsarem componitur; ut Cæsar Lantgrauium Mauritio liberum restitueret. ut Mauritius suis sumptibus Ferdinando opem ferret aduersus immanitatem

Lantgrauius fugã tentat auxilio nepotis qui trucidatur.

Martinus Roscainus Picardiam ferro igniq́ue populatur.

Pacis inter Cæsarem & Mauritium conditiones.

tem Turcarum cum duodecim peditũ, tribus equitũ millibus per eam æstatem. quibus ita compositis Mauritius copias dimittit, atque Lantgrauij filij signa inferunt aduersus Hendstainum ducem quendam, qui Cæsaris nomine Cattorum agrum inuaserat; contra quem comes Odemburgi sexdecim uexilla peditum eduxerat Germanorum, commissoq́; prælio Odemburgenses copiæ fuerant profligatæ, quare filij Lantgrauij in munitiones inclusi fuerant. Mauritius reliquas copias mittit ad urbem Saxoniæ Madeburgum liberandum, quam Vessonum Sennonumq́; principes obsidebant: qui uisis Mauritij copijs statim soluunt obsidionẽ. tũ & hi principes cũ comite Masfeltio Cæsari reconciliantur, illiq́; se militaturos pollicentur aduersus Henricum Galliæ regem, qui quindecim Germanorum cohortes, & quingentos cataphractos equites, & nonnullos leuiores in castra adducũt. Sic Cæsaris tam repẽtina mutatio rebus facta est, ex quibus apparuit quàm labilis & infirmus sit omnium uel eorum qui potentissimi omnibus apparent status & fortuna. Interea Cæsar pro conditionibus pacis & pro sedandis totius Germaniæ animis in se concitatis propter captiuitatem Lantgrauij, quam unam præcipuam causam Germanica Gallicaq́; arma in se concitasse intelligebat, scribit ad Mariam Reginam sororẽ, ut iuberet Lãtgrauio libertati restituere. ea consilio mandatoq́; Cæsaris duci patefacto, minime illud assequitur; quia diceret dux custodum sibi opus esse indicio Cæsarianæ uoluntatis; quia ita Cæsar ipse imperasset ne prius eum dimitteret, quàm indicium uti inter se conuenerant, accepisset. Maria quia uideret multos Germanos principes ad eum abducendum conuenisse, grauiter fert uel iustissimam custodis excusationem, quare unũ è suis familiaribus mittit citatis equis ad illud indicium accipiendum. Interim ut intelligerent principes non esse uanã spem solutionis, curat ut Lantgrauius Losianiam ducatur. atque breui allato indicio libertati restitutus cum magna põpa communisq́; lætitiæ significatione ab illis principibus ad suum principatum deducitur. Philippus, ut erat liberalis magnificusq́; princeps, dum liberatio ita comperendinatur, mul

Mauritius Madeburgum obsidione liberat.

Lãtgrauii libertati restituti munificentia.

ta, eaq; honorifica munera congesserat, quibus omnes à quibus aliquid commodi consecutus fuisset, donauit. Quæ dum fierent in Germania, Isabella Regina iam queri cæperat, quia conditiones per quas regnum cesserat non seruarentur: idcirco Sarmatarum Regem & Reginam Bonam matrem sollicitat ut procurent pactiones seruari. Principes Transyluaniæ clam sollicitantur ut filius in regnum paternum reciperetur; quippe quòd neque in principatu Oppoliæ ac cæteris locis uiginti nummùm millia possent exigi, neque prouentus nemorum, & aucupiorum, & piscationum uectigalia quæ assignarentur, illa certa ac stabilia putaret, quòd possent pro ratione temporũ facile mutari. neque soluerentur quæ in dotem & credita debebantur, pro quibus in pignus acceperat Cassouium. ad ea tractanda Matthiam Loboscum uirum callidum & prudentẽ ad Ferdinandum mittit: qui responsum tulit à Ferdinando humanitatis plenum; Reginam sororis, puerum filij loco se habere, semperq; habiturum. Sibi nihil magis esse cordi, quàm ut uotis Reginæ satisfiat. quòd nisi Rhauporium & Munsterburgum illi concedebatur, istud fieri non sua quidẽ culpa, sed Ioannis Sennonum principis, qui Marchionem Albertũ electoresq; Saxonem & Sennonis, & Prutenorum principes, tutores haberet sine quorum consilio & consensu istud fieri nõ posset: cum & illi procul abessent, & tanti tumultus nuper in Germania essent excitati à Mauritio. opus esse aliquantulum perpeti, quòd alij principatus & urbes & oppida pro uotis fuisset breui consecuta. Se mirari quòd ea uectigalia refutaret, qui erant omnium prouentuum optimi & expeditissimi. atqui etsi regina curabat ut hæc sibi soluerentur, tamen non minus instabat clam ut restitueretur in regnum. Turcæ nullum genus apparatuum intermittere, copias colligere, tormenta in unũ conuehere, annonam imperare, finitima loca munire. quibus cognitis Castalius literas dedit ad Ferdinandũ ut maiores uires colligeret, instaret Palauicino ut cũ tormẽtis & copijs suis adproperaret. Ferdinandus non posse tunc mitti suppetias respondet propter uarios Germanorum motus: sed tamen se curaturum ut Palauicinus cum suis uiribus in Transyluaniam propera-

Isabellæ querula legatio ad Ferdinandum.

properaret. se pro opportunitate temporis tamen alia auxilia breui missurum. Mauritium cum duodecim peditum, tribus equitum millibus ad eam expeditionem iure cõditionum uenturum. se plurimum eius uirtuti & prudentiæ confidere, curaret exigendos in belli usum prouentus ecclesiasticos eius regni, qui administratoribus cararent: quod ut facilius cognosceretur, daretur id muneris Georgio Vernerio & episcopo Rispiæ, quæ omnia descripta ad se mitterentur. iubet sua impedimenta omnibus seruis Monachi restitui. quadringentos Vssarones, qui equites sunt leuiores apud Pannones, qui Monachum sequebantur ad custodiam corporis stipendijs con duci, ne regionis periti hostilia stipendia mererentur. illis legatus præfectus est Opperstulphus unus è primarijs ducibus equitatus Transyluaniæ, Losantius cum sexcẽtis equitibus, & circiter mille peditibus præter ciues tractãdis armis aptos menstruum stipendium omnium militum à Castalio accepit, & ducentos præterea sclopettarios Germanos, iubeturq́; quã tum posset commeatuum in Tibiscum urbem comportandum curare: ut si repentina obsidio, ut solet in bellis aliquando cõ tingere, urbem illam inuasisset, posset eam diutius sustentare. tantus præterea tormentorum numerus, tantusq́; apparatus tormentarius missus est, ut in multos conatus hostium posset sufficere. Scripsit etiam literas Castalius quibus illum & Gasparem hortabatur atque confirmabat ut se munirent tuerenturq́; quò posset diligentius: quia etsi non satis magnas copias tunc habebat ut posset in apertum aduersus Mahomettum educere, tamen breui esset futurum ut maturè collectis ualidioribus uiribus ferret suppetias. nunc sibi eundum esse aduersus Moldauum ne in Transyluaniam per Brassouium intraret. periculosius esse hac uia ne Moldauus regnum occuparet cũ nullæ essent munitiones, quàm illa, qua Mahomettus erat inuasurus per Tibiscum, quòd eum munitiones possent retardere. facilem esse sibi nemorum & montiũ beneficio defensionem aditus, quàm Lizisi & Tibisci, quia cũ paucis peditibus sperabat equitatum Moldaui uexare, aut etiam reijcere. Non paruam fore eius ducis gloriam qui for

Castalii paratus bellicus in turcarum conatus.

titer aduersus tanti exercitus conatum repugnauit, quam nemo uir strenuus non appetiuerit: quia summus honor, & uera gloria, & omnis militaris existimatio in maximis arduisq. periculis superandis consistit, neque ullam propè esse gloriam si cum multis paruas & debiles copias quis fuderit; sed contra si cum paucorum uirtute magnæ hostium multitudini restiterit. Aldana interea se ægrè affectum Castalio significat, neque posse Lizisum defendere. mittendum esse alium qui susciperet defensionem: quod sanè non mediocriter Castalio molestum uisum est tum ob articulum ipsum temporis, tum etiam quia uidebatur hostis ita spiritus magis habiturus ad oppugnandum, ciuesq. oppressum iri cum uir eiusmodi exiret ex ea munitione, cuius in locum alius sufficeretur: cuius tamen honoris plurimum interesset urbem eam defendere quam & muniendam curasset, & cum nulla fuisset bellorum suspicio, coluisset. Veruntamen nuntiatum mittit si metu Bassæ commotus uellet Lizisum relinquere, etsi id tardius significarat, tamen se missurum qui eam urbem defenderet; quare suum consilium statim aperiret. Aldana perspecto errore in quem inciderat, respondit quando iam esset Lizisi se esse defensurum, Castalius ut hilari bonoq. sit animo. Castalius rebus Lizisi & Tibisci per hunc modum compositis Colosuar ad colligendas copias, quas mittebat Ferdinandus contendit. monet Helfestainensem comitem cum suo Regimēto hoc est cum quatuor millibus peditum Germanorum ut eò properet: & Zenam summum cataphractorum ducem ut maximis itineribus ad se properaret. Mahomettus Taurumno à tergo relicto inter duos fluuios castra posuerat, in quibus erant circiter centum millia armatorum, & septuaginta bellica tormenta, inter quæ erāt ad triginta muralia eximiæ magnitudinis. Iacti fuerant pontes supra Tibiscum. cum eo accedebat Belerbeius Grēciæ cum uiginti millibus equitum. & Cassumbassa cum quindecim equitum millibus, & duo Scitharum millia, qui populi sunt inhumani, bellicosi, ac propè ferini pugnantes ex equis assiduè, quorum arma sunt arcus, & acinaces, & clauæ ferreæ. Iam omnes ferè copiæ Transylunania

Mahometti instructus exercitus.

uania

uania collectæ fuerant, cum Helfestainensis comes in castra accessit, qui hospitium habuerunt in suburbio, quod erat peramplum. cum postero die Castalius iuberet uexilla conuelli ad profectionem, Germani iter facere recusant, quia cum quatuor mensium stipendia deberentur, duo tantum in præsenti accepissent. Tormenta occupant, urbem ad direptionem capere conantur, tormentis concutere incipiunt. quæ cum uideret præter omnem bellici Imperij reuerentiam fieri Castalius mittit nuntiatum ciuibus ut se defenderent; qui sumptis armis sclopettis ac tormentis ita Germanos impetunt ut multã cladem in eos intulerint, qui nullo seruato ordine militari cũ in aciem instrui nescirent decernunt Castalium captiuum facere: qui Germanorum consilio percepta Turdam aufugit, ijsq́ denuntiatiatũ mittit nisi temeritatem audaciamq́ deponerent, se uniuersas copias in eos educturum, & ad unũ trucidaturum. ad urbem profectus iubet omnem equitatum egredi, simulareq́ se iter capere ad castra Germanica, qui ea de re certiores facti, cum se nullo pacto posse seruari intelligerent aduersus tantas uires, eamq́ seditionem sibi maximè pernitiosam fore nemine consulente sua sponte tormenta Turdam uersus attrahunt uexillis ad profectionem explicatis in acie. Comes ad quinquaginta ex ijs trucidandos curat, quare per multorum uulnera & cædes satis aptas pœnas dederũt suæ temeritatis. dum Castalius uires parat aduersus Moldauum siue Mysiæ inferiori præfectũ, qui cum quadraginta millibus hominum in agrum Brassouiensem inuaserat nuntiatur Mahomettus non sine multa difficultate traiecto Tibisco fluuio cum omnibus copijs ad urbem Tibiscum quam Themesuarre uocant consedisse, obsidione cinxisse, ac septuaginta tormentis concutere è tribus lateribus: cum tamen præsidia egregiam fortitudinem præseferrent. id nuntiatum est ab Hispano & Rhatiano homine qui non sine maximo periculo turcico more induti, Idiomateq́ turcico utentes ex urbe per castra hostium penetrarant: atque is addiderunt iam duodecimum diem neque noctu, neque interdius cessare uerberationem. atque urbi opus esse subsidijs, quia multos tormenta laniassent.

Germanorũ seditio & cæsio.

Mahomettus Tibiscum obsidet & concutit.

niassent. Castalius è uestigio Ottomialem hortatum mittit qui erat Iulæ ut cum quadringentis Aiduchis omni studio nite retur urbem ingredi, magnis præmijs propositis si eas suppetias in urbem introduxisset. Ipse cum duodecim millibus armatorum Turdam uersus iter capit, obuiam procedens Moldauo, qui paulo plus quatuor millibus passuum aberat à Brasouio; atque ualidis prælijs à Ioanne Baptista Arcuo egregia uirtute ab aditu quodam repellebatur. nam tanta industria pugnabat ut nemo incolumis ex hostibus exiret è castris. Moldauus itaque neque procedere, neque coniungere uires cum Mahometto poterat, aut Tibiscum contendere. qui quidem Arcuus præstanti uirtute uir & singulari rerum militarium peritia non parum per eas miserias temporum rem pannonicam labantem propè subleuauit. ita uerò scitè suas copias distribuerat; ut quoties hostes eà incursiones facerent, neminẽ pateretur in castra redire: totq́; cladibus hostem affecit, ut non auderet iam è castris exire, ac propè Moldauum redire & signa auertere compulerit. Castalius ita Moldauo propinquarat, ut existimans maiores copias adduci, quàm forma erat, cum existimaret summo ingenio singulariq́; prudentia ducem Castalium cum exercitu multò inferiore non fuisse obuiam iturum, non audet eum expectare, sed fugæ simillimã profectionem aggressus se recipit multis è suis desideratis, cũ nouissimum agmen subsecutus Arcuus plures concidisset. atque futurum erat facile ut extorquerentur tormenta si paulo maior numerus Arcuo adfuisset, aut si Ceculi fortiter dimicare uoluissent. Castalius ubi cognoscit se Moldauum integris copijs recepisse Seghesuare moratur nonnullos dies spectans quò tenderent eius consilia; atque quominus Tibiscum accederet ea suspicione retardabatur, quia se absente uerebatur ne rursus Moldauus inuaderet Transyluaniam. nuntiatur in castris Castalij Aiduchos legati Ottomialis quadringentos, qui subsidio mittebantur Tibisco à Turcis fuisse trucidatos, quare Tibisci uehementer laborari, uixq́; posse tantis uiribus assiduisq́; laboribus resisti. missus est Franciscus Enriquus Lizisum, ut & facinus qui successisset, & quo in statu

res

res Tibisci essent intelligeret: diligenterq; spectaret formā & conditiones Lizisi, ut opportunis rebus sustinendis uiribus Mahometti muniretur. at cum Gasparis interitus nuntiatus fuisset Tibisci, eius cohortis præfectura conceditur Roderico Viliandrādo qui iussus est summa ope niti ut Tibiscum ingrederetur: cum nihil magis periculosum sit in his opportunitatibus quàm si desint periti duces, & gubernandis defensoribus periti. His additi sunt ducenti sclopettarij Germani & cohors Andreæ Lopei cum ipso duce. his demonstrat quantæ sit difficultatis Tibiscum ingredi, neque id fieri posse nisi per singularem prudentiam & fortitudinem. sibi horum ducum uirtutem cognitam esse, plurimumq; illis confidere. plurimi interesse ut urbem illam ingrediantur. addita sunt precibus ingētia promissa, & proposita ante oculos gloriæ honorisq; magnitudo. at id frustra fit, quia eodem die Enriquus nuntiat Tibiscum uenisse in potestatem hostium: qui nuntius molestissimus accidit propter iacturam egregiorum militum, sed multò magis quia inscitio rei militaris administrandæ ita contigerat; at non uitio munitionis. Nam Losantius animum adiecerat ad eam urbem muniendam, quam antea ob difficultatem & controuersiam ducum, qui conarentur dignitate præcellere, munire non poterat; quare Aldana uniuersos sumptus in munitiones ad Lizisum muniendū retorserat: hac urbe fortunæ arbitrio relicta. At uerò cum postea urbem ad muniēdum mane exploraret, accedit omnis equitatus Cassumbassæ ad situm urbis explorandum. erant in mœnibus eius urbis erecta quinque propugnacula terra plena; quorum alia erāt ad coronam usque erecta, alia inferiora. atque horum duo defensioni iam erant accommodata, reliqua non prorsus utilia aut perfecta. accesserat cum Mahometto Belerbeius Græciæ qui ubi Tibiscum accedunt, en adest Tibiscum inquit Belerbeius, reliqua ostendent Hispani. cum urbem lustrarent Alonsus Pereus cum quadringentis equitibus & centum Hispanis sclopettarijs leue prælium egressus cum turcis committit, in quo egregia uirtus defensorum enituit. ad quartum igitur calendas quintilis uniuersæ Turcicæ copiæ tanto cum

tym-

tympanorũ sonitu, armorum strepitu, tubarũ clangore, hinnitu equorum, clamore hominum ad Tibiscum castra ponunt, ut cuncta uiderentur periculum minari. tum paulo post densissimi globi hostium cum magno tormentorum numero se urbi ostentant: quæ omnia ut cognoscerentur parui à defensoribus fieri, cum in circulo castra hostium ita urbem cinxissent, ut nemo posset uel egredi uel ingredi, leuibus prælijs per nonnullos dies certatur, ne occuparentur suburbia. at quoniam Mahomettus triginta muralia tormenta in suburbia direxerat, ad omnes defensiones prosternendas, ut posset à tribus lateribus concuti, urbani suburbijs excedere coacti sunt. earum uerberationum una instituta est aduersus oppidulũ, alia apud portam urbis, tertiam dirigunt in propugnaculum quod Hispani tuebantur. ita per multos dies nullo intermisso tempore urbs concutitur, cum mœnia satis aperta ad ingressum uiderentur, Turcæ urbem inuadunt, sed singulari uirtute defensorum repelluntur. tum denuo renouatur conatus nullo propè interuallo temporis interiecto; atque rursus non minore uirtute amissis pluribus duobus millibus hominum, multisq́; uulneratis reijciuntur. Losantius tamen cum intelligeret magnã partem propugnaculorum concidisse, quæ mœnia sustentarẽt, mœnia ipsa omnia propè esse conquassata & afflicta, neque urbem posse diutius defendi, præfectos cohortium ad se aduocat. docet quo in statu res sit, petitum fuisse tributum ait antequã Mahomettus traiecto Danubio castra urbi admoueret pro Tibisci principatu, quod Vicchius soluere Solimano consueuerat. quod si fieret, dicebat se tranquillum principatum relicturum. id nunc esse tentandum censet, inducias quatuor dierum esse petendas dum res tractari posset. at quoniam uariæ fuerunt sententiæ, nihil actum est. ad qu ntum igitur nonas Quintilis ad eas partes qua oppidum portamq́; attingerent urbem acriter inuadi Mahomottus iubet. certatũ est ad quatuor horas desiderati sunt ex defensoribus ad centum & quinquaginta; at è Durcis plures mille & quingentis. multi utrinque uulnerati. at Losantius & cæteri duces Hispani ac Germani tanta uirtute, tantaq́; animi fortitudine pugnarunt, ut hostes

Cruentum certamen obsessorũ & turcarũ obsidentiũ Tibiscum.

hostes se ab ea oppugnatione recipere, & in castra redire compulerint. Losantius conuocatis rursus ducibus idem consiliũ proponit, quod ab omnibus comprobatum est, & missus ad Bassam qui sententiam Losantij aperiret: qui respondit illud fieri potuisse ut procuratum fuerat se ipso annuente antequam copiæ colligerentur, atque Danubium & Tibiscum traiecisset; nunc aliud consilium esse capiendum quando iam exercitum collegit, & apud urbem sit castrametatus, quæ castra nõ prius erat educturus ex eo agro, quàm urbe & oppido potiretur. eo responso accepto nuntius redit ad Losantium, qui nulla honesta pactione reperta, cum nollet turpem deditionem facere, ut poscebatur, statuit ad extremum usque uitæ finẽ fortiter dimicare. Turcæ uerberationem redintegrant atque amplíant, repetitisq; conatibus inuadunt, uexant, & affligunt; atque cum uiderentur tormenta Segnius agere ad duo millia operarum admota sunt cum ligonibus propugnaculo, quod ab Hispanis defendebatur, demoliendo. Ita uerò breui deuastatur ut per ruinas non ualde difficilis esset ascensus, latera & defensiones essent deiectæ & infractæ: &, ut uno uerbo dicam, propugnaculum ferè euersum. ad eius defensionem ampla & profunda excauata est fossa, in qua ita extructæ sunt defensiones ut in singulis octo sclopettarij capi possent aduersus hostes protecti. Illi cum magis studium excauandi instaret, essentq; hostes puluerem tormentarium in cuniculum inclusuri ut iniecto igne statim corrueret, tãtam glandium procellam in excauantes repente effundunt, totq; transfigunt ut imperfecto opere relicto diffugerint, neque reuerti postea quisquam ausus sit. ea ratione cum spes prorsus excidisset potiundæ urbis, ad munerum, largitionumq; promissa uentum est, cum sæpius auro uicti sint, qui uirtute & ferro insuperabiles apparuerãt. Sed cum neque hæc quidem ratio esset uisa satis habuisse uirium, aduersus oppidulum duos colles erigunt è lignis concisis qui ad decem ulnas extẽdebantur in latitudinem, eosq; ita compactos ad propugnaculũ Hispanorũ subducũt; supra quos nonnulla tormenta locant, à quibus omnino siquis appareret exiretve ad defensionem impetebatur. necesse fuit his multas

fossas ducere, per quas protecti ad opportuna loca possent procedere; aliasq; reparationes ut possent urbem defendere; quæ iam non mediocriter erat conquassata & afflicta: cum præsidia ad paruũ numerũ essent redacta. reliquiæ tamẽ præsidiorũ fortißimè ac minimè cæterorũ morte cõsternati resistebãt: quare minutis prælijs utrinq; frequenter certabatur. repetebãtur frequẽter noui turcarũ conatus recẽtibus militibus defeßis pp multitudinẽ succedentibus, qui tamen strenue reijciebantur. at multa erant quæ urbana præsidia debilitarent; duæ illæ machinæ primum, quæ mirificè siquis apertè apparuisset, infestabant. debilitas propugnaculorum, quæ aßiduæ tormentis destruebantur unà cum mœnibus ciuitatis. inopia annonæ & omnis generis apparatuum, quæ in horas absumebantur; at in castra semper afferebantur. his difficultatibus urbani cum premerentur per obscuritatem noctis duo Hispani ex urbe aufugiunt; quorum alter erat factus Turca uxoremq; & filios habebat Byzãtij, alter Maurus erat è Betica regione oriũdus. hi docent Mahomettum quo instatu sint res urbanæ. atque cum propè pertæsum esset tam diuturnæ pugnæ & obsidionis hortantur ut oppugnationem ne intermittat, uix enim fieri posse ut diutius se tueantur, cum urbs esset multis è partibus aperta: quamuis Solimanus audita tanta suorum clade nõnihil succensuerat Mahometto, iusseratq; ut copias Taurũnum retraheret. Losantius cum Mahomettus infestaret aßiduis molestijs diu noctuq; cum omnibus militibus agit de deditione, quòd se non posse diutius resistere tot tamq; aßiduis laboribus ac periculis existimaret: cum præsertim ualidißimi conatus post Hispanorum fugam expectarentur. omnes itaque milites in eam sententiam conspirarunt, ut fieret deditio præter uitam, impedimenta, & arma cæteris omnibus arbitrio hostium conceßis. Hispanorum alia fuit sententia, quippe qui dicerent esse fortunæ potius arbitrio, quàm Turcarum perfidiæ suam uitam committendam. tentandum esse noctu per paludum partem effugere, quæ essent oppidulo propinquæ: quas ubi transissent in syluas quasdam dabatur refugium, quarum opera licebat Lizisum usque incolumes accede-

accedere . id autem facillimum fore dicebant, qui Turcæ ad paludes non essent castrametati. ambiguam fidem Turcarum fecisse recentem Olimani casum, quem turcæ probè meminissent . at Losantius ita se tractaturum inquit ut omnes incolumes euaderēt, sibi permitterent negotium, quòd illud ad optimum exitum perduxisset . idcirco significat se uelle deditionē facere . petit ut liceat ad Mahomettum legatos mittere ad negotium pertractandum, quod non mediocrem lætitiam illi attulit cum de spe potiundæ urbis propè decidisset . remittit eosdem nūtiatum Losantio se ad unguem obseruaturum quod promisisset, atque duos illos legatos Turcicis tunicis aureis donatos dimittit perbenignè. Losantius has conditiones scriptas ad Mahomettum mittit, ut liceret tormenta Tibisci omnia efferre, & quo libuisset attrahere. ut præsidia armata uexillis explicatis possent discedere cum omnibus impedimētis. ut eæ custodiæ darentur, per quas in tutum omnia possent abduci . nequis urbis colonus offenderetur . nequis Tibisco discedens à suis copijs infestaretur; quæ omnia statim à Mahometto confirmata sunt iureiurando. missum est & diploma ab ipso Mahometto consignatum, & subscriptione approbatum: sic igitur ad octauum cal. Sextilis impedimenta summo mane exportari cæpta, tormenta extrahi, Losantius in acie in primo agmine cum equitibus iter capere, inter quos peditatus qui reliquus erat iter habebat armatus cum uexillis explicatis . ubi primum exire incipiunt, duo confertissima agmina instructa uident, in quibus erant ad quinquaginta hominum millia, qui iter quà transeundum erat occupauerāt. Hispani qui in postremo agmine erant collocati, uisa tanta hostium multitudine quæ transitū occupauerat, nescio quid triste in animo concipiunt, nuntiant Losantio se nolle exire, nisi agmina inde dimouerentur; quod cum Mahometto nuntiatum fuisset per caput suum iurat omnes tutò posse exire. Se idcirco agmina collocasse ut egregiæ uirtutis spectaculum ederetur, cum tam pauci tanta uirtute aduersus tantam suorum multitudinem fortiter restitissent . illi hoc responso confirmati inter ipsa agmina iter faciunt, qui uix pertransierant, cum

Tibisci deditio.

Immanitas pfidiaque turcarum.

datum est signum disploso sclopetto, ut à Mahometto institutũ fuerat. ea re audita alterum agmen tormenta cingit & primum agmen, alterum inuadit postremam aciem, atque hos ita circumuentos undique trucidant, & eos præcipue qui se tuerentur. at nonnulli uisa immanitate perfidiaq; Turcarum patiuntur se in seruitutem adduci, inter quos fuit Losantius qui ductus est ad Mahomettum captiuus. Alonsus Pereus uir singularis fortitudinis cũ expeditum haberet equum stricto gladio uel per confortissimũ agmen modo hunc modo illum uulnerans dum cæteros trucidarent illæsus ob bonitatem armorum euadit, cum sibi uiam ferro aperuisset. sic igitur currens Lizisum uersus optimi equi opera propè periculum euaserat. Turcæ partim ira, partim dedecore compulsi, quod unus inter tot armatorum millia uiam sibi gladio aperuisset, nõ pauciores quingentis cursu insequuntur: neque tamen comprehendissent nisi is ignarus itinerũ in paludem, quæ frequentes sunt in ijs regionibus, illapsus suffocatus est à Turcis captus. illi abscissum caput ad Mahomettũ propter eximiã uirtutem deferunt. quem Losantius rogatus cuius esset, ait fuisse uirum Hispanum. At Mahomettus in suo conspectu paulo post iubet Losantio caput abscindi. Hic finis fuit spectatæ uirtutis gloriosorumq; facinorũ Losantij, qui tot egregiæ uirtutis specimina ediderat; captusq; est perfidia & promissis, qui neque ulla ui armorum, neque multorum armatorum hominum millibus, neque impetu tormentorum, neque laboribus, uigilijs, peritia rei militaris ullo pacto superari potuerat. Mahomettus urbe ita per eam perfidiam potitus afflictas copias per quinque dies urbem ingressus reficit. Iubet eam muniri, ac resarciri loca quæ fuissent deuastata. Interea Carasanbessa urbs frequens & abundans, quæ commeatum Turcicis copijs suppeditauerat, dum quo tenderent res Tibisci prospiceret, uerita ne castra mouerentur ad eam occupandã, se tributum soluturum obtulit, qui hilari animo accepit propter eximiam fertilitatem regionis. Hic rerum ad Tibiscum successus cum nuntiatus esset Castalio ab Henriqueo, non mediocriter eius animum afflixit tot fortium uirorum iactura;

Carasanbessa urbs offert tributũ Mahometto.

tamen

tamen statim ad cætera finitima loca protegenda concessit. Aldana neque opportuna diligentia munienda urbe utebatur, dũ obsideretur Tibiscum. neq; per exploratores curabat scire quòd ageretur, cum illud facillime posset Demetrij Vzareuichij ducis Vsaronum uiri solertis & industrij opera, qui posset ad id munus homines diligentißimos suppeditare. Aldana ueritus Mahometti copias ad Lizisum castrametatum iri, cum neque urbs, neque oppidulum satis munitum aduersus tantas & uictrices uires appareret, facinus excogitat sceleris & audaciæ plenum, ut oppidum, & apparatus bellicos, & omnia quæ esse possent hostibus utilia, flammis absumeret, quod etiam fecit. at enim cum nuntiaretur Bassam ad eã expeditionem ut nimis difficilem non esse uenturum, cuius rei erat argumento Turco Ioannes & Bartholomæus Illyricus, qui cum mille equitibus leuioris armaturæ stationem habebãt ad quindecim millia passuum à Tibisco, unde infestarant hostes aßiduè, neque tamen ullam significationem eius aduentus ediderant, tamen Aldana in sua sententia persistit. Sic enim fit aliquando ut pertinaciam pro constantia; crudelitatem pro seueritate; pro fortitudine temeritatem plerique complectantur. atqui in rebus bellicis non facile dixerit, plura ne incommoda è timiditate an è temeritate proueniant; cũ altera opportuna tempora prodat rei præclarè gerendæ, altera neque matura quidem expectet. Aldana sua sententia cum ueteranis nonnullis Hispanis communicata paulo ante profectionem, acriter reprehenditur: non esse è dignitate Hispanici nominis, qui semper gloriam & honorem uel uitæ ipsi præposuissent, nunc committere ut neque uisis quidem hostibus turpiter fugisse dicerentur. hortantur ut recordetur quãta cum fiducia sibi ea munitio defendenda tradita sit; quantum insaniæ non ipse solùm, sed uniuersa natio sit reportatura, quæ semper gloriosè se in omnibus bellis gessisset. eum primũ ex Hispanis futurum qui timiditatis & ignauiæ argui posset. sed apud sordidum uilemq́; animum nihil ista profuerunt. eius consilij rumor cum ad aures Pauli cuiusdam Iaderensis ducis peruenisset, rogat ut in oppidulum admittatur, cũ nonnullis

Aldanæ hispani facinus temerarium & crudele.

nullis Hispanis gloriæ cupidis magis quàm uitæ, ut maturè rebus omnibus prouideri posset, quod ipsi essent oppidum defensuri. his respondet Aldana se opportunè admissurum. at milites Iaderensis neque ipsi quidem se includi in oppidulum passuri dicebantur, nisi annonæ & apparatuum copiam cognouissent, quod ubi perspectũ est satis magnã esse rerũ omnium copiã omnes iurarunt se Lizisum nõ prius relicturos, q̃ Turcæ discederent. tum rursus Aldanam adit Iaderensis, monet se non esse discessurum, neque suos tantum proditionis aduersus Ferdinandum uelle moliri, qui oppidulum aduersus Mahomettum essent defensuri. initum est consilium ab Hispanis, quibus magnus error uidebatur committi, si ita ut uolebat Aldana discederetur. alijs indignum uidebatur repugnare magistri castrorum mandatis, accesserant ad decem carrorũ millia Lyzisum eorum Pannonum & Rhatianorum qui metu turcarum Aufugerant cum filijs & uxoribus ad Tibisci tutelam in Transyluaniam transituri, qui in morem castrorum in planitie sub temporis apud Lizisum constiterant. Tibisci urbis successum expectantes. Sed neque horum preces, neque militum Germanorum aut Pannonum nuntij, qui se non securos profitebantur, hunc ab instituto possunt dimouere: neque exploratum missi an acies Turcarum iter ceperint Lizisum uersus, illud renuentes. quare omnes tormentarij negotij magistros ad se accersiri iubet. imperat ut uniuersa tormẽta puluere tormentario, quantum capere possent, implerent, ut disrumperentur. reliquum puluerem intra turres includerent cauas, ut eas cum uisum esset demoliretur & euerteret. at postridie eius diei sub auroram mittit ad Iaderensem ut Lizisi portam aperiret, quo carri extraherentur sua suppelectili onusti. sic Hispani paulatim iter capiunt. tum iubet magistros tormentorum ut ignem pulueri tormentorum & oppidi adderent, qui tanto studio timoreq́ faciunt ut nonnulli concremati et occisi suffocatiq́ sint. collapsæ sunt turres quæ à frõte ingressus oppiduli erectæ fuerant, disrupta tormenta, alia liquefacta. oppidum & urbs pluribus è partibus incensa. at urbis ciues lacrymabundi tantum infortunium, quantum attulerat

Lizisi oppidum, & urbs sibi credita cõcrematur ab Aldana Hispano.

tulerat timor Aldanæ deuitantes uxoribus & filijs & rebus preciosioribus carris impositis iter capiunt quocunque fors tulit. Aldana Transyluaniam uersus proficiscitur magna diligentia, cuius tamen multi milites ob damnum Lizißo illatũ ab aggrestibus è superioribus locis cædebantur, cum ad colles uentum esset. Bartholomæus Illyricus dux uisis flammis Lizißi dum distaret ad octo miliaria cum equitatu eò accurrit, auditaq́ ratione incendij, & lacrymabili urbis calamitate curauit ad quindecim tormenta ex incendio seruata in oppidulum contrahi cum cætera omnia euersa essent & desolata. tũ quia urbs esset deserta partes intactas cõcremauit ne hostibus essẽt utiles, totumq́ successum Castalio nuntiatũ misit, qui deuastationem omnibus execrabilem & Hispanis præcipuè iam ante perceperat: qui maximè ad se pertinere arbitrabantur Lizißi infamiam, quam Hispanus homo excitasset, propter quam etsi erant uiri fortes, tamen præter ius ab uniuersa prouincia male audiebant. Castalius quamuis eam munitionem uiribus hostium resistere posse arbitrabatur, per cuius iacturam ueniebat in periculum totius regni exercitus & existimationis amittendæ, tamen immotus perstitit aduersus tantarum rerum magnitudinem, neque ullum timorem præ se tulit. monet Ferdinandum Regem alterius culpa patefactum esse aditum in illud regnum, quod non posset nisi ualidis copijs defendi. postulat ut ad dimidium copiarum hostium saltem suæ uires accederent. nuntiatum mittit Roderico & Andreæ ducibus missis ut Tibiscum ingrederentur eam calamitatem, iubetq́ Andreã Lopeum ad Deuam oppidum munitißimũ eius regionis post Lizißum cum sua cohorte ingredi, maximiq́ ad res bellicas momenti; quippe quod esset in ingressu eius regni. idem ut faciat imperat Aldanæ, ut cum copijs Lizißo adductis esset Deuæ donec aliud esset institutum. Castalius itaque ubi regni rebus consuluisset ut potuit cum Vaiuoda Transyluaniæ Seghesuar uersus contendit, atq; inde peruenit Sassebessam qui est umbilicus ꝓpè regni, urbi munitionibus instaret in cœptis, in quibus præsidia erat aduersus castra Mahomettana positurus, cum in aperto non posset consistere propter debilitatem uirium

Castalius Lizißi desolatione audita munitionibus instat aduersus Mahomettũ

uiriũ. rursus literas dedit ad urbes Trãsyluaniæ ut nouæ copiæ colligerẽtur; sed uix sexdecim peditũ millia collecta sunt. accedunt in castra Castalij per id tempus mille cataphracti equites cum alij quingenti cum Marchione Sfortia Palauicino essent, qui tria Germanorum, ac totidem Italorum cum nõnullis turmis equitum Pannonum adducebat & nonnulla tormenta. in eo itinere quod breuius est è Pannonia in Transyluaniam proficiscentibus erat oppidum Turcarum, quod ab incolis Drigal uocabatur, quod erat impedimento ne copiæ, aut cætera copijs necessaria in eas regione importarentur. Ferdinandus iubet Sfortiam Marchionem illud ex itinere occupare. at Castalius qui sciret quàm esset munitum aduersus tam paruas copias, hortatur Sfortiam per literas ne illud negotium tunc susciperet priusquam ipse coniunxisset; cum ambo coniũctis uiribus illud facere possent, quod non potuisset quisq; seorsum. Quòd periculosum esset ne ipse profligaretur, si Bassà Curtæ suppetias tulisset obsessis. hortatur ne omnino prælium committat, quia non ita postulat rerum præsentium status, ut copiæ fortunæ arbitrio committantur. Scripsit etiam ad Ferdinandum Regem ut inde castra mouere Sfortiam pateretur, atque castra coniungere, cum res maiores quàm oppidi expugnatio instarent. Sed neque à Ferdinando neq; à Sfortia Castalij consilium fuit probatum. Mahomettus qui auditis præsidijs Hispanorum, Pannonum ac Germanorum Lizisi illã urbem tentare non audebat, ubi cognouit ab Aldana desertum fuisse, omniaq; concremata, eodem die quo Illyricus tormenta contraxerat ad eam explorandam mittit. Turcæ quia uidissent incendium parum nocuisse illis partibus, quæ nuper essent munitæ, incendium extinguere conantur. nuntiant in castra propugnacula stare adhuc quamuis oppidulum esset cõquassatum, omniaq; facile posse restaurari ac resarciri. eo nũtio accepto statim Cassumbassam mittit cum quinque equitũ millibus ut oppidum urbemq; ingrederentur, qui è uestigio exploratum misit Solimos oppidum paruum, at natura loci & arte ita munitum ut inexpugnabile uideri posset, cum neque inuadi neque tormentis ulla ax parte posset diuerberari.

Mahomettus Lizisũ restaurandum iubet

& tan-

& tantum annonæ apparatuumq́; bellicorum haberent intra oppidum, quantum uel in biennium posset sufficere. putabat enim Turca se plus laborum quàm uellet eò subiugãdo habiturum. Sed quoniam euẽtus rerum fortunam sectantur quocũque inclinauerit, erat in eo oppido manipuli præfectus Aldanæ miles cum uiginti & quinque Hispanis ac centum Pannonibus; qui cognito aduentu Cassumbassæ, qui Lizisum occupauerat, ueritus ne ad oppidi expugnationem properaret, decernit oppidum fortunæ arbitrio committere, quare omnes hortatur ut exeant; qui & præteritis rebus, & imbecillitate animi sui præfecti perculsi, illi parendum esse statuunt. quis enim saluum esse oppidum posse censuerit, quem duces & superiores magistratus non audeant defendere? accesserant per id tempus ducenti equites Turcæ ad petendũ ut se oppidani dederent, qui inuento oppido aperto potiuntur, quamuis aliquid subesse insidiarum primum uerebantur. at cum intelligerent fieri non posse ut præsidia procul abessent, magno studio insequuntur, comprehensa in morem pecudum trucidant præter præfectum quem captiuum ad Cassumbassam adducũt. sic enim factum est ut suæ timiditatis satis condignas pœnas persoluerint, cum timidis omnia calamitosa, & erumnæ & pericula immineant, fortitudo non solum auertat, sed etiam conuertat in hostem. Castalius castra habebat adhuc Sassebessæ, prospectabatq́; quò aspirarent Mahometti consilia, qui adhuc morabatur Tibisci, cum non auderet inuadere Transyluaniam quòd intelligeret Castalium habere magnas copias, & in dies supplementum accessionesq́; uirium expectare. neq; enim facilem fore exitum si semel ingressus esset. eius timoris causa fuit prudentia Castalij, qui cum Battore et Nadasdo eo actu usus fuerat ut exploratores deciperet. quòd quotidie tãquam nouæ copiæ ueteres censebantur. agmina & Phalanges oblongæ instruebantur ut maiores apparerent. magnæ fiebãt salutationes militares tormentis displosis & sclopettis, ut nouæ copiæ accedere uiderentur. latè castrametatus fuerat, ne uiderentur magnæ copiæ intra paruum spatium posse capi. rumor dissipatus fuerat quòd Mauritius cum uiginti millibus

Cassumbassa Solimo destituto potitur, & presidia abeũtia trucidat.

Castalii solercia, & dolus militaris.

hominum accederet, & aliquando quòd ipse Ferdinandus cũ innumerabili exercitu. Quæ cum deferrentur ad Mahomettum, eaq; uera esse posse subdubitaret, erat animi dubij quid sibi esset agendum. at fit certior Castalius quòd statuerat aliquando repente Transyluaniam inuadere, primamq; aciem præmittere uigintiquinque millium equitum cum legato Belerbeio Græciæ, ad quem nuntium statim Castalius cum peditatu & cataphractis equitibus ad eũ locũ aditũq; impediendũ concessit, relicto Battore cum omnibus copijs eius regni in ijsdem castris, ut concitatam existimationem sua prudentia reseruaret. decreuitq; cum hoste confligere si facultas concederetur. quod etsi periculosum erat, tamen prudenter factum iri uidebatur, quoniam uictor omnino Mahomettum à Trãsyluania repellebat. at uictus non minorem exercitum præsenti Turcarum erat à tergo habiturus. locum inter Deuam & Sassebessam ad electionem castrorum explorat, quem peraccõmodatum ad muniendum cognoscit cum multis commodis, quia peditatus posset aptè in placidis collibus castrametatus equitatui Belerbeij imminere. Deuæ locantur copiæ Helfestaini, & duæ Hispanorum cohortes, & equitatus Battoris, qui uno tempore postremum agmen adorirentur; cum ipse ita castrametatus esset ut in latus posset inuadere. ea etsi ita fuerãt à Castalio instituta, & cum cæteris ducibus communicata, tamen irrita fuerunt, quia Mahomettus in Pannoniam contendit, quia si potiretur ijs munitionibus uidebatur Transyluaniam facilius occupaturus. non enim exercitus ita facile fortunæ arbitrio committendus uidebatur, quod sibi uidebatur facturus, si in eam Prouinciam conaretur ingredi: quod tamen facillimum erat cum paruas omnino copias Castalius haberet; quã nullo propè negotio occupasset. sed tanti est prudentia in rebus militaribus, ut unius Imperatoris ingenium & astutia sit pro multis armatorum manibus. Achmetus Bassà Curtæ quòd intelligeret Drigal oppidũ arctissimè à Sfortia & Erasmi Tafelis copijs obsideri ac diuerberari iam multos dies, statuit suppetias ferre obsessis, iusso itaque omni equitatus finitimo in unum locum conuenire ad quindecim millia

Belerbeio Transyluaniã inuadenti Castalius obuiã concedit.

Drigal oppido à Sfortia obsesso Achmetus Bassà fert suppetias

lia equitum colligit: atque iter faciens sub auroram propinquus ad castra Sfortiæ peruenit, missisq́ quingentis equitibus in primo agmine, facit ut in castris Sfortiæ ad arma cō clamaretur; ipse cum reliquis copijs ad alterum latus oppidi nemine prorsus sentiente penetrat, ut si forte Sfortiæ copiæ exirent è munitione in suos equites illas à tergo adoriretur. equitibus ad Sfortianos profectis totis castris ad arma conclamatum est, ad quem strepitum exeunt milites è fossis, suasq́ Phalanges instruunt repente, atque in acie constituti leui prælio commisso ita certatur ut Turcis maiori ex parte trucidatis coacti sint equites refugere. Sfortiani rati uictoriam penes se esse alij fugientes relicto ordine insequuntur, alij cæsos spoliāt, alij equos cæsorum corripiunt. at Achmethus arrepta quam optauerat opportunitate tanto impetu Sfortianos inuadit; ut equitatus uiolentiæ tanquam rapidissimi flumi cedere cogerētur; tum quod essent sparsi nullo seruato ordine, tum etiam quod nullos haberent aggeres aut fossas à quibus protegerentur. prima impressio fit in tria millia peditum Germanorum Erasmi Taifelis, qui maiori ex parte trucidati sunt. at Sfortia qui armatus constiterat ante Italorum agmen, quia uideret uniuersum equitatum & cataphractos in fugam uersos, atque Germanos fusos & trucidatos esse, noluit reliquias copiarum fortunæ arbitrio committere, sed in tutum adducere, statuitq́ finitimam syluam occupare. eius consilium cum optimum esset, tamen optimè perfici non potuit; quoniam Achmetus iter occlusit, & ad necessariam defensionem compulit. instructis igitur suis in acie ut temporis angustia ferebat illos ad bellum hortatus in magis periculosa acierum parte præliū committit. Sed uix cœptum erat certamen cum Sfortianæ uires propter hostium multitudinem ita infringuntur, atque aperiuntur ut coniungi non amplius possent ulla uel hortatione uel precibus uel minis. multi cohortium præfecti relictis suis cohortibus Turcarum arbitrio arreptis equis, quos cuique fortuna obtulisset. summo studio è castris certamineq́ diffugiunt, honoris, decoris militaris, salutisq́ suorum prorsus obliti. Sfortia ita à suis destitutus gloriosiorem honestam mor

Turci trucidantur à Sforcianis

Germani profligantur à Turcis.

tem turpi fuga existimans se fortissimè tuetur, quòd putaret solam uirtutem posse spem salutis afferre, quæ uel uiuos defendit, & apud hostes etiam barbaros suum locum obtinet, uel certè diuturniorem uitam in animis posterorum post mortem conseruat. pluribus itaque uulneribus acceptis non prius se circunstantibus dedidit, quàm pluribus occisis ac uulneratis dexteram uulneratus ensem amiserit & corporis robur propter copiam sanguinis. captus igitur abductus est ad Achmetum ut uir insignis uirtutis, & ab eo honorificè tractatus. ceciderunt in eo prælio uiri insignes complures, atque inter hos Vacnaensis episcopus, Hippolytus Pallauicinus, Bambinus Carpensis, Marius Tybartinius, Albertus Castrensis, Vincentius Antinorius Florentinus duces captiui abducti. Erasmo Rostio captiuo abducto Byzantium caput abscissum. ea uictoria potitus Achmetus prædam omnem & Sfortiam captiuum Curtam adducēdum curat; ipse cum suis uictricibus copijs à Mahometto accersitus in castra procedit: quod accidit ad quintum idus sextilis. Henricus Gallorum Rex interea Diuoduro potitus accedit in castra, hæc ciuitas est in ampla planitie sita non ualde procul à montibus ijs, è quibus ombriçus fluuius delabitur planitiem irrigans, qui in duas partes diuisus per aliquantulum spatij Diuodurum cingit cum maiori parte, ac postea duas paruas facit insulas. alter ramus ubi in planitie paruam insulam & ipse fecit propinquus urbi defluit; atque aliam paruam insulam facit inter Zilnum & Disinorum uocatos pontes miræ pulchritudinis qui ambo septem habent testudines arcuatas. Hæc urbs plena est multis Magnificis sumptuosisq́ ædificijs, & opulenta propter mercaturam, ob agriq́ bonitatem rerum omnium feracissima, cui mirifica quædam accedit commoditas importandi uel è lōginquo commeatus propter copiam fluuiorum, ac propinquitatem. reliquerat autem Genuillæ firmissima præsidia, secumq́ adduxit quadringentos cataphractos equites, & nonnullas peditum cohortes; atque tertijs castris Tullum peruenit, quæ urbs oblatis in itinere clauibus eum Regem cum magna pompa excepit, cum multis tubis præcedentibus Araldis uoca

Sfortia captiuus ducitur Achmeto Bassæ.

Diuoduri urbis descriptio.

Tullū vrbs Hērico se dedit.

tis qui sunt regij satellites & apparitores. Rex ipse armatus in morem cæterorum principum populo comitante sub umbella ad maius templum cum magna solennitate accedit, quem sacerdotes cum sacratis preciosis indumentis pro templi foribus expectabant. Ibi cum Rex iurasset magistratibus urbis præsentibus se illi urbi pristinam & antiquam incontaminatamq́ libertatem seruaturum, templum ingressus est, atque post preces pias in palatium episcopi excipitur ad conuiuium & hospitium. Postridie eius diei cum nuper castra auxisset Cartellus Germanus nonnullis cohortibus & tormẽtis, relictis ibi in præsidijs tribus cohortibus Gallorum peditum Nansium uersus iter capit. Est autem Nansium oppidum Belgarum in amplissima planitie situm, peramœnum, ac natura & arte ualde munitum, quod distat à Tullo ad uiginti & quinq; millibus passuum. eò aduenit dux Lotharingiæ puer, quem Valdemontius multis comitantibus proceribus deduxit. Sic Rex sub umbella ut à Tullensibus fuit exceptus. Mox ubi Nansio, & uniuerso illi principatui Valdemontium præfecisset, puerum ducem ad primogenitum suum non sine aliqua matris molestia mittit: deinde Rex Diuodurum, ubi à suis copijs expectabatur, contendit: eò profectus iubet copias censeri, quæ diuisæ distributæq́ sunt in duas Phalanges. in una sexdecim ueteranorum tironumq́ Gallorum peditum erant millia, inter quos ad octo armatorum thoracibus & sarissis millia cũ breuibus sclopettis, alij sclopettarij. alia Veteranos & Tirones Aquitones habebat, ex auernis, cantabris, prouincialibus, cæterisq́ populis è regionibus Petricoriorum collectis: in qua septem erant thoracibus & Sarissis, at tria egregiorum sclopettariorum millia. tertia Phalanx nouem habebat millia hominum eiusdem rationis. erant à latere mille & quingenti cataphracti, cum suis sequacibus equitibus breuesq́ sclopettos habebant. leuioris armaturæ equitum aderant ad duo millia, & mille atque quingenti sclopettarij in equis: belgæ equites præterea quadringenti. Cæsariani Teonuilla cum expeditis equitibus interea egreßi pueros & impedimenta Germanorũ capiunt: quo tempore Henricus cum magnificentia quadam

Nãsij belgarum oppidi descriptio.

Henrici exercitus censetur.

propè

Henricus Diuoduru sub umbella ingreditur.

propè incredibili sub umbella Diuodurum ingreditur comitãtibus omnibus eius urbis magistratibus . ubi ad hospitum uẽtum est ait se illa præsidia in urbe reliquisse non ut eos pristina libertate priuarent, sed ut & aduersus hostes protegerent, & quia uereretur ne hostes si essent illa urbe potiti suum regnum inde commode infestarent. Iubet pronuntiari fieriq́ edictum regium nihil ut per uim extorqueretur sub capitali pœna, sed omnia coemerentur. exierant è castris cohortes nonnullæ sclopettariorum & leuioris armaturæ equites ad prædam illam superius dictam recuperandam, cuius nonnullam partem recuperant, sed cum tardius exijssent ita Cæsarianos insequuntur, ut se urbi Teonuilla ostentarint, quare Hispani & Sequani egressi leue prælium committunt. Henricus sito Diuoduri diligenter spectato iubet euersis nonnullis ædificijs illud muniri, fossamq́ duci peramplam ad eam partem quæ montem prospectat. hinc postea discessurus legatum reliquit Franciscum Ghisium reguli fratrem cum duodecim uexillis Gallorum peditum, duobus cataphractorum, ducentis equitibus leuioris armaturæ, & ducentis equitibus sclopettarijs; qui secum illustres proceres multos habuit, Condæum, Vandomium, Neomagium, Horatium Farnesium, Memorantium conestablij filium, Petrum Strozzam, aliosq́ complures. Nuntiantur Hẽrico res à Mauritio aduersus Cæsarem gestæ, urbibus Augustæ & Alcimenio & cæteris Germanicis libertatem restitutã. magistratus à Cæsare institutos à Mauritio abrogatos. Cæsariana præsidia ex ijs urbibus eiecta. Cæsarem ipsum è Germania profugisse. fœderatorum exercitum apud urbem Arespurgum nihil aliud nisi ipsum Regem expectare. At Henricus Memorantium iuniorem & Ringrauium & Viliardum comitem mittit spectatum quo in statu res sint; quia perlatum fuerat Romanorum Regem placasse Mauritium ac propè in suam sententiam traxisse: ipse cum exercitu Germaniam uersus iter capit. neque ita multum progresso nuntiatum est Mauriticum copias dimittere, atque conuenisse cum Romanorum Rege. Henricus nihil eo nuntio retardatur, sed ad Rhenum fluuium urbemq́ Visburgium peruenit. ibi nuntiatur Maria

Henricus audita Cæsaris fuga Germanã uersus iter capit.

Regin.

Regina collectis multis Belgarum Germanorumq́; copijs Satanum occupasse in ripa Mosæ uocati fluminis, quo tempore redit in castra regia Lansacius missus ad Mauritium. significat Mauritium clam cum Cæsare conspirasse respondisse se non posse perficere quod promiserat, quòd sibi esset militandũ Ferdinando aduersus Turcas. eius ducis perfidia cognita, quem tantis opibus uocatus rex iuuerat, Henricus copias retrahit, quæ diuisæ sunt trifariam ut commeatus facilius exciperetur, dum suppetias ferret maritimis partibus inferioribusq́; Belgis quas Picardiam uocant. interea Maria Regina Martinum Rossemium Maresciallum Menapium cũ tribus millibus & quingentis Menapijs & Sicãbris quingentisq́; equitibus iubet in principatum Lencorum descẽdere, ubi iussus fuerat comes Masfeltius, & alij insignes proceres quotquot possent uiribus collectis copias coniungere, qui omnes ad quindecim millia peditum, tria equitum collegerant. At uero Anibaus Amiras, quem Rex cum exiret in castra regno præfecerat, cum esset Catalauni, quæ urbs est apud Matronã fluuium in regione Suessonum, collectis & ipse uiribus, quas potuit, finitima loca præsidijs muniuit. Rossemius & Masfeltius trans Mosam fluuium per pontem Sateni trangressi Frãcam oppidum conantur occupare. Sed cum egregiè esset munitum, Briolam oppidum petunt situm in ripa eiusdem fluminis, quod incendijs absumunt. tum capto Bolandra oppido nonnullas peditum cohortes ibi relinquunt ad eos protegẽdos qui commeatum afferrent. inde digressi multa Suessonum castella populantur. Sed ubi nuntiatum esset Amirantem magnas copias collegisse, atque Regium exercitum redeuntem in eam regionem propinquare, Satenum redeuntes Bolandram etiam incendio absumunt, seq́; in oppida munita recipiunt. Henricus ut hos repentino aduentu opprimeret magnis itineribus contendit, sed ubi nuntiatum est eos sese in munitiones recepisse, decernit Lencorum principatum adoriri; atque copias ducit ad arcem Marsum uocatam sitam in ripa ombrici fluuij inter Treuam & Teonuillam, ubi placidus surgerat collis, natura munitam, non tamen quæ & tantis uiribus posset

Henricus percepta Mauritij perfidia in Picardiam reuertitur

Regina Maria copias colligit, & loca munit.

Masfeltius suessonum castella populatur.

set resistere. ad eam arcem multi nobiliores homines confuge rant, quia putabant fore, ut Henricus Rex ad obsidendam ur bem Teonuillam recta contenderet, neque tam cito ad eius ar cis expugnationem aspiraret: qui tamen eò primum accessit quia magna annonæ copia esse diceretur. cum Gallicæ acies sese huic oppido ostentassent, neque tamen oppidani ullum deditionis consilium præ se ferrent, imperat arcem ab ea parte quæ collem prospectat octo muralibus tormentis diuerberari, apeririq́; ingressum ad inuadendum. prostratis apertisq́; muris per satis amplum spatium Galli arcem in acie inuadunt, certatur acriter ab oppidanis, qui tandem Gallicis uiribus cedere sunt coacti; & oppidum ui captum: cum uero iam direptionibus & rapinis uexari cœpisset Lantgrauius tribunus militum Germanorum locum petit suppliciter à Rege incolumem esse, quòd affinitate coniunctas mulieres ibi haberet, à regia benignitate facile impetrauit. ibi relicti sunt ducenti Aquitani pedites, & centum equites leuioris armaturæ ad uexandam Teonuillam, quoniam peraccommodatus locus ui deretur, iussaq́; est refici & restaurari pars oppidi prostrata. Itum est ad montem Diui Ioannis oppidum paruum, quod & ipsum, & Soliura, & pagi complures finitimi diripiuntur: atque cum minuta certamina à præsidijs Teonuillæ excitarentur, quæ paruifacere uidebantur uires Gallicanas, itum est ad eam urbem cum totis castris obsidendam. erat iam ad obsidendam urbem profectus Anibaus Amiras cum tribus Heluetiorum millibus, & militibus Suessionibus, quibus copijs impedierat subsidia quæ è finitimis locis mittebantur, ita ut non possent tutò adire. præerat urbi Marsi dux Cæsaris nomine qui leuibus prælijs conabatur Gallos diuertere ab attrahendis tormentis. Sed cum nihilominus muri deiecti prostratiq́; fuissent in duobus locis, iam inuasuris Gallis ciues deditionē faciunt suis uiribus diffisi. deditionis conditiones hæ fuerunt ut priuati milites liberi sed inermes exirent. ut ciuibus parceretur, ut duces fierent captiui. ita Henricus ea urbe per deditionem in fidem accepta ad obsidendum Inodium castra mouet, quod oppidum est & ipsum Suessonum eius regionis quā campa-

Henricus Marsum arcem ui capit.

Teonuilla vrbs ab Hērico obsidetur, & quatitur.

campaniam uocant, munitum atque situm sub monte; cui ex altera parte mons imminet, ex altera spatiosam habet planitiem, per quam cessa fluuius ignobilis ita uocatus defluit atque Danuillerium siue Danuillam usque delabitur, quo in oppido erat comes Hernestus Masfeltius. erant in eo oppido ad tria millia peditum partim Menapiorum, partim Germanorum, partim Sicambrorum, multiq; Sequani. equites leuioris armaturæ quingenti, cataphracti centum. atque hi frequenter excitabant leuia prælia. isti magno erant impedimẽto quo minus tormenta possent dirigi, quæ tamen opera & beneficio corbium directa sunt in duabus partibus, ubi muri debiliores sunt uisi, lateraq; imbecilliora. in ea parte collis quæ erat superior, sex colubrinæ locantur, quæ uias urbis infestarent, & eos deturbarent, qui inferiorem uerberationem conarentur impedire. deiectis itaque non ingentibus murorum spatijs præsidia urbana uidebantur conatum Gallorum minime excepturа. at Masfeltius cum frustra rogaret hortareturq; suos ad pugnam, grauißime tulit propter timiditatem ignauiamq; suorum urbem ipsam in potestatem hostium uenire. statuit igitur sibi fore honorificentius si inuitus uenisset in hostium potestatem, quàm si lubens tam timidæ fœdæq; deditioni assensisset. Milites eo inuito se dedunt per easdem conditiones, quibus accepta sunt Danuillerij præsidia. egreßis his inermibus omnis generis præda concessa est Conestablio, qui cataphractis equitibus eam largitur. sed quoniam duarum non prorsus ignobilium urbium præda & impedimenta ita fuerant concessa, Galli paulatim exire è castris eius militiæ pertæsi, quia communes labores pro uirili subirent, at præmia nõ pro laboribus aut periculis sed pro gratia & amicitia & beneuolentia concedi; cum nihil aliud priuati milites è bellis uictores reportent, quàm prædam & spolia cæsorum hostium. Masfeltius qui in potestatem regis uenerat Lutetiam adducitur, post cuius discessum Henricus inde castra mouet. Monmedum oppidum in deditionem ostensis tantum tormentis capit. præsidia per pactiones ex oppido explicatis uexillis ad profectionem cum armis & impedimentis exeunt. Hac omnia castella, &

Teonuilla per deditionem accepta Iuodium tormentis cõcutit.

Milites Masfeltio inuito se dedunt.

Masfeltius Lutetiam captiuus ducitur.

Oo essent

Sedanus regio auxilio principatum iam 300. ann. amissum recuperat.

essent magni momenti ad res bellicas, firma præsidia accipiũt, & reficiuntur partes collapsæ, atque muniuntur. Sedanus Regulus interea, ad quem principatus Bulionius amissi per antiqua bella à maioribus, pertineret, Regia auxilia postulat ad suum principatum recuperandum, nonnullisq́; tormentis acceptis, & tribunis peditum & satis ingenti equitatu primum oppidum Bulioniũ munitissimum expugnat, deinde breui uniuersum principatũ recuperat, iã trecentos & amplius annos à suis maioribus amissum. ea dum fierẽt à Sedano Lumes uocatũ oppidũ ꝙ exulũ Gallorum & latronũ esset receptaculum regis iussu Solo æquatur quamuis esset munitissimum, & rebus bellicis non inutile. Vt uerò Cæsar pluribus è partibus infestaretur, & uarijs bellis & molestijs uno tempore distringeretur, Henricus pacem per legatos composuit cum Solimano Turcarum principe mense Quintili, qua confirmata Solimanus adpromittit liberaliter aduersus Cæsarem omne auxiliorum genus. at Henricus ut uires Italæ Cæsaris in defensione oræ Italicæ occuparentur impetrat classem Ottomanicam ad mare Tyrrhenum, & magnæ Græciæ littora, & uniuersam propè maritimam oram Italiæ infestandam. Magna trepidatio ex ea re nata est Neapoli, quòd illud regnum per id tempus non satis esset præsidijs instructum; cum sciretur etiam Salernitanus princeps, qui nuper ad regiam tutelam confugerat, multos habere coniunctos in eo regno plurimũq́; posse autoritate & gratia. Cæsar ueritus ne illud aliquid detrimenti rebus suis adferret, multas Germanorum cohortes ad uexilla conuocauerat, curaueratq́; Genuam & ad oram Ligusticam conuehendos ad eius regni præsidia. Prosequebatur odio Toletanus hunc principem causa legationis Neapolitanæ, qua functus fuerat apud Cæsarem in tumultibus ad religionem spectantibus, per quam opportunitatem grauiter inuectus fuerat in ipsam seueritatem & acerbitatem Toletani. Idcirco hunc Toletanus postea grauibus criminationibus apud Cæsarem onerauerat, scripseratq́; periculosum esse propter eximiam autoritatem ne quid noui moliretur ubi redijsset. Idcirco Cæsar eum diu apud sese in Germania detinuerat,

Lumes oppidum solo æquatur.

Henricus Solimani classem fœdere sibi adiungit.

rat, & cum in Italiã denique rediſſet illi dicta eſt dies apud Toletanum, quò cum ad præſtitutum tempus non apparuiſſet, principatu priuatur. quamuis autem ad Cæſarem eſſet Iturus, quia ſuſpectum haberet iudicem Toletanum diſſuadentibus amicis ob Toletani potentiam primum Venetias, deinde in Galliam confugit, atque à rege fuit perbenignè acceptus, ſtipendiaq́; honorifica meruit. Claſsis Turcica ſub finem Quintilis traiectis Caietæ finibus ad littora Tarracinæ peruenerat, ibiq́; Gallicam claſſem præſtolabatur, neque uidebatur ulterius progreſſura propinquante Autumno, cũ Dragutus nollet in hybernis eſſe in partibus occidentis. Auria etſi ſciebat ſe uiribus longe inferiorem eſſe Turcica claſſe, tamen conatur Germanicas cohortes oræ Liguſticæ exponere, & Neapolim concedere, cum iſtud fieri Cæſar ſumma induſtria iuſsiſſet, ne ſua negligentia regnum illud amitteretur. Idcirco decernit uel contra ſuorum ducum conſilium procedendum eſſe, atque primùm centumcellas, deinde Hoſtiam applicuit. eò profecto nuntiatur Turcicam claſſem eſſe in duas partes diuiſam, cuius altera pars erat apud montem circellum, altera apud inſulam Pontiam quæ iacet è regione ferè Tarracinæ urbis in mari Mediterraneo. nam tametſi duces Auriæ conſulebant iter habendum eſſe in altum, tamen Auria malluit iter facere inter montẽ circellum & Pontiam eius ita diuiſæ claſsis opportunitate fretus. emiſsis nonnullis aquatum cum annona turba nautica refecta auctaq́; fuiſſet ſecundo uento uſus noctu centumcellis diſcedit. Dragutus certior factus de nauigatione Auriæ exiſtens ad montem circellum commonefacit duces ac trierarchas, qui eſſent in inſula Pontia, quo in ſtatu res ſint. Auria cum iter faceret medius intercipitur, atq; prima acies ſe egregiè defendit. ita oppugnata eſt utrinque claſsis Hiſpana, ut multis trucidatis ueritus Auria, ne, ſi procederet, de omnium ſalute iacta eſſet alea, coactus ſit amiſsis ſeptem triremibus recedere, quæ captæ ſunt non ſine multa contentione. captiui Germani omnes, & plerique è cæteris ad tranſtra ſunt cathenati, reliqui in miſerrimam ſeruitutem abducti. Henricus dum claſsis Neapolitanis finibus propinqua

Princeps Salernitanus principatu priuatur.

Claſſis turcica ad littora Tarracinę peruenit.

Auria Neapolim claſſe contendit.

Certamen nauale.

ret Salernitanum principem miserat in Italiam, ut cum Purpuratis antistitibus Ferrariensi ac Turnonio, reliquisq; Gallicæ factionis ducibus de rebus bellicis consultaret. Qui cum uenisset ad bellica comitia ad Fossam clodiam, qui pagus est non procul à Venetijs Venetorum Imp rij, mox per fines Heluetiorum redit in Galliam. Rex accepto nuntio quòd classis Turcica in mari Tirrheno nauigans uniuersa littora Italica trepidatione & metu repleuisset Salernitanum iubet ire Massiliam ut Regia classe obuiam Turcicæ procederet. Sed postea pugna ad Pontiam nuntiata feliciter à Draguto gesta fit certior Turcam post expectatam diu frustra classem Gallicanam, quia tempus anni iam instaret ut intra suos fines se reciperet, præda onustam multisq; captiuis orientem uersus nauigare. Salernitanus ipse summa diligentia usus eam classem abnauigantem sequitur, neque prius à sequendo cessatur, quàm peruentum est Byzantium, ubi honorificè à Solimano acceptus fuit in hybernis atque classem in annum sequentem impetrat. Castalius ex alia parte cum infeliciter ad Drigal oppidum à suis esse pugnatum audisset, rem, ut par est, ægrè tulit, tamen in tantis infortunijs nullum metum, nullum mœrorem, nullã iacturam propè factam esse uultu fingit, ne consternarentur ducis mœrore animi militum. Sfortia Curtam captiuus adducitur, qui ubi à uulneribus conualuisset quindecim millibus nummûm redimitur Achmetus ad Mahomettum accedit iam iam Pannoniam inuasurum, quod fiebat subfrigidè, cum sibi satis fecisse hoc anno uideretur, quòd Tibiscum & Lizisum urbes multaq; castella cepisset. Veruntamen Achmeti adhortationibus incitatur ut inuaderet Transyluaniam, quòd diceret plerasque urbes territas superiorum iactura & Palauicini clade ultro ad deditionem uenturas ubi tantum arma Turcica se illis ostendissent, ad quod etiam non mediocriter adiuuabant Ferdinãdi occupationes & Germanici tumultus, quæ opportunitas omnino non esset transmittenda. quòd præter equitatum & peditatum amissum, qui ita facile non posset reparari, summa laboraret inopia rei pecuniariæ: quæ uel una res posset optatissimam opportunitatem ad urbes occupandas,

Sfortia Palauicinus profligatus Curtam captiuus ducitur.

pandas, multamq́; prædam diripiendam offerre. Mahomettus quòd hæc probabilia uiderentur, signa ad profectionẽ conuellit, quantaq́; potest celeritate Zanolchum oppidum cũ omnibus copijs petit, quod à Ferdinando fuerat à fundamentis extructum propter situs commoditatem, & non mediocriter omnibus rebus ad defensionem necessarijs munitum. est autem in ripa Tibisci fluminis, atq; in opportuno loco ad reprimendas frequẽtes Turcarum incursiones. quem situm Solimanus etiam elegerat ad istud ipsum negotium, nisi præuenisset Ferdinandus ob amœnitatem loci. erant in eo oppido quinq; altissima propugnacula, quæ ex altero latere Tibisco fluuio alluebantur, ex altero fluuio mediocri Zagiua uocato, fossamq́; habebat prealtam plenam aqua fluuiali. atq; tantæ erat amplitudinis oppidum ut commodè possent quatuor hominũ millia in acie consistere ad defensionem. Ferdinandus & præsidijs, & bellicis tormentis, & annona, & bellicis omnibus apparatibus in multos annos hoc oppidum tanquam inexpugnabile ulla ui armorũ munitum tenebat. habebat etiam ibi quinquaginta oblongos lintres non minus ad pugnam, quàm ad uoluptatem piscationis accommodatos. erant in præsidijs eius oppidi quinquaginta Hispani, centum Bohemi, ducenti Aiduchi, trecenti Germani, & ducenti equites Pannones, quæ erant ordinaria oppidi præsidia. Castalius, etsi uidebat magno in periculo res Transyluaniæ constitutas, neque parum de Vinundria erat sollicitus, quòd ea urbs non satis munita uideretur ad resistendum; tamen quia futurum sperabat ut hostis in Zanolchi oppugnatione tardaretur, nonnihil ad munitionem eius urbis aspirat. Quippe cum esset id oppidum eius naturæ ut si non infringere, saltem retardare & debilitare hostiles copias posset, quòd esset, ut diximus, munitissimum. Mahomettus antequã Zanolchũ accedat præmittit duo equitum millia ad agrum regionemq́; totam recognoscendam, cõmeatusq́; comparandos, cuius inopia nonnihil laborabatur in castris cum & per loca deuastata iter Turcæ fecissent, & incolæ eius regionis diffugissent. Turcæ nonnulli se Zanolcho ex ijs ostentant. exeunt oppidani. committitur minutum prælium.

Mahomettus Zanolchum oppidum adoritur.

Zanolchi situs & præsidia.

Zenolchū igne forte accenso totum prope concrematur.

lium. cognitum est è captiuis Mahomettum cum omnibus copijs ad expugnationem esse uenturum. ignis cum primū Turcarum agmen eò accederet forte in priuata domo accēsus adiuuante uento in proxima quaque tecta oppidi serpit, quo propter impetum uentorum flammas adiuuantium semperq; magis increbrescentium, uniuersum propè oppidum concrematur; ut quod ex asseribus & tabulatis materia flammas eliciente, esset plenum. Sed tamen tanta fuit oppidanorum diligentia, ut flammas denique superarit. oppidani ad hostium aduentum instructi Turcas tormentorum globis dißipant, atque turmas ita disrumpunt, ut nemo propinquare muris auderet; postea certatum est leui pugna non sine multa Turcarum clade. postridie eius diei Mahomettus cum reliquis copijs accedit. abstinit tamen ne tormentorum globis offenderetur, atque ad eam partem oppidi, quæ fossarum opera defendebatur, turmas mittit ad explorandum oppidum ad expugnationem. deinde sequenti die omnia agmina oppidanis ostēdit; quæ tam conferta erant ut horribilem aspectum oppidanis præberent, ut quibus terra ubique tegeretur. Tum positis castris mittit ad præfectum oppidi qui nuntiaret sitū eius oppidi esse Solimani, quòd Ferdinandus illud in alieno fundo extruxisset, quare hortatur ut rem alienam restituat. addita sunt precibus ingentia promissa pollicitationesq; munerum: at honestas conditiones recusanti & tormenta & minæ adhibentur, si tormenta tantum essent directa. his responsum est oppidum non esse præfecti, sed Ferdinandi, qui illud suæ fidei commiserat, crediderat q; defendendum. non posse illud dedere sine turpitudine proditionis. decreuisse uitam potius quam fidem amittere. oportere illud armis, at non pollicitationibus extorquere. neque uerbum quidem in posterum esse de hoc negotio faciendum. eo responso accepto uirtutis & fortitudinis pleno curauit Mahomettus fossas castrenses ad fossas usque oppidi produci non sine magna ac propè incredibili difficultate, quòd terra è longinquo corbibus esset apportanda, cum locus & aridus esset & arenosus ac saxosus, atque ad extruendas munitiones ineptus. directa sunt denique tormenta, quæ

Mahomettus Zanolchum obsidet & concutit.

cum

cum magna ui oppidum concuterent, non etiam magnum dānum attulerunt, quòd ædificium è terra & fasciculis lignorū non ita facile corrueret; cum uis globorum intra eam terrā deperiret. cum triduum oppidum concussum esset frustra, Germani consilium fugæ cum Hispanis communicant. Sed cum Hispani se tantum turpitudinis nunquam admissuros profiterentur, gloriosamq́ mortem se uelle infami saluti præferre; ad Pannones peruentum est & ad Bohemos. omnes cùm hi recusarent, consilium ad præfecti aures tam facinorosum ac nefarium peruenit; qui multa comitate conatur animos militū ab ea impunitate retrahere, multisq́ promissis sollicitare ne oppidum, in quo totius Panoniæ salus contineretur, tam omnibus rebus necessarijs munitum, suæ ipsorum militum fidei uirtutiq́ creditum proderent immanitati Turcarum, qui breui ab ea oppugnatione, quam irritam & uanam comperissent erant discessuri. non conuenire Germanicæ gloriæ, quæ semper maxima apud omnes nationes habita est in rebus militaribus, nulla probabili deditionis causa, nedum necessaria, oblata ita turpiter & trepidè commissas munitiones deserere. Sed quæ oratio uel quæ ratio imbellem animum, & sententiæ suæ pertinacem regere possit? ubi turpitudo cōsilij cognita est, ne tamen frustra susceptum uideretur, addunt simulationem honestatis, quo minus turpis fuga appareret. postulant menstruum stipendium quod sibi debebatur, quod mutuo acceptis pecunijs persolutum est. tormenta Turcica interea concutere non cessant; sed omnis conatus est inanis, quæ res cū possent extollere animos erigereq́ iacentes oppidanorum, tamen nihil minus ad fugam latebrasq́ locum prospectant. statuunt noctu per lintres traijcere, quod ab Hispanis ut cognitū est consilium & ad præfectum delatum, curauit, ut lintres arena implerentur, ne possent ad fugam occupari. cum aliò non possent exire cuncta tenentibus hostibus, cum uerò per noctem Hispani uigilias recognoscerent, uident armatos Germanos ad iter uasa collegisse, atque Pannones paratos in equis. præfectus oppidi eos rogat ne tantum detrimenti rebus Ferdinandi Regis inferrent, tantumq́ turpitudinis nationi Germanica

Germanorum & Pānonum turpis fuga neque ratio neq; oratione potest confirmari

cæ

ca offunderent. Turca audito strepitu intra fossas propinquiores, qui fiebat intra mœnia, cum paulo post nihil audiretur neque solitum uigiliarum indicium appareret, ad aliam partem oppidi accurrunt, & ad oppositam portam, quà Pannones & Germani exibant. oppidum postea ingressis nemo reperitur, præter præfectum oppidi; qui solus relictus portam erat clausurus, decreueratq́; potius uitam amittere, quàm eam proditionem moliri; atque captiuus ad Curtensem Purpuratum perductus est: qui percepto rerum successu eum honorificè tractauit. est enim uirtus & fides & constantia apud omnes nationes laudabilis, cum nulla tam sit barbara natio, quæ non uirtutis reuerentia capiatur. Germani cum purgandis lintribus & in aquam deducendis non parum distinerentur; itaque impedimentis impleuissent, ut non facile possent detrudi, à Turcis opprimuntur, & ad unum tructidantur. Hispani omnes ferè in tutum perueniunt, alij linribus, alij terrestri fuga. Mahomettus eo oppido ita sine certamen potitus per Germanorum Pannonumq́; timiditatem, nonnullos dies ibi moratur cum omnibus copijs, atque relictis firmis præsidijs ad obsidendam Vinundriam signa infesta conuertit. at Castalij copiæ audita Zanolchi iactura non parum ceperunt admirationis, cur id ita accideret ut munitiones quæ nulla humana ope uidebantur posse expugnari, ita turpiter, & per summum dedecus hostibus relinquerentur. Castalius non mediocrem mœrorem ex ea re percepit, quamuis se parum res huiusmodi curare simularet; quòd diceret hæc ludicra esse fortunæ, quæ modo deprimere res bellicas, modo extollere soleret. nullam iacturam unicam esse solere. tunc sperandum maximè esse, cum plures acciderint, fortunaq́; in hanc partem suas uires aliquantum exercuerit, quòd mox in aliam conuertatur, quia lætatur illa rerum uolubilitate. Vna uerò res maximè eius animum infestabat, quòd inde perfidia res proditum iri uidebantur, unde expectabatur plurimum auxilij: cum ea Prouincia rerum nouarum cupida iam ad reuocandum Ioannis Regis filium in successionem regni uidebantur per clandestina consilia principes Transyluaniæ, quia bellorum molestiæ essent

Zanolcho Mahomettus sine certamine potitur.

Castalij prudentia in tanta rerum iactura.

essent pertæsi, qua una ratione tantas calamitates Turcarum sibi uidebantur euitaturi. Quæ res etiam uexabat animum Castalij non mediocriter, illa fuit, quòd paruas copias haberet ad tantas rerum mutationes; quibus etiam non erat soluendo, quare in tantis rerum difficultatibus quid consilij capiendum esset cum Vaiuoda, cæterisq; ducibus consultat, ut maturè rebus omnibus pro uiribus consuleretur. Isabella interea de Ferdinando grauiter queri, quòd per fraudem regno fuisset expulsa. quòd filio promissa uxor non daretur, quòd nullæ seruarentur pollicitationes, quòd dos non solueretur, apud Sarmatarum Regem fratrē, & Bonam Reginam Ferdinandū querelis grauiter onerare. Se non seruaturam conditiones, quæ sibi non seruentur palàm profiteri. agere ut Prouincia regnumq; per nonnullos proceres reginæ filijq; partibus studentes recuperaretur. cui consilio addebat stimulos Mirces Vaiuoda Transalpinus qui copijs & pecunia & omni auxiliorum genere se illam adiuturum profitebatur, ut Ioannes rex suum regnum recuperaret. sed ante hæc omnia clam Solimanū per literas rogat, ut recordetur amicitiæ quæ inter ipsum & Ioānem Regem suum maritum intercesserat. ne deesset sibi missellæ uiduæ per perfidiam & uanas pollicitationes oppressæ, & ab ijs præcipuè à quibus maximè ob credulitatem subleuari debuit. se in unum Solimanum respicere, omnemq; spem iādiu collocasse. ne se in tantis rerum molestijs desereret, in quas propter muliebrem credulitatem ac simplicitatem quandam collapsa fuisset. Quod nisi sua ipsius reginæ causa faciendum uideretur, cum ipsa ad fidem Ferdinandi potius confugisset, saltem innocentis pueri & nihil tale uolentis misericordia caperetur. unum esse Solimanum iustitiæ, æquitatis, clementiæque perfugium, & tanquam asylum spoliatorum eiectorumq; regum. unam esse regiarum uirtutum reginam, infelicium pupillorum ac uiduarum per fraudem oppressarum suscipere defensionem. non parum etiam Ottomanicarum rerum interesse, finitimos potius reges imbecillos & beneficijs astrictos, quàm perpetuos hostes Ottomanici nominis & potentes habere, qualis erat Ferdinandus indomiti ingenij Cæsaris frater,

Isabellę de Ferdinādo querelæ.

Literæ Isabellę ad Solimanum.

qui iam tota Germania, ac uniuersa propè Italia domitis Galliæ & reliquis belgicis finibus armatus immineret, & mox omnium earum Prouinciarum uires esset in Pannoniam Illyriamq́. conuersurus. His alijsq́. rationibus quæ ab Achmeto proponebantur adiuuante negotium ita commotus est Solimanus ut ad Stephanum Vaiuodam Mysiæ inferioris siue Moldauiæ literas dederit, quibus imperabat, ut cum à regina imploraretur, quantis posset collectis uiribus reginæ opem ferret. quod ipsum imperatum est Purpurato Curtensi. ea dũ agũtur clam cum Solimano, nuntiatur Castalio Chendum Ferenzum & Petrum Vicchium in finibus Sarmatiæ copias colligere in Transyluaniam inuasuros ad illud regnum reginæ nomine occupandũ; quia diceret Ferdinandũ nõ obseruasse reginæ cõditiones, neq; soluisse promissa. utebatur Vicchius Chẽdi opera & potentia, qui post mortem Monachi plurimum autoritate & opibus ualebat, cupiebatq́. cædem illam ulcisci, & in tam impuni facinoris autores animaduertere. coniunctæ itaque sunt horum amborum uires; quare cum auxilijs Moldaui, qui nondum copias dimiserat, dum appareret quem finem res eius regni essent habituræ, ut iusserat Mahomettus, uidebantur hi eodem tempore regnum inuasuri; nam ad Vicchium multi nobiliores eius regni & ad Chendum accesserãt, & iam conspirarant cũ Vaiuoda, ut omnes undique uno tempore Ferdinandi copias trucidarent. at res uana fuit & Castalij consilio, & cæde Vaiuodæ, qui ut cæderetur iam multos dies ratio subtexebatur. Nam propter priuatas inimicitias nonnulli se cæsuros Vaiuodam Castalio profitebantur, quibus additæ sunt à Castalio etiam ingentes pollicitationes tanquã acerrimi stimuli ad facinus. irritati sunt & animi nonnullorum literis Castalij, quæ missæ fuerant ad aulicos Vaiuodæ, quæ uisæ eos in suspicionem proditionis innocentissimos uocarunt, feceruntq́. ut amissis honoribus & opibus in acerrimũ odium in Vaiuodam ac desiderium ultionis impellerentur. ad illud negotium adiuuabant coniuncti futuri Vaiuodæ, qui eo de medio sublato plurimum dignitatis se consecuturos putabant. tentorium igitur ingressi cum repente trucidant, atq; cum

Literæ Solimani ad Vaiuodam Moldauię.

Ferenzi & Vicchii cõspiratio cõtra Castalium.

Vaiuodæ cædes, quæ omnem cõspirationẽ soluit.

cum paratis auxilijs in duo Turcarum & Scitharum millia, quos ille ad suã custodiã habebat, impetũ faciunt, trucidãtq́ omnes. tum eo Vaiuoda creato, ad quem ea dignitas iure peruenirет, matrem & filios & coniunctos Tyranni miserabiliter cædunt, nemine prorsus relicto, unde aliquid esset timendum. ea cædes cum tam opportunè accidisset uniuersam coniurationem Transyluaniæ dissoluit, coniuratosq́ patefecit, qui etsi animaduersionem formidabat, tamen ad eam rem Castalius in præsenti conniuebat: quòd intimæ aliæ contentiones molestiæq́ instarent: quoniam Germani, quia non darentur stipendia, multa crudelia & nefanda aduersus subditos Ferdinandi molirẽtur. nam in amicos pagos incursionem facientes omnia ferro & igni populabantur, ac bona diripiebãt. hæc satis probabilis causa uisa est Transyluanis hortandi Castalij ut ad expugnandum Tibiscum deduceret exercitum, quòd intelligeretur uires Cassumbassæ esse debilitatæ, ꝓ multos è suis ad expeditionem Vinundriæ emisisset. non esse prætermittendam præsentem occasionem quæ postea frustra desideraretur. profitentur se ad eam expeditionem promptissimè ituros; quibus rationibus putabant se Ferdinandi copias è Transyluania excludere. Castalius cum intelligeret quò tenderent horum consilia, rem dissimulare, spem non euellere, postulata differre, in ijsdem castris morari, quæ maximè ad auxilia opportuna singulis partibus regni ferenda essent accommodata. Cæsar interea Marinianium Marchionem, aliosq́ tribunos militum ex Italia cum copijs in Germaniã euocat, ipse Inutriũ ac inde Abudicacũ siue Fressã contẽdit. ibi censis rum copijs, multisq́ Hispanis cohortibus recentibus, magnũ Germanorum numerum colligit, cum omnibus his copijs in Belgas & in Sequanos accessurus, ubi Hẽricus Rex Canoduro ac Tullo, & alijs munitionibus compluribus occupatis omnia sursum deorsum uertebat.

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER SEXTVS.



VM Cæsar copias parat ad Henrici Regis impetus propulsandos in finibus Vindeliciæ, Castalius intra fines Transyluaniæ Mahomettus quid cōsilij caperet spectaret aduersus Vinūdriam, fortuna res Italas uexatura paulatim belli Senensis incendia excitat, iacitq; semina euersionis eius rei publicæ: ad quod bellum explicandū uidetur altius repetēdum quæ causa compulerit urbem totius ferè Thusciæ nobilißimam, cum libera esse posset, ut primùm uoluntariam, deinde ab exteris regibus impositam seruitutē pertulerit. Fama est Bremum Gallorum ducem cum trecentis hominum millibus in Italiam profectum eius urbis initijs opportunitatem dedisse; cum ibi Tuguria construxisset ante Christum natum annos fermè 382. ut iumenta labore longi itineris ac senes defessos relinqueret, quem locum à Senibus Senam nominauit. Sequentibus postea temporibus ob amœnitatem regionis iustam ciuitatis formam accipiens, plurimūq; aucta Romanorum Coloniam, & Lupam Romuli Remiq; nutricem accepit; fuitq; non solùm amicitia, sed etiam affinitate quadam coniuncta cum urbe Roma. Post obitum Romani Imperij ipsa libera, suis utens legibus nullis exterorum Regum Imperijs obnoxia ad hanc usque ætatem nostram perdurauit. est enim sita in loco amœnißimo Italiæ collibus undiq; illam cingentibus placidißimis; qui plurimis uitibus & o'eis & fructiferis arboribus uestiuntur. Vtitur Cœlo benigno & Salubri, atq; aere perfruitur temperatißimo. Abundat tum intra

Initia urbis Senarū à Brenno Gallorum duce.

Senarū descriptio.

intra mœnia, tum etiam extra multarum limpidarum aquarum ſcaturiginibus, quæ facillime ſuppetunt ad omnes urbanos uſus. hæc ciuitas habet portas complures: quarum quæ ſpectat ad ſeptentrionem, agrumq́ Florentinum petit, Chamolia uocatur. ad orientem Romana; cui opponitur propè ad occidentem, quà maritima loca adeunt, & planitiem Ruſciæ. Ad meridiem conuerſa eſt, quæ uallem Arni fluminis proſpectat, figuramq́ habet ferè oualem. Senenſes igitur illi antiquiores capti ſuauitate regionis uillas amœniſſimas & oppidula & turres nonnullas in pluribus locis agri Senenſis condiderunt, relicta prorſus popularibus omni rerum publicarũ adminiſtratione; quia nollent publicis curis, & conſeruandæ rei alienæ ſtudio à priuatis commodis & delitijs auocari. at enim cum populus magis ad propria commoda, quàm ad publicam utilitatem rebus patrijs præeſſet; uidereturq́ potius tyrannorum quàm magiſtratuum autoritatem & ius exercere; paulatim excitata ſunt inter ſeſe odia ciuium: cum iam non uiri boni & iuſti & ſapientes; ſed gratia & opibus & affinitatibus, & audacia præſtantes ac imperiti rerum gerendarum Reipub. præficerentur. neque illud ſanè curabatur, ut iudicationes rectè fierent; ſed pro ſingulorum iudicum arbitrio facultates illegitimis dominis addicebantur. Atqui manifeſtum eſt, quòd omnis Reſpub. quæ diſciplinas & rerum præteritarum cognitionem negligit, iam ſenio delirat multa ridicula faciat neceſſe eſt, quæ modo mutari oporteat, modo reſarciri. neque tamen ita diutius poteſt conſiſtere; quæ ubi humanis opibus ſibi ſuperior eſſe uidebitur, tum diuino certè cõſilio euertitur; quoniam ſola religio & ſapientia omnia regna rectè gubernare poteſt. Hinc facile apparuit, cum ſinguli ad propriam utilitatem, at non ad communem ſalutem reipub. præeſſent; cum gratioſi & imperiti rectè gubernandi moderatis & prudentibus per ambitum magiſtratus præriperent, nihil eſſe aliud eam rempublicam, quàm multorum conſpirationem ad debiliorum facultates diſtrahendas & dilacerandas. quæ cauſa eſt ut omnes denique euerſæ ſint reſpublicæ, cum noſtris etiam temporibus rarum omnino ſit animal reſpub. & in-

poſterum

posterum futurum sit. Nobiliores hac nefanda gubernatione cognita uel populorum miseratione commoti, uel ambitione impulsi, uel tanquam ad auream messem accedere & ipsi cupientes auaritia & spe prædæ allecti, ad remp. accedere nitebantur. Sed contra repugnantibus popularibus ijs, qui magistratus sibi usurpabant, quibus non sufficere solis tantus principatus ad auiditatem rapinæ uideretur, nedum si nobiles in partem prædæ admitterentur, res Senensis in magnum discrimen inducitur. Neque tamen simplex fuit inter patricios & populares seditio; sed magna contentio uel inter ipsos nobiliores, quòd alij Romanorum nobilitatem & antiquitatē Brenni præ se ferrent. alij clusinam nobilitatem præstantiorē ducerent. nam clusini urbe clusio deuastata, quæ fuit olim metropolis Tusciæ Senam migrarunt. sic igitur ad arma usq; sæpius uentum est. atque potentiores sæpius eiectis aduersarijs modo huc modo illuc uictoriam alternante belli fortuna, summæ reipublicæ præfuerunt. Nam profectò indignum alteris uidebatur si recentioribus & nouis hominibus par ius ciuitatis cogerentur deferre, cum inter paucos reip. munia commodius & utilius administrarentur: cum æquum ducerent antiquiores se in cæteros omnes habere Imperium. Inde multæ iniuriæ aduersus nouos homines et populares nouorum partes complexos committebantur, ad quas conniuebant antiquiorū magistratus. alteris nulla re se illis inferiores existimātibus perindignum ac non ferendum uidebatur se tum priuatim tum etiam publicè iniurijs affectos negligi; cum non res publica sit, sed manifestissima & crudelissima multorum tyrannis, ubi arbitria hominum, non leges dominentur; quæ debent esse omnibus eædem, neque possunt iure maiorem ueteribus, quàm nouis ciuibus impunitatem iniuriarum exhibere. Nam ex iniquitate iudicum, imparibusq; iuribus multæ controuersiæ nascantur necesse est, atque inde ciuitatum deniq; euersiones & ruinæ; cum Deus sit uindex debilium & oppressorum. at res eò denique perducta est ut è cunctis his tribus ordinibus crearentur magistratus, qui communi consilio & cōsensu artifices & subditos populos prædarentur. nam eò res Senensis

Seditio inter patricios & populares Senenses.

Senensis erat deducta, ut ubi ab artificibus merces extorsissent, qui magistratibus fungi consueuerant, uel paulo post, uel etiam post longum interuallum temporis petentibus precium suarum mercium uel plagæ infligerentur uel uulnera pro ipsis mercibus: atque magistratuum ministri, qui in ius uocarēt, Schedulas nominum deglutire cogerentur. Siue igitur dei cōsilio, propter multa eius ciuitatis peccata; siue fortunæ arbitrio, quæ solet plerunque diuturnæ ciuitatum regnorumq́ felicitati inuidere, ubi dementiæ hominum ad mutationes præcipuè aditum patefecerint; cum nihil beatum aut tranquillū in rebus humanis diu esse patiatur; tantum mutui odij in illa ciuitate exarsit, ut non semel propius periculo fuerit ne tota ciuitas suis armis, popularibusq́ seditionibus ad internecionem tenderet, funditusq́ euerteretur. ad horum tantorum imminentium malorum remedia missæ sunt legationes ad Cæsarem, cum urbs illa facta esset antiquitus Imperij, quæ illiū causam docerent, suppliciterq́ peterent ne in tantis periculis & calamitatibus urbem illam negligeret, quæ semper imperatorio nomini fuisset addicta: sed quam citissimè labantibus rebus succurreret; oppressosq́ ciues antiquos à recentioribus & à popularibus pro sua innata clementia & iustitia subleuaret. omnium bellorum miserrimum esse & acerbissimum quod inter ciues eiusdem ciuitatis geratur: non solum quòd hostis iam sit intra mœnia, sed multò magis quia non opes, non gloria, non imperium tantùm denique quæratur in bellis ac tumultibus ciuilibus, sed uita, & sanguis, & iugulum ipsorum ciuium. facile uerò posse illam urbem à tantis molestijs subleuari, si publico ipsorum Senensium sumptu Cæsar Hispanorum cohortem misisset ad urbis custodiam, quorū præsentia tota ciuitas conquiesceret; quod facile impetratū est. His præsidijs utraque factio repressa est, omnisq́ ciuilis controuersia & seditio consopita. At enim cum idem propè Senensibus accidisset, quod fabuloso equo Stesichori; qui ad ulciscendam cerui iniuriam, quia is pabulum conculcasset seruitutem subiuit, tum demum cognouerunt in quos errores essent collapsi. ut enim equus ille cupidius uindictæ ad auxiliū hominis

Legationes Senensiū ad Cęsarem.

hominis confugit, & ad facilitatem uindictæ frenũ & ephippium passus est, sic Senenses externis auxilijs imploratis non minus in se ipsos, in patriam, in libertatem, quàm in aduersarios ultionem conuertunt, totamq; uim uindictæ. Nam præfectus Hispanis præsidijs, urbisq; gubernator Cæsaris nomine Diegus Mendocius, primatum nonnullorum animis sibi conciliatis, obstrictisq. amicitia & beneficijs tantum autoritatis in ea urbe paulatim sibi comparat; ut tanquam summus Imperator erga reliquos ciues implacidus & imperiosus esset: qua acerbitate ita animos Senensium in se concitauit ut facile cognosceretur in quos errores incidissent; atque inflammarit ad excutiendum seruitutis iugum, quod suis ceruicibus parari uideretur. Impellebant ad hoc oppiduli cuiusdam initia, quod Mendocius simulata necessitate defensionis consultò excitabat in ea parte, quæ Florentiam spectat non procul à porta Chamolia, ut facile subsidia Florentina admitteret cum opus esset, quia Cosmus Mediceus Hetruriæ princeps Cæsarianis partibus maxime faueret. atque cum se formidare arma popularia post iacta fundamenta oppiduli Mendocius simulasset, curauit ut ea uniuerso populo, & artificibus adimerentur, eoq; comportarentur; quod quidem facile consecutus est per edicta magistratuum & nobiliorum; cum breuiora præsertim nobilioribus reliquisset. Tum paulo post impulsu nonnullorum amicorum Mendocij coortæ sunt querelæ quòd populus armatis nobilibus inermis proderetur, cum ubique fierent iniuriæ, coactiq; sunt nobiles etiam arma omnia tradere. Senenses ita omnes inermes armatis præsidijs expositi, partim iniurijs Hispanorum irritati, partim quòd suæ libertati parari insidias sentirent per eam simulationem defensionis, tranquillitatisq; urbanæ; depositis multis odijs, & simultatibus & popularibus seditionibus atque urbanis controuersijs omnes concordes ad repellendum seruitutis iugum conspirant. cœpta sunt fieri concilia & conuentus sæpe in priuatis domibus ad defectionem & defensionem consentientium. missæ sunt clam legationes, ut superius admoniti fuerunt, ad Henricum Gallorum regem; quæ admissæ non minus occultè

Diegi Mẽdocii acerba gubernatio.

Senẽsium cõspiratio in Mendocium.

Legationes Senensiũ ad Henricum Gallorum regem.

Qq quàm

Senensis erat deducta, ut ubi ab artificibus merces extorsis-sent, qui magistratibus fungi consueuerant, uel paulo post, uel etiam post longum interuallum temporis petentibus precium suarum mercium uel plagæ infligerentur uel uulnera pro ipsis mercibus: atque magistratuum ministri, qui in ius uocarēt, Schedulas nominum deglutire cogerentur. Siue igitur dei cō silio, propter multa eius ciuitatis peccata; siue fortunæ arbitrio, quæ solet plerunque diuturnæ ciuitatum regnorumq; felicitati inuidere, ubi dementiæ hominum ad mutationes præcipuè aditum patefecerint; cum nihil beatum aut tranquillū in rebus humanis diu esse patiatur; tantum mutui odij in illa ciuitate exarsit, ut non semel propius periculo fuerit ne tota ciuitas suis armis, popularibusq; seditionibus ad internecionem tenderet, funditusq; euerteretur. ad horum tantorum imminentium malorum remedia missæ sunt legationes ad Cæsarem, cum urbs illa facta esset antiquitus Imperij, quæ illū causam docerent, suppliciterq; peterent ne in tantis periculis & calamitatibus urbem illam negligeret, quæ semper imperatorio nomini fuisset addicta: sed quam citissimè labantibus rebus succurreret; oppressosq; ciues antiquos à recentioribus & a popularibus pro sua innata clementia & iustitia subleuaret. omnium bellorum miserrimum esse & acerbissimum quod inter ciues eiusdem ciuitatis geratur: non solum quòd hostis iam sit intra mœnia, sed multò magis quia non opes, non gloria, non imperium tantùm denique quæratur in bellis ac tumultibus ciuilibus, sed uita, & sanguis, & iugulum ipsorum ciuium. facile uerò posse illam urbem à tantis molestijs subleuari, si publico ipsorum Senensium sumptu Cæsar Hispanorum cohortem misisset ad urbis custodiam, quorū præsentia tota ciuitas conquiesceret; quod facile impetratū est. His præsidijs utraque factio repressa est, omnisq; ciuilis controuersia & seditio consopita. At enim cum idem propè Senensibus accidisset, quod fabuloso equo Stesichori; qui ad ulciscendam cerui iniuriam, quia is pabulum conculcasset seruitutem subiuit, tum demum cognouerunt in quos errores essent collapsi. ut enim equus ille cupidus uindictæ ad auxiliū hominis

Legationes Senensiū ad Cæsarem.

hominis confugit, & ad facilitatem uindictæ frænū & ephippium passus est, sic Senenses externis auxilijs imploratis non minus in se ipsos, in patriam, in libertatem, quàm in aduersarios ultionem conuertunt, totamq; uim uindictæ. Nam præfectus Hispanis præsidijs, urbisq; gubernator Cæsaris nomine Diegus Mendocius, primatum nonnullorum animis sibi conciliatis, obstrictisq; amicitia & beneficijs tantum autoritatis in ea urbe paulatim sibi comparat; ut tanquam summus Imperator erga reliquos ciues implacidus & imperiosus esset: qua acerbitate ita animos Senensium in se concitauit ut facile cognosceretur in quos errores incidissent; atque inflammarit ad excutiendum seruitutis iugum, quod suis ceruicibus parari uideretur. Impellebant ad hoc oppiduli cuiusdam initia, quod Mendocius simulata necessitate defensionis consultò excitabat in ea parte, quæ Florentiam spectat non procul à porta Chamolia, ut facile subsidia Florentina admitteret cum opus esset, quia Cosimus Mediceus Hetruriæ princeps Cæsarianis partibus maxime faueret. atque cum se formidare arma popularia post iacta fundamenta oppiduli Mendocius simulasset, curauit ut ea uniuerso populo, & artificibus adimerentur, eoq; comportarentur; quod quidem facile consecutus est per edicta magistratuum & nobiliorum; cum breuiora præsertim nobilioribus reliquisset. Tum paulo post impulsu nonnullorum amicorum Mendocij coortæ sunt querelæ quòd populus armatis nobilibus inermis proderetur, cum ubique fierent iniuriæ, coactiq; sunt nobiles etiam arma omnia tradere. Senenses ita omnes inermes armatis præsidijs expositi, partim iniurijs Hispanorum irritati, partim quòd suæ libertati parari insidias sentirent per eam simulationem defensionis, tranquillitatisq; urbanæ; depositis multis odijs, & simultatibus & popularibus seditionibus atque urbanis controuersijs omnes concordes ad repellendum seruitutis iugum conspirant. cœpta sunt fieri concilia & conuentus sæpe in priuatis domibus ad defectionem & defensionem consentientium. missæ sunt clam legationes, ut superius admoniti fuerunt, ad Henricum Gallorum regem; quæ admissæ non minus occultè

Diegi Mēdocii acerba gubernatio.

Senēsium cōspiratio in Mendocium.

Legationes Senensiū ad Henricum Gallorum regem.

quàm luculenter causam Senensium agunt. Amissæ propè libertatis casum deplorant. Cæsarem multis maledictis onerant; tanquam totius Italiæ Tyrannidis affectantem, cum partim armorum partim fuco & fallacÿs opprimere Italos nitatur; quod fit mira quadam lenitate uerborum ac simulatione clementiæ, cum tamen insatiabilis existat, semperq́; magis imperandi sitibundus. eius rei esse non leue argumentum, quòd tantis tamq́; crebris tributis subditas Imperio ciuitates oneret, ut iam deformatæ ac desolatæ propè sint, ciuibus auitos lares, & domos & patriam & possesiones relinquentibus. Siciliæ Neapolisq́; regna olim florentissima & eximiæ dignitatis atque opulentiæ, ita esse afflicta, & fortunis omnibus spoliata ob Cæsarianorum præfectorum auaritiam & crudelitatem, ut turcarum imperia ad tantarum miseriarum refugiũ exoptare uideantur. futurum enim ut compedibus seruitutis urbi totius Thusciæ nobilissimæ ac potentissimæ iniectis, cæteris omnibus Italis uel deuictis iam, uel formidabilis, totius Italiæ uires mox suis adiungat, atque has ad Galliam deuastandam & subiugandam conuertat. Maximè infensum esse Cæsarem Gallico nomini apparere per superiora bella, quæ per multos annos cum Regibus Gallorum pro Gallia subalpina, pro regno Aragonum, pro principatu insubrum, & nunc geratur pro Belgis. cum etiam tam facile fuerit illum impellere ad ferendam opem Pontifici, cum Farnesius Octauius fuisset ab ipso rege in fidem receptus. quæ omnia bella nullis propè temporum fuissent interuallis disrupta. Docent peraccommodatum esse Senentium principatum rebus Gallicis ad eos fines turbandos qui studerent Cæsarianis partibus in Italia; cum Thuscia sit inter insubres Neapolitanumq́; regnum, finitima Principi Hetruriæ Cæsari deditissimo. portus habeat ad excipiendas classes accommodatos. Non resp. solùm Senensis, sed plurimum etiam rei Gallicæ referre ut Senenses non detestandæ alicuius religionis, non læsæ Maiestatis Imperatoriæ, non nefariæ alicuius proditionis reos; sed nimiæ in Cæsarem obseruautiæ, nimiæq́; simplicitatis causa in eas difficultates adductos, in suam fidem acciperet. Rogant ne obliuisceretur se

regem

regem esse, in quo uno nomine omnia Iustitiæ humanitatisq́ iura continerentur: cum nihil tam regium ac propè diuinũ sit, quàm afflictos subleuare; iniquè & per libidinem dominandi oppreßis opem ferrè; Tyrannicè impositum ciuitatibus liberis seruitutis iugum, excutere. Henricus his rationibus commotus eam turbandi Cæsaris non prætermittendam occasionem ratus iubet hos esse forti bonoq́ animo; omneq́ auxiliorum genus liberaliter promittit. Hæc etsi clam delata sunt ad Principem Hetruriæ, isq́ certiorem fecit Mendocium, Romæ; tamen quia Mendocius existimabat se frænum ita firmè tenere, nulla ut ui extorqueri è manibus posset, tanquam uana & nullius ponderis neglexit. Quæ dum tractantur in Gallia Senæ nuntiatur; atque ad aggrediendum alacriter negotium, coniurati Senenses clam ab urbe Roma, alijsq́ Italiæ ciuitatibus multos duces & tribunos militum ad urbis præsidia liberaliter inuitant Regijs stipendijs ut copias undiq; conscribant. inter hos insigniores fuerunt Nicolas Pitiliani regulus, & Hieronymus Pisanus magister Gallici peditatus, & Marius Sanctiflorius præcipua autoritate præstantes; qui ad sex millia peditum conscribunt, equitatumq́ multum ad signa uocant. Sed quoniam fortuna ita aditum aliquando ad præclara facinora, ut ad humanas calamitates patefacit; secundasq́ auras subministrat ad incœpta negotia; accidit per id tempus quo hæc agebantur ut Turcica claßis nauigaret in mari Tyrrheno, stationemq́ haberet ut diximus Gallicã claßem expectans non longe ab ora maritima Senensium; quæ res non mediocrem opportunitatem attulit Senensibus parandi exercitus, & negotij atque consilij multa cum difficultate suscepti ad optatum finem perducendi. Simulata igitur ingenti trepidatione propter turcicam claßem, ne Turcæ aliquem portum aut oppidum in regione maritima occuparent; quo postea propugnaculo uterentur ad inuadendas urbes Italiæ, cõuentum publicè indicunt, admittunt Franciscum Aluam sex centorum Hispanorum, tot enim paulatim excreuerant, arcisq́ incœptæ præfectum. docent quo in periculo sit res Senensis & Itala denique constituta, nisi celerrimè illi succurratur.

Nicolas Pitilianus; Hieron. Pisanus, & Marius sanctiflor. Cõinratorum duces

Significant se certiores factos per exploratores Dragutum id facere decreuisse, quod antea Barbarussa non fecerat; portũ Herculis scilicet & Stephanium uelle munire cum Gallorum auxilijs: atq; munitionem eiusmodi erigere, ut Turcica classis assiduum haberet receptaculum in Italia. Decernitur ut habeatur delectus militum, qui nomina dedissent in ditione Senensi, qui mitterentur ad portum Herculis ac Stephaniũ, cum ibi iam breui expectarentur mercenarij milites. Interea literæ clam ad Franciscum Galliegam uirum Hispanum cum oboli altera parte mittuntur; quibus monetur ut sibi caueat ab insidijs urbanis: futurum enim ante octauum diem ut cũ omnibus Hispanis trucidetur, nisi maturè suæ saluti consulat. cogniturum esse postmodo transacto periculo qui monuerit per alterius partis oboli coniunctionem. His de rebus certior factus Mendocius literas ad Florentiæ Hetruriæq; principem dedit; quibus continebatur formidandum uideri ne Senensium animi ab Hispanorum administratione abhorrentes aliquid noui molirentur. sibi uideri adaugenda esse eius urbis præsidia. missus est Otho Montacutus cum octingentis peditibus. hic Senam ingressus omnes fori aditus armatis occupat; quæ res ita animos Senensium irritauit, cum demonstratum esset palam non ad placanda odia ciuium, sed ad opprimendam urbis libertatem præsidia illa esse missa, quæ se diffidere fidei Senensium ostenderent, ut non multis interiectis diebus Nicolas Pitilianus cum quatuor millibus peditum clam in urbem ex composito uniuersis Senensibus allata arma capessentibus pro patria libertate, Cæsariana præsidia sint eiecta non sine magna utrinque clade. atq; superstites Hispani partim sese in oppidulum receperunt, partim in cœnobium sancti Dominici, quod muniuerant tanquam opportunam stationem dum oppidulum perficeretur. eo die Senenses octo muralia tormenta Hispanis eripiunt, quæ instrumenta fuerunt ad cætera superanda. Postridie eius diei ubi comes Sanctiflorius cum recentibus duobus millibus peditum urbem esset ingressus, fit magnus armatorum concursus. Cœnobium undiq; magna ui expugnatur, ibiq; trucidatis Hispanis ad oppidulum

Dux Florentiæ certior de Senensiũ coniuratione factus Mõtacutũ mittit.

Certamen cruentũ inter Hispanos & Senenses.

expugnandum sit concursus. erat illud imperfectum adhuc, cum neque munitiones satis ualidæ essent erectæ neque munitum annona, neque reliquis rebus aut bellicis apparatibus ad diuturniorem pugnam atque obsidionem necessarijs. qua in re ridiculus fuit Mendocius qui inuita potentissima urbe in alieno fundo ædificaret, neque tanta haberet præsidia, quæ possent resistere, & prius opus reliquit cæteris hominibus perficiendum, quàm ipse eò perductum uideret ut commode posset defendi. id oppidulum cum inuasissent Senenses, Cæsariani tanta inuadentium irruentiumq́; armatorum multitudine nullo propè negotio funduntur & fugantur. Senenses captam munitionem euertunt à fundamentis. At enim princeps Hetruriæ his rebus nouis cognitis laborantibus rebus Cæsarianis suorum delectum subsidio erat missurus, quare Senenses misso Aenea Piccollomineo legato, ægrè quidem, at impetrarũt tamen ut is ab incæpto desisteret; quia diceret legatio Senenses illud fecisse, non quia defecissent à Cæsare, cuius se perpetuos amicos, & constantissimè in fide persistere profiterentur; sed quia ministrorum Cæsaris insolẽtiam & tyrannidẽ ferre non possent, & ut se in pristinam libertatem uendicarent, quæ per fraudem & insidias paulatim sibi propè fuerat erepta. res ita denique conuenit, ut Otho Montacutus cũ suis copijs Florentiam reuertat. ne Senenses exules Florentinos in sua ditione esse patiantur. ut Hispani inde digressi liberam ciuitatem Senensibus dimitterent. Hispani tamen cum se Ituros Florentiam simulassent Orbatelli oppidum prò domicilio occupant, quod est oppidum in loco paludoso situm in insula quadam quæ iacet in lacu Prilino olim uocato, habetq́; pontem per angustum continenti coniunctum, cum sit aduersus omnem uim hostium & prædonum munitissimum. Mendocius his nouis rebus ita perceptis grandi pecunia undique collecta existimans auro posse resarciri, quod per imprudentiã erat labefactatum, Ascanium Corniensem regulum uirum strennum & rei militaris peritum ad se aduocat, multosq́; alios insignes duces. iubet magna celeritate copias colligere, ueteranos milites quos possent ad uexilla reuocare, cohortes comparare,

Oppidulũ Senæ à fundamentis euertitur fugatis Cæsarianis.

Conuento Senẽsium & Cæsarianorum.

Orbatellũ oppidũ Hispani occupant.

quod

quod ipsum ut faciat princeps Hetruriæ per literas hortatur. Sed postea cognitis copijs quæ Senam fuerant ingressæ decidit prorsus de omni spe eius urbis recuperandæ: quare animum conuertit ad orbatellum reparationibus & præsidijs & annona egregiè muniendum, & omnibus rebus ad rem militarem necessarijs: cum arbitraretur oppidum illud fore ua'de opportunum ad res Senensium infestandas, & ad eam urbem denique subiugandam. at contrà, Senenses Rosetum oppidum iã occupauerant aduersus omnes Cæsarianorum apparatus; uidebãturq́; iam collectæ copiæ orbatellum inuasuræ ut inde Hispanos eijcerent, cum Mignanellus Card. legatus clam missus ad Senenses pontificio nomine eorum negotium retardauit; qui animos Senensium ad cõiurationem sollicitabat cum multis Italis principibus, quæ proponebatur de eijciendis exteris nationibus ex Imperio Italiæ, ut singulis principatibus occupatis sui principes restituerentur. Neque enim uidebatur cõferre finitimis principibus ut Cæsar princeps potentissimus, qui apparebat dominandi cupidissimus, Senæ oppidulum et urbem denique occuparet, quæ coniuncta est multorum Italorũ principum finibus, & in ipso umbilico ut ita dixerim Italiæ sita; cum uicinitas Hispanorum non uideretur fore satis tuta. Senenses nullis huiusmodi adhortationibus confisi, quia uidebantur factioni Cæsarianæ fauere, qui ad hoc hortarentur, non modo non fiunt coniurationis participes, sed neque eam Hispanorum uicinitatem, ut statuerant, conuellunt. Accesserant Iuliobonam Pontificij commissarij ad causas cædis Georgij Monachi inuestigandas, erantq́; testes rogandi an is proditionem aduersus Ferdinandum cum Turcis moliretur, regnumq́; Ferdinando esset erepturus. Ferdinandi iussu dicta testium afferuntur à Castalio & Maximiliano rege, qui aut in Transyluania, aut alibi rogati fuissent; nam à secretis Monachi Emericus & scriba Adamus eos testes interrogauerant; qui etsi nonnihil suspicionis afferebant, tamen dissentiebant omnes inter se plurimum. Emericus ob occulta odia in Monachum reiectus est ut parum fide dignus, quæ res non parum negotij attulit Castalio æquitatis sui facinoris probandæ.

Mignanelli Card. adhortatio Senẽsibus.

Causas cædis Monachi inquirũt cõmissarij Pontificij.

post

post nonnullos menses dicta testium Iuliobonam cõsignata mittuntur ad commissarios, atque ab ijs Romam summa celeritate. Ferdinandus accepta turpi Aldanæ timiditate, captiuitateq; Lizisi, iubet Castalium illum in uincula conijcere, atq; præsente Vaiuoda probationes criminis conscribi, ut meritum supplicium tantæ turpitudinis consequeretur. is rogatus cur annonam concremasset, & bellicos apparatus ac neque uiso quid hoste urbem reliquisset; ita se tuebatur, quòd milites complures aufugissent, quòd ob repentinum Mahometti aduentum quia non posset tormenta & annonam & apparatus auehere duxit satius esse omnia flammis absumere, quàm hostibus relinquere. quòd putarat futurum ut concrematam & incendijs euersam urbem neq; Turcæ quidem essent respecturi, nedũ tanta diligentia munituri. ut res maturius procederet, delecti sunt iudices qui causam cognoscerent, & milites qui fuissent Lizisi interrogarent, ut cognita ueritate pro æquitate res iudicaretur. Mahomettus quoniã res feliciter succedere & ex uoto sibi uiderentur, existimat se tantò facilius Vinundria potiturum, quanto illa minus superioribus munitionibus esset munita. superuacaneum igitur tantum copiarum numerum ratus, nonnullam partem copiarum dimittit ubi eò aduentasset. præmiserat Curtensem Bassam ad regionẽ explorandam cum magna turma equitum, ut cognosceretur an tutum esset eos fines inuadere, quòd intelligeret Mauritiũ nuper cum decem millibus peditum & quinque equitum Ferdinando militantem Iuarini consedisse. Mauritius ponte supra Danubio iacto, cum se strigoniam urbem obsessurum significaret, non paruam trepidationem Turcis iniecit: sed uniuersus ille metus denique fuit uanus, cum nihil memoria dignum fieret. at contra Bassà Curtensis suas copias huic opposuit, non ad pugnam quidem, sed ad expectanda consilia, quo respicerent, ubi opus esset, succurreret; atque ne Mauritius ita libere se uagari posse arbitraretur. At Mahomettus cũ haberet in castris ad sexaginta hominum millia Vinundriam undique obsidione cingit, & quinquaginta bellicis tormentis diuerberat. est autem Vinundria ciuitas Pannoniæ insigni in illyricis

Aldana conijcitur in uincula ob urbem incensam.

Mahomettus Vinundriam obsidet.

Vinundriæ descriptio

illyricis finibus, quæ sita est post Triballos parum à Tibisco flumine distans à quo Agria uocato nomen etiam uulgo accepit. habẽs ad occidentem & ad meridiem amœnissimos agros. ad orientem montem habebat, & oppidulum cum nonnullis turribus, qui mons imminet ciuitati. at nulla propugnacula. distat mons ille ab urbe quantus est lapidis iactus. atque isti reparationum debilitati auxilio fuerunt inuicti & fortes defensorum animi, cum Stephanus Dobus uir fortissimus & singulari uirtute cum duobus millibus hominum eam defenderet, quorum non pauciores quingenti uiri erant nobilissimi, qui ex uniuersa Pannonia uxores, filios, & fortunas, quas poterant, eò comportauerant tãquam ad tutum solum totius Pannoniæ asylum. Ita uero cum Illyricis coniurarunt ne quis sub capitali pœna de componendo fœdere uerbum faceret. ne cui se dederent. ne ullum responsum hostibus daretur, nisi per tormenta bellica. ut si diuturna obsidio ita ferret, alter altero occiso uesceretur, neq; illud putaretur iniuria. ut pijs precibus & uotis quotidie peractis tam mares quàm fœminæ labores bellicos sustinerent, erigendis muris comportanda terra, suggerendis armis, reficiendis pugnantibus esu & potu. ut uerò proditionum suspicio omnis tolleretur, ne plurium quã trium aut quatuor ad summum fieret conuentus; sed omne ad pugnam animos converterent. ut omnis tum priuata tum publica annona æquo pondere in capita distribueretur. ut pulli cuiusuis generis, & cætera huiusmodi cibaria, in usum ægrotantium aut uulneratorum conseruarentur. ut omnia spolia hostium quæ fierent captiua in unum locum comportarentur, quæ postea diuiderentur in singulos pro rebus bene pro patria defensione gestis; quæ omnia in diarium referebantur à quodam concionatore, qui fortiter etiam in ea pugna decertauit; itaque confirmauit oratione militum obsessorum animos, ut præcipuus autor fuerit cur tredecim asperrimos & cruentos repetitos conatus Vinundriæ præsidia sustinuerint. his ita conspirantibus Mahometus per nuntium hos inuitat ad deditionem antequam quidquam aduersus urbem moliatur. addit minas nisi paruerint crudelissimorum suppliciorum. parenti-

Vinundriẽsium obsessorũ & fœminarum fortitudo contra turcas memorabilis.

rentibus ac dedentibus urbē ingētia præmia proponit, & libertatē & liberum discessum cū oībus suis bonis. at ciues nihil ad hæc respondentes feretrum inter duas lanceas super mœnibus locant signis demonstrantes se potius decreuisse uitam quàm urbem amittere, quam erant ad extremum usque uitæ finem defensuri. est autem mos eius nationis ubi ad eas ceremonias peruenerint, ne ullus locus fœderibus aut pactionibus amplius relinquatur, cum mortui potius quàm uiui sint in potestatem hostium uenturi. Mahomettus cognita horum sententia mittit exploratum oppidulum & urbem noctu ad expugnationē. statuit duobus in locis fieri uerberationes: alteram à parte montis, alteram ad templum urbis; atque utrobique uiginti & quinque bellica tormenta locata sunt. ea per quadraginta dies assiduos oppidum prosternunt, ita ut superior pars omnis sit deiecta: neque quisquam ibi poterat consistere propter uim ipsorum tormentorum. ad eius rei remedium ciues fossam cauant profundissimam & latam aggerēq; erigunt, ubi summa diligentia uigiles noctu excubabant: neque inde nisi alijs superuenientibus nouis uigilibus discedere fas erat. at Mahomettus ter repetitis conatibus eodem die ad octo Turcarum millia desiderauit, qui iam propè ascenderant in urbem per ruinas murorum, inter quos erant duces complures. Mahomettus irritatus ea suorum clade iubet nouis conatibus, nouisq; urbis uerberationibus urbem uexari. atque una hora à quatuor lateribus urbem acerrimè inuadunt. eò omnes tum mares tum fœminæ urbanæ accurrunt, quæ armis, saxis, feruenti aqua, omniq; telorum genere hostes miserabiliter cædūt. nam strictis gladijs & captis scutis nonnullæ fœminæ uel maritorum uel fratrum siqui cecidissent cædem fortissimè uindicarunt, pugnantes confirmarunt, ad gloriam hortatæ sunt, atque tanta fuit fœminarum constantia, & uirorum fortitudo ut hostes turpiter reiecti sint, coactiq; tormenta deserere, quorum maiora clauis adactis inutilia sunt reddita expugnationibus. tanta uisa est uirtus fœminarum ut nemo esset omnium uirorum qui illis præsentibus ullum periculi genus deuitaret; quæ cum armatæ cæsorum telis super mœnibus consi-

 sterent,

sterent, fuissentq́ tres illarum uno globo tormenti laniatæ, quarum frusta carnis in faciem aliarum proximarum desiluiſſēt; illæ cruentatæ harum sanguine non modo non sunt territæ, sed magis irritatæ ad ultionem in inuadentes Turcas. cum tanta denique apparuisset defensorum constantia, tanta fortitudo, tanta uis; neque audirentur omnino nuntij Mahometti pactiones proponentes, censuit Curtensis Baßà & Mahomettus iactam esse aleam de illa ciuitate subiuganda, omnemq́ operam amitti. atque cum tempus instaret ut copiæ in hyberna reducerentur propter ingentia frigora, propter quæ multi & homines & equi peribant, decernit Mahomettus ad 14. cal. Nouembris ab obsidione recedere, quod etiam sequenti nocte cum omnibus copijs fecit. Achmetus itaque Curtam, at Mahomettus Taurumnum discedit; quo tempore ciues ea insigni uictoria elati postremum agmen hostium insequūtur, cum mille homines exissent, prædaq́ onusti multis ex hostibus cæsis captis nonnullis tormentis uictores & gloriosi in urbem redeunt. Castalius cognita hostium profectione fugæ non dissimili hortatur Ferdinandum ut iubeat Mauritium ex altera parte Mahomettum inuadere, quòd ipse esset ex altera inuasurus, quia ita male affectas Turcarum copias facile profligassent. quod consilium si tam cognitum & susceptū, quàm utile, fuisset; poterant Turcicæ uires in multos menses frænari. Cæsar in Belgicos fines copias comparabat, ut diximus dū res ita in Italia & in Pannonia succederent; sed quòd intelligeret Albertum cum Gallis fœderatum satis grandem exercitum comparasse, procurat ut is in amicitiam redeat; quia tot in locis, tamq́ diuersis non posset uno tempore resistere. cū præsertim Albertus ferens grauiter pacem compositam cum Mauritio Francfordiam urbem opulentam & nobilem eius Galliæ orientalis quæ Franconia nominatur in ora ferè & in ripa Mongaui siue Meni fluminis sitam magnis uiribus oppugnasset, ubi Vsipetes sunt populi in finibus Germaniæ & Sarmatiæ. qua in urbe mos est haberi Cæsarum delectum, sicuti Bathoduri Coronari consueuerunt. Sic enim Carolus quartus Imperator constituit ut Cæsares à prædictis septem eligerentur.

Vinundriç obsidio dissoluit.

Francfordiæ mos antiquus in delectu Cæsarum & regum Rom.

tur. atque si duo Romanorum reges, fuit id consuetudinis ut alter in agro Francfordiensi per mensem & dimidium expectaret alterum armatus ad prælium. quare uel uictor, uel cui cessum esset, ille Rex Romanorum acciperetur, quod non semel accidit. eam urbem diutius obsedit Albertus, multisq; calamitatibus affecit per hoc bellum. tum Volphangum Teutonici ordinis magistrum direptionibus & incendijs uexarat, pecuniamq; extorserat, agrum Noringensem immaniter deuastarat. pagos ad centum & castella populatus fuerat, & uillas ciuium, Syluas cremarat, templa spoliarat. Gruioniariensis Episcopus pacem duris cōditionibus redemerat. ducenta nummum millia numerare cogitur Vircenburgi. debitā Alberti sibi suscipere, quæ erant triginta & quinque millia nummùm. atque cum urbes Sueuæ Noreienses ad pacem cum Alberto hortarentur, ijq; constantißimè semel datam fidem tuerentur, Albertus eos maiore impetu oppugnat. his denique conditionibus pacem componunt; ut darentur ducenta millia nummùm Alberto, ut sex bellica tormenta cum rebus apparatibusq; necessarijs; utq; appertè iuuerent fœderatos principes. Procurat igitur Cæsar ut Albertus sibi reconciliaretur, quo à Germanis negotijs liber Diuodurum è Gallicis manibus extorqueret. Primum igitur uenit æniipontem, deinde Augustum Vindeliciæ. ibi Senatum remouet, primum restituit. Nam Mauritius cum illam obsedisset mense Aprili fuerat potitus dimißis liberis Cæsarianis præsidijs, nihilq; aliud petiuerat nisi amicitiam & fœderationem ad communē Germaniæ libertatem defendendam. Cæsari Augustam profecto nuntiatur futurum ut rebus cum Alberto compositis Alberti exercitum, qui constabat è quatuordecim millibus peditum ac multo equitatu, obtineret. his monitus iubet Cæsar res Gallicas per Lotharingiam inuadi, monetq; Albertus ut Diuodurum adoriatur, quod ipse ex alia parte esset inuasurus. Henricus interea ijs urbibus munitionibusq; occupatis cum intelligeret Cæsarem cōparasse copias; neque tamen posset eius consilium explorare, neque cognoscere quæ loca primùm esset inuasurus, præfecit cum summo Imperio in principatu

Albertus Franconiā Prouinciā deuastat & populatur.

Cæsar Albertū sibi conciliat. & eius exercitum obtinet.

Henricus uisit loca omnia & munit.

Leucorum bellicis rebus ducem Neuersem. Iubet loca omnia ad muniendum recognoscere: ut res postularet annona, præsidijs, tormentis, reparationibus, bellicis apparatibus instruere. monet ut succensis frugibus hostium Teonuillæ curaret suorum locorum messes colligendas; quòd ipse exercitum ducere constituisset in fines Belgarum & Picardiæ. Dux ille acceptis quinque Gallorum peditum millibus, & noui ducis Bulionis quinque uexillis cataphractorum equitum, octo leuioris armaturæ, multisq. equitibus sclopettarijs auctus Iuoerium Dãuillamq. uisit, atque his & cæteris locis institutis ut munirẽtur, præfectisq. uiris munitionum peritis Diuodurum accedens peruenit ad pontem uocatum Riccomontem, qui non amplius duobus millibus passuum distat à Teonuilla. eò curat sal, acetum, carnem salitam, pulueremq. tormentarium in arcem Marsi conuehenda; quæ quoniam erant necessitate uiarum non procul à Teonuilla transitura præsidiorum eius urbis præfectus insidias locat proximas itineri; extremum potius agmen & palantes, quàm uniuersas custodias inuasurus. Insidijs uerò Gallis per exploratores patefactis, Galli in hos impetum faciunt, hos in urbem includunt, atque nonnulli tam urbi propinquant, ut uel tormentorum globis, uel glandibus transfixi è mœnibus nonnulli ceciderint; reliqui coacti sint lõgius recedere ad iter institutum. Iis rebus in arcem comportatis ad messes deuastandas Teonuillensium accedunt; sic.n. futurum uidebatur ut facilius compellerentur ad deditionẽ, neque exercitus si eò Cæsariani acccederent possent ita commodè morari propter annonæ penuriam. atque dum in concremandis deuastandisq. frugibus eius urbis sunt intenti Diuodurum protegunt ad suas messes colligendas. Henricus interea quia nuntiatum esset exercitum à Maria Regina comparatum procedere in Belgas, ac paulatim euanescere, suas copias in eos fines adducit multa castella capit, succendit, euertit; ad urbem Cimettam uocatam contendit illam etiam euersurus, quoniam maximè omnium locorum Arduennæ finitimis populis Henrici damna inferrentur. eam ubi obsidione undique cinxisset, intelligit omnes propè primarios ciues aufugisse

Teõuillæ agrũ à gallis uastatur.

Henricus Belgarum Prouinciã euertit, & Cimettã urbem obsidet.

aufugisse cum omni suppellectile. at reliqui tormenta expectant. sed tamen facta uerberatione, prostrataq; murorū parte antequam urbs à Gallicis copijs inuaditur, & nobiliores ex ijs, & urbana præsidia sese in arcem recipiunt. Galli urbe potiti omnia inuenta diripiunt. cum Sequani arcem tuerentur, ea quoque concuti cœpta. tum ab inuadentibus Gallis capitur, qui ingressi obuios quosque trucidant. defensoribus in seruitutem adductis arcem diripiunt. tum Gallis ad occultatas suppellectiles ut fit per suspicionem bellorum, retegendas cuncta rimantibus accensis luminibus, irrumpitur in turrim bellicorum apparatuum, ubi multus puluis tormentarius fusim disiectus erat cum tormentis. in eum fauilla forte collapsa tantum incendium repente excitat ut corruens fornix multos Gallos miserrime oppresserit, atque inde tota urbs concremata est & euersa. Henricus quia magnæ pluuiæ fierent mense Sextili exercitum diuturnis præteritæ æstatis laboribus, longisq; itineribus defatigatum & afflictum iubet esse in statiuis ut prospiceret Cæsaris consilia, qui iam multas copias in Germania conscripserat. Nam tametsi in Pannoniam iturus ab exploratoribus nuntiabatur, tamen ille Diuodurum putabatur ab Henrico accessurus; quam urbem ne repente imparatam inuaderet Ghisium & Strozzam Marescialllum eò mittit, quia sciret Ghisium plurimum ibi amari ab ijs ciuibus. eò profecti munitiones institutas diligentissime perficiendas curant. nouos exploratores in Germaniam mittunt, qui postea nuntiant reconciliatum Mauritium, Cæsarem non solum urbes recepisse in fidem quæ denuo ab eo cū Mauritio defecerant, sed etiam ingentem pecuniam & copias maximas ad recuperanda Diuodurum, & Tullum, & Verdunum liberas ciuitates, quas Gallus subegerat; & ad liberandum Ducem Lotharingiæ quem fecerat tributarium Henricus. Atqui si hæc diligenter quis perpenderit, illi fides Germanorum uidebitur non posse carere grauissima leuitatis & inconstantiæ nota. nam qui modo coniurati magnis & propè incredibilibus sumptibus ingentes exercitus parāt, Cæsarem è Germania eijciunt, se in libertatem uendicant, Gallum

Cimetta urbs igne præter spē accenso euertitur & concrematur cum iruētibus.

Ghisius Diuodurū munit.

Germanorum inconstantia.

Gallum ad Germaniæ defensionem cient, Protectorem Imperij, & propè Germaniæ parentem nominant, eodemferè tempore nulla accepta iniuria à Gallo, nullo accepto à Cæsare beneficio, huc illuc lubrici feruntur. At Cæsar iam satis ingentem Italorum Germanorumq; exercitum collegerat, quippe qui iam haberet in castris sex Italorum, octo Belgarũ, sexdecim Germanorum millia; & quatuordecim cataphractorũ, leuiorumq; equitum uexilla. cum his magna copia annonæ cõparata iter capit, dum Maria Regina alium exercitum colligit in finibus Piccardiæ, quæ habebat ad septem millia peditum è ueteranis Hispanis, qui conuenerant eò è Neapoli & Gallia subalpina. inter cæteros principes qui arma cum Maurittio sumpserant aduersus Cæsarem, & cum illo coniurarãt, fuit, ut diximus, Albertus Sennonum princeps; qui nondum arma deposuerat, sed cũ multis proceribus Germanis & quatuordecim millibus armatorum ac tribus equitum profitebatur se Gallo militare; idq; per multos dies antequàm Cæsar castra moueret, & iam ad eos fines cum suis copijs peruenerat. Istud alij factum callidè censuerunt, ut si in aliquam urbem admitteretur, eam Cæsaris nomine occuparet. alij maluerunt factum fuisse ut ita honorificentiores conditiones extorqueret à Cæsare. nam Alberti copiæ in Lotharingiam procedentes eadem uexilla gestabant quæ etiã Galli, & cum Gallicis insignibus explicarant, quæ suscepta fuerant ubi primùm arma aduersus Cæsarem sunt importata. cum eò nomine procederet ut auxilia ferret Gallis, ad urbem Treuirim peruenit Cæsarianam. illa per uim potitus est, atque multa grauissima & indecora commissa sunt ab Alberti militibus. Henricus quòd non accitus Albertus aduentaret, mittit Aquarum Augustarum episcopum ad eius animum diligenter explorandum, quia in nonnullam suspicionem inciderat. iubet ut si is uellet Regi militare, de stipendio conueniret, quando ita hostes Gallorum infestabat. respondet Albertus se neque pecuniæ, neque stipendiorum, neque auri aut argenti causa uel siti militare, sed Germanici nominis ac libertatis causa, & quoniam Rex tanta liberalitate atque humanitate in

Cæsaris & Mariæ reginæ exercitus.

Treueri urbe Albertus ui potitur.

Henricus mittit exploratum Alberti animum occultum.

Germa-

Germanicā nationē usus fuisset, nihil se magis cupere quàm parem gratiam Regi referre qui pristinæ libertati Germanos restituerit: quo etiam consilio relicto Mauritio ut ingrato & acceptorum beneficiorum immemore ultro ad istud bellum accessisset. Sed Henricus qui iam subodorauerat Albertum fuisse Cæsari reconciliatum, atque rumorem eius rei differri donec aliquid memorabile egisset; ut in aliquo articulo temporis scilicet regias res desereret, repentinoq; discessu Gallorum animos consternaret; non fidebat Alberti blanditijs. Sic occultis consilijs Albertus procedere. aduerso ombrico flumine non procul à Teonuilla proficisci. castra ad Rorangem ponere, qui locus est non plus quindecim millibus passuum distās à Diuoduro. eò profectus continuò commeatum à Ghisio postulat tanquam dux Regius. Ghisius de regia suspicitone factus certior ne tamen per eam occasionem Alberti arma in Gallos conuerteret per nonnullos dies concedit. sed cum frequentius reposceretur monet Petrus Strozza quanti ad omnem bellorum euentum referret tam propinquo Cæsare præcipuè, quam dicebatur hoste, ne urbs illa rebus necessarijs exinaniretur. cauendum esse ne ita per hoc stratagema urbs facta inops rerū necessariarum in aduentum hostium opprimeretur. Non esse commodum neque tutum præsertim belli tempore urbem illa annona priuari, quæ in obsidionis usum fuisset multa diligentia comparata; cum Albertus posset commeatum aliunde procurare. Respondet igitur Ghisius non posse urbem tantam annonam suppeditare, quam in opportunitatem obsidionis reseruaret. si sese ad Salinas uocatas regionem fertilem & opulentam finitimam contulisset futurum non solum ut suas copias commode aleret, uerum etiam ut commoditatem commeatus prærriperet hostibus eò breui uenturis. illud Ghisii responsum primum uisum est Alberto peraccommodatum, atq; ducem itineris ad eam regionem petit. Sed postea neq; incœpti quidem itineris pertæsus cum suis copijs ad quinque millia passuum Diuoduro propinquat, castrisq; ad Eium oppidum positis maiorem etiam suspicionem excitat, tum ad finitima loca peruagatus Treuirim properat cohortes nonnullas quas ibi relique-

Albertus uti amicus ad Diuodurum castrametat.

reliquerat sibi adiuncturus. postea pontem Camosonem petit nulla re cum episcopo Aquarum Augustarum, aut cum Lansaccio communicata, quem Rex eò hac ipsa de causa miserat. ea uerborum ambiguitate, ut uidebatur, incrementoq́. copiarum multo etiam magis Henricus permotus copias ad oppidū sancti Michaelis promouet, quod situm est in ripa Mosæ fluminis, ac distat à Diuoduro non plus decem millibus passuū. Cæsar per id tempus processerat Dupontium, uniuersasq́. copias per propinquam regionem, quam Valges appellant, distribuit. ea re cognita Conestablius tantum tormentorum, & commeatus, & bellicorum omnium apparatuum admittit, quantum in multos menses necessarium uideretur. contracta sunt & præsidia permulta, quibus aucta sunt urbana duce Horatio Farnesio Regis genero, qui ut aggeres maiori studio ac celeritate erigerentur multos operarios introduxit. Albertus finitimus adhuc sollicitum tenebat animū Conestablij, cū dubius esset; ac neque uellet irritare Albertum si non esset hostis: neque si esset, putabat se tutò illi posse credere; Cæsare præsertim tam uicino cum suis copijs. Nec multo sanè interiecto tempore nuntiatur Albertum finitima quæque deuastare, populari, & euertere, quare statuit Omalium Regulum, & Rangrauium Germanorum tribunum ad eum mittere ad colloquium: qui rogarent ne ita deuastaret regionem, elicerentq́. eius consilium, & spectarent quo animo appareret in Regem. Albertus denique cum absurdas, parumq́. rationi consentientes petitiones proponeret, quas in stipendium poscebat; & iam de Rege quereretur, cuius se profitebatur esse amicū, & cum duce Lotharingiæ fœderatum denique quod esset suū consilium paulatim aperit. At Cæsar ex altera parte suū principatum liberum Alberto obtulit, eiq́. honorificas alias addit conditiones, addit promissa, nulli rationi parcit ut eum ad sua uota perducat. ex altera Conestablius Alberto conditiones honorificentissimas proponit, sed eas Albertus refutat. Gallos & illud consilium Alberti, & Cæsariani exercitus propinquitas nonnihil sollicitos habet; cum etiam Mariæ Reginæ copiæ prædationibus & rapinis eos fines infestarent, totiq́.

Albertus Galligas conditiones refutat.

tiq́; Galliæ ingẽtem trepidationem iniecisset. Henricus qui omnia hæc futura iam multò ante prauiderat, per illam temporis opportunitatem quam Cæsar concesserat laborans ex pedibus per multos dies in agro Valgensi, ita auctus est multis expeditis Germanorum, Gallorum, Heluetiorumq́; cohortibus, ut stabilitus confirmatusq́; fuerit. nam censa sunt per istud tempus triginta peditum, septem equitum millia, quibus aderant tormenta cuiusuis generis complura. eo consilio Alberti cognito, quod ad partes Cæsarianas amplectendas erat propensum, censebant nonnulli è Gallis ducibus castra Alberti esse inuadenda, labefactandasq́; & profligandas eius copias antequam cum Cæsarianis coniungerentur; sed alij ab eo consilio retrahuntur spe quadam, quam ille reliquerat; neque putabatur prorsus cum Cæsare conuenisse. putabatur. n. futurum si maiora stipendia proponerentur, ampliarenturq́; promissa ut in Gallicana castra alliceretur. Istud agi cœptum est per Germanos tribunos qui Regi militabant, qui etiam decem uexilla peditum è castris Alberti simul in gallicana alliciunt. Albertus cognito Gallorum consilio qui Germanos duces mitteret ad illud negotium ut Germanos paulatim allicerent, cum sua castra uideret in dies debilitari, mittit rogatum Conestablium ut quando Rex apta stipendia non erat daturus liceret sibi liberè abire cum suis copijs. atque ad occultandum consilium addidit fore ut maiorem propè utilitatem rebus Regijs afferret ubicunque futurus erat, quàm præsens, cum res Cæsarianas ita esset infestaturus, ut ex hostium spolijs multo maiora ordinarijs castrorum stipendijs esset capturus. atque illud palam profitebatur per nullas conditiones se cum Cæsare, aut cum hostibus Regis conspiraturum. His pollicitationibus commotus Conestablius liberum quidem trãsitum patefacit, sed iubet Omalium cum mille cataphractis, quingentis leuioris armaturæ equitibus non procul ab eius castris abesse, ut uim ac rapinam eius principis frænaret. Albertus itaque profectus in quodam prato peramplo non procul à Tullo in ripa ombrici fluminis castrametatur. maximis damnis accolas affligit. querelæ deferuntur ad Omalium. is

Albertus occulta spe frustratus recedit è finibus Lotharingię, Omalio insequente.

rogatum mittit Albertũ suos ut ab ijs iniurijs coerceat. quãquam illæ preces uanæ fuerunt. Idcirco accolæ regionis collectis uiribus inter nemora latentes si quem prædabundum ex hostibus, aut palantem conspiciant hunc trucidant, neq; quẽquam patiuntur in castra reuerti. Albertus queritur per tubicinem apud Omalium, quia istud fieri Omalij ipsius consilio diceret contra promissa, quia liberũ transitum Conestablius commisisset. at Omalius id fieri respondit accolarum causa, qui magnitudine acceptatum calamitatum contra ius hospitij in eam desperationem impulsi fuissent. his tot cædibus quæ in dies fiebant ab accolis coactus est Albertus recedere ex illa regione. Omalius cum uis magna esset imbrium, neq; posset Albertum commodè sequi per loca paludosa quà erat transeundũ, quod non possent trahi tormenta, præsentium ducum hortatu incitatur ut in Alberti copias impetum faceret, quẽ facile posset profligare cum nullus futurus esset uel sclopettorum, uel tormentorum usus propter imbres: quod Omalius facere deuitat ne datam semel fidem uiolaret. At uerò Cæsar cũ mensis October iam maiori ex parte præterisset, dum laborat ualetudine, tormẽtaq; expectat & bellicos apparatus, qui per fluuium Rhenum Confluentiam aduehebantur, ut ea aduerso flumine Ombrico Diuodurum adueherentur, adhuc morabatur in agro Vualgensi. Instabant Cæsari duces nonnulli, inter quos Albanus præcipuè & Marinianius Reguli rem non esse protrahẽdam dicebant. opus esse cum præsentibus copijs & tormentis loca finitima Diuoduro tentare. sũmo esse auxilio celeritatem. impelli ad hoc propinquitate hyemis cum ager Diuodurensis aquosus paludosusq; sit ob copiã fluuiorum quibus irrigatur. si negotium protrahatur in aduẽtum pluuiarũ hybernarum futurum ut copiæ uel moriantur uel necessariò soluantur. sin propinquæ munitiones & castella maturè occupata fuissent, illud commodi acceptum iri ut copijs in hyberna distributis esset futurum quoddam genus obsidionis, cum & Cæsariani commodè hyemare possent & cõmeatuum facultas undiq; Diuoduro intercluderetur. Atque profectò ita contigisset ut urbana præsidia, quæ erant ualidissima, annona per hyemem

Albani & Mariniani instãtia Cæsari Diuoduri inuadendi.

mem absumpta in magnas difficultates in uernum tempus coniiceretur; cum facile fieri potuisset ut copijs Cæsarianis uere in apertum eductis Diuodurum se dederet, neque tentata quidem à Cæsarianis expugnatione, quod fames breui esset subiugatura. est enim hoc bellandi genus non ineptum, & fortasse etiam omnium tutissimum, quo Turcæ plerunque utuntur: ut populationibus, incendijs, ac rapinis agrum uexent, colonos abducant, segetes urant, omnemq́ spem commeatus eripiant pro uiribus, si quam munitionem expugnari cupiãt: quòd his facultatibus ereptis facilius ad deditionem compellatur. Cæsari ut qui se præstare equitatu arbitraretur accedentibus præsertim Alberti copijs, reiecto suorum ducum cõsilio decernit omnino Diuodurum inuadere, ut sibi facultas conferendi signa cum Gallis concederetur si uellent obsessis opem ferre: atque ut ea urbe potitus, uti sperabat, cum tanta annonæ apparatuumq́ copia, tot Gallis principibus captis, nam multi insignes erant in ea urbe præter Ghisium, Strozzam, Memorantium, Farnesium, Vandomum, Neomagiũ, Monpenserium, Anguienum; mox Galliam ipsam ingenti terrore perculsam, totq́ insignibus ducibus spoliatam adoriretur. Attractis igitur tormentis ad Ombricum flumen iter capit tanquam Teonuillam & Leucorum principatum primum inuasurus: per quam opportunitatem commisso leui certamine Galli arcis Marsi præsidia cum nonnullis tormentis seruant, eamq́ egressi flammis & incendio absumunt, ne ulli usui esset hostibus. Conestablius ueritus ne Cæsar ad occupandum Verdunum signa conuerteret, cuius in præsidijs erat cũ ducentis equitibus leuis armaturæ, totidẽ sclopettarijs equitibus, centum & quinquaginta cataphractis, octo uexillis peditum Mareschiallus sancti Andreæ, iubet copias eò accedere dum omnis commeatus in urbem è finitimis locis importaretur. postea curat ut noctu & interdiu nunquam intermisso labore partes opportunæ muniantur. Tum curauit recognoscere reliquas urbes quàm celerrimè Conestablius, an satis essent ad defensionem munitæ, qui post uisum Danuillerium & Iuoum ac Monmedium, iudicat urbem Sattenum non posse

Cæsar iter capit tanquã Teõuillam inuasurus.

Conestablius Verdunum munit, & recognoscit reliquas urbes.

defendi, quare inde præsidia abducit; occupato per illud tempus Vireitone oppido munito plurimumq; rei bellicæ utili. neque multo interuallo temporis post captum id oppidum nũtiatur Cæsar acceptis Belgicis auxilijs Diuodurum uersus iter habere, cũ ad eam partem regionis quæ ad remos Vessonesq; spectat contendisset ad accipienda auxilia ne in itinere profligarentur antequam accederent in castra, atque ad Serebracium uocatum pagum castrametatur. Inde Albanũ qui summæ praerat eius expeditionis, & Marinianium præfectum Italis copijs præmittit cum quatuordecim peditum, quatuor equitum millibus, & sex muralibus tormentis ad urbem Diuodurum, quam ita propè accedunt, ut commoda loca occuparent ad obsidionem. erant enim præter hos præcipui etiam duces cum Cæsare Agamontius, & Arembergensis reguli, & Brederodes, & Albertus dux Sennonum. Ghisius & Strozza leue prælium égreßi committunt. certatur acriter utrinque multis cadentibus, & pluribus acceptis uulneribus. Albanus ad decem millia paßuum copias ab urbe retrahit. Albertus denique Cæsarianas partes hortatore Albano complexus denique se hostẽm Gallis pronuntiat; quod ab Omalio regi nuntiatum est in Remis, qui illum per uestigia insecutus fuerat, atque his additum est, quòd si cataphractos equites adhuc haberet, qui fuerant in castra à Conestablio reuocati, sibi non difficile esse Alberti copias labefactare. Sed cum remißi fuissent, iam Albertus Mussum, Madonemq; præterierat iter faciens, ac præconem Omalij secum abduxit ne ille sua consilia patefaceret Omalio priusquam castra cum Cæsare coniunxisset. At uerò cum Omalius ita se recipientem Albertũ magno studio insequeretur, Albertus conuersus instructis copijs in aciem nihil tale suspicantem inuadit repentino aduentu. Gallicum equitatum dißipat. Omalium ipsum strenuè pugnãtem caso equo delapsum, ac breui sclopetto uulneratum, capit. Quare patet nullam esse tantam diligentiam quam non adhibere oporteat hoste propinquo: quia uel uicti paulo negligentioribus uictoribus eripiunt uictoriam de manibus, nisi quis fuerit uel ante uel post uictoriam diligentißimus. sunt enim

Diuodurũ à Cæsarianis obsidetur.

Albertus se hostem Gallis pronũciat, Omalio profligato, & capto.

iacturæ

iacturæ urbium, populationes agrorum, captiuitates, seruitus, incendia, ruinæ, deuastationes, uulnera, clades negligẽtium & desidum in rebus bellicis præmia. cecidit in ea pugna regulus Aulercorum, cum esset captiuus: qui glandæ transfixus fuit à quodam Germano dum amici quidam duo inter se utrius esset captiuus disceptarent: is enim superueniens fortuna ad dirimendas horum contentiones ignotum principem interemit. Desiderati sunt plures trecentis Gallis, multi capti, multi fuga seruati. Albertus ea uictoria, ysq; rebus feliciter gestis elatus ad pontem Camosonem redit ad ulteriorem partem fluminis, atque Cæsar laudata eius uirtute duo equitum millia mittit ut coniungerentur cum suo exercitu, qui iam ad undecimum Calendas Decembris accesserat ad urbem Diuodurum. Albertus in castra Cæsariana profectus cũ suis copijs ad diui Martini Abbatiam castrametatur. Regiæ copiæ ad oppidum Claramontem interea peruenerãt, quod est principatus Varoensis, cui arx imminet in colle propter altitudinem è tribus lateribus inaccessibilis, & natura arteq; munitissima; quam Galli per summam industriam occuparant, & ad opportunitatem consimilem munierant. Cæsarianæ copiæ Duce regulo Rosseo, quæ accedebant ad quindecim peditũ, duo equitum millia iam in apertum exierant cum illud consilij cæpissent ut Feram oppidum Vermanduis finitimum caperent; quod negotium cum difficile postea uisum esset, quia inesset ibi Anibaus Amiras cum firmissimis præsidÿs, urbes finitimas Noriones incendÿs absumit, & Nellam, & Ceulnum, & Roiam, & pagos ad septingentos, quorum plerique ac maior numerus erat Vandomÿ. Post huiusmodi incendia & deuastationes agrorum Rosseus Edinum obsidet; quæ urbs cum nullas munitiones haberet, quibus posset defendi, facile capitur. at oppidulum cum esset eximie munitum strenuè pugnat. attrahuntur tormenta. ea corbibus terra repletis de more bellorum protecta è Parco uocato loco acriter diuerberant. insignis turris prostrata, quæ murum tuebatur, ita fossam replet in eam collapsa, ut pontem propè Belgis effecerit. at Gallica præsidia territa nullo expectato conatu hostium antequam à Cæsaria-

Cæsarianæ copiæ Gallicas urbes incẽdio absumunt.

Edinus urbs expugnat à Cęsarianis.

Cæsarianis inuaderentur præter libertatem & facultates cũcta uictoris arbitrio dedunt: quæ res non parum mæroris Regi, finitimis populis plurimum certè trepidationis attulit; quia præsidiorum præfectus spe defensionis omnium animos extulerat, qui palàm dictitauerat sed defensore locum nunquam ui superatum iri. accessit ad hoc incommodum non parua animi perturbatio Regi, quòd Anibaus uir prudentissimus ac rerum bellicarum peritissimus nuper uitam cum morte commutarat. Quibus rebus etsi Henricus nonnihil commouetur, tamen ubi sese collegit, ut Catalauno propinquaret proceres suos acciuit in castra, regulum Neuersium, Marescialllum sancti Andreæ, Sciatilioneum, ac reliquos. nonnullos ad recuperandam urbem Edinum: ad quod consilium perficiendum opus erat copias è Vermanduorum regione contrahere. Henricus iubet Ghisium certiorem fieri de illo consilio, atque interrogari num plus commeatuum, præsidiorum, bellicorumve apparatuum posceret ad eius urbis defensionem, & quandiu se posse resistere uiribus Cæsarianorum arbitraretur. at Ghisius respondet urbem rebus omnibus necessarijs egregiè esse munitam. se posse per tot clarissimorum & præstantissimorum ducum & militum uirtutem diutissimè resistere; neque omnino de illa urbe esse dubitãdum. quod ipsum Strozza etiam affirmauit. Henricus dicto Amirante Sciatilioneo iubet copias è Piccardia adduci, in Belgas proficisci ad Edinum expugnandum. Albanus interea ad Diuodurum castrametatur ineptis ad belligerandum ac difficilibus temporibus cum triginta Germanorum, uiginti inferiores Germaniæ peditum uexillis, & tribus millibus equitum; à sancto Arnoldo ad Diuum Clementem usque Hispanis castra occupantibus, ubi erat Italus etiam peditatus. reliquæ Germanorum copiæ fuerant ad pontem magnũ castrametatæ. Aloysius Abulensis cum equitatu Hispano ad uocatam Malandriam. ad Bletum & Olerum, quæ sunt regiones agri Diuodurensis ita nominatæ castra posuit cum equitatu Bohemo Marcomanorũ præfectus, quem Siniscalcum uocabant. Germanus equitatus stationem habuit apud Grangiam, & sanctum Priecum.

Henricus conuocat proceres ad Edinum recuperãdũ.

Copiæ Cæsarianæ quibus locis distributæ ad Diuodurum obsidendũ.

atque castris ita distributis Albanus animum primum conuertit ad ipsa castra foßis & aggeribus munienda, ad texendos erigendosq́; corbes uimineos ad tormentorum tutelã, eosq́; terra replendos, atque prima tormenta è regione portæ Tebaldi erigit. urbana præsidia contrà sæpius egredi, minuta prælia committere, castra hostium inuadere. in hos exunt ex omnibus nationibus cum strenui & fortes & intrepidi utrinque pugnarent. Nuersius aßiduis prælijs cum suo equitatu commisso plurimum infestare cuius cataphracti Cæsariani & leuiores equites nullum prælium deuitant. at uerò succrescentibus in dies frigoribus & crebris niuibus propter anni partem molestißimam acerbitatemq́; regionis Cæsarianæ copiæ affligebantur; & maximè omnium Itali, non solum quia stipendiorum inopia laborabant rerum omnium necessariarum uictui penuria, uerum etiam quòd minus tantæ frigorum magnitudini essent assueti: qui etiam in magnum discrimen incidissent, nisi allecti meruissent Gallica stipendia. His enim se per benignum Neuersius ostendit, quare non laudem solũ ab Italis est consecutus, sed etiam Italorum studia & beneuolentiã in se conuertit. Albanus ductis latis profundisq́; foßis atq; inde neccessario sublimibus erectis aggeribus tormenta direxerat, cæptaq́; est urbs sub finem mensis nouembris uerberari: atque concuti propugnaculum præcipuæ ingẽs ad portã Campanessem uocatã. cæpta sunt concuti ad deijciendum prosternẽdumq́; defensiones apud turrim nominatam Lanchen, & omnes præterea quæ essent in eo spatio. ad quintum calendas Decembris tanto impetu, tantoq́; strepitu mœnia quadraginta muralibus tormentis concuti cœperunt, ut uiderentur urbem in puluerem uelle cõuertere; cum nunquam cessaretur intermißis uerberationibus, aßiduis diebus & noctibus in decutiẽdo absumptis. Sed quoniam nullum bellum est durius aut atrocius quàm illud, quod cum uiris fortibus geratur, qui non nisi per magnam difficultatem, summumq́; capitis periculum uincuntur; aut fortiter hostem profligant; obseßi singulari diligentia usi quantum murorum spatium per diẽ prosternebatur, tantundem per noctem cathenatis trabibus, terra, ac cæteris

Albanus tormentis diuerberat Diuoduri defensiones.

teris

teris huiusmodi reparationibus resarcibant; atque inter ueteres muros & reparationes ipsas latera relinquebant, quibus reparationes protegerentur tanquam à propugnaculis. Quæ dum fiunt ad Diuodurum, Gallicæ copiæ iam Piccardiæ finibus propinquabant. At Rosseus ea re cognita, cum suum exercitum haberet apud Edinum, neque se posse resistere tantis uiribus arbitraretur, retro copias ducit, relicto filio suo cũ præsidijs in arce Edini, quã ipse praualidis aggeribus extra & intra muniendam curauerat. compulerat uerò filium iurare proposita grauissima pœna, ꝙ nisi per summam necessitatem, atque tunc etiam nisi honorificis conditionibus, nunquam se dederet. ubi accessissent copiæ Gallicæ Vãdomus, tormentario negotio præfectus ad decimum quintum cal. Ianuarij tormenta attrahi iubet. tanta uehementia tantoq́ studio concuti arx cœpit, ut quatuor globorum millia ultra sexaginta in muros contorta sint, nulla parte muri humiliore patefacta; cum Verberatio distaret ab imo plures uiginti pedibus. Verumtamen præsidia urbis atque ciues ita se dedunt, ut præter libertatem & facultates cuncta uictoris arbitrio permitterentur. atque ut exire liceret cum uexillis ad profectionem explicatis, & cum duobus mediocribus tormentis. Iuuenis Rossei filius quamuis diuturnam obsidonem pertulerat, tamen quia nondum hostes urbem inuaserant, ueritus paternã indignationem, à patris præsentia diu abstinuit. Galli ita receptum Edinum singulari diligentia muniunt, omnibusq́ necessarijs rebus instruũt. Albertus ut gratiam Cæsaris promereretur, petit ut suis cõcedatur primis Diuodurũ inuadere, sed cum tormenta Cæsariana turrim disrupissent murusq́ uniuersus esset prostratus, qui inter ipsam turrim & portam Camonosam intercedebat cum propugnaculo coniunctoꝫ tamen contractior murus deijci non poterat, neque quid collapsum murum sustinebat agere: quem ante murale appellare liceat, cum murus collapsus ab altero inferiore sustineretur, inter ipsum antemurale & murorum fundamenta idcirco non modo murus fossas profundas murus non repleuerat ruinis, sed ualidor etiam fiebat obsessis reparatio. Cæsar rem ad

Edinũ Galli expugnant.

Cæsar ualidiorem Diuoduri urbe rationẽ indicit.

ad consilium defert primarij ordinis ducum ac tribunorũ militum, quare decernitur locum tormentorum esse mutandum eaque in locum paulo superiorem transferenda, atque partem illam cuniculis esse tẽtandam, ut ita murus, & eius anterides præcipites deuoluerentur. Ghisius & Strozza de illo consilio certiores facti per captiuos & exploratores huic oppositum cuniculum faciendum curant. alij impositum est munus nouæ uerberationis, atq; ita ducibus et proceribus singulis propria munia hinc inde sunt distributa. cuniculo igitur per cuniculũ obuiam itum est, qua ratione consilium & spes Cæsarianorum euanuit. Enimuero cum aßiduè augeretur uis frigoris, atque gelu & inopia rerum multarum Cæsarianos opprimeret, quia Neuersius proxima quæque incursionibus infestabat, itaq; mercatores & commeatum ferentes in castra trepidatione & suppliciorum metu terruerat, ut nemo se tutum in castra proficisci putaret: Germani & Itali afflicti uel sibi pugnandi facultatem dari postulabant, uel ut liceret discedere, ac tantam temporum rerumq; difficultatem deuitare; cum magis obsiderentur ipsi, quàm Diuodurenses obsiderent. nam Neuersius multos carros annona onustos diripuerat, uinum effuderat, frumentum concremarat, aurigas trucidarat. Equos iugales in castra sua abduxerat. Ante omnes Alberti copiæ postulant ut facta honesta uerberatione sibi daretur uenia inuadendæ urbis, quia multò ducerent honorificentius & commodius hostium ferro & uirtute gloriosè cadere, quàm fame, siti, frigore, rerum omnium inopia desides & tremebũdos ita paulatim absumi. Cæsar cum ubique in castris lamẽtationes audiret huiusmodi, uideretq; hominum & equorum numerum quotidie deficere, cum multi aßidue morerentur, hortatur ut ea incommoda ad finem usque præsentis mensis perferrent. pollicetur palam nisi negotium intra illud tempus fuisset absolutum sese debita stipendia soluturum, & liberam discedendi facultatem omnibus facturum. Albanus cuniculos pluribus in locis excauat, sed quia uis temporum erat grauis aduersaria, fiebat uanus omnis labor. Vrbana præsidia, ut quæ in locis commodis hyemabant, & intra tecta, nũc

equitatũ nũc peditatũ emittebant ad Cæsarianos sub dio iacẽtes & semiuiuos infestandos, qui uix afflicti, & magnis incõmodorũ cumulis oppressi resistebant. Cæsar obsidione diutius protracta per tot incõmoda, cũ nulla spes capiẽdi Diuoduri se ostentaret, hortantibus primarijs ducibus ut illud negotium infectum relinqueret, quia durissimum esset contrà cœli inclementiam anniq; tempus pugnare, cũ exercitus quotidie multorum fuga & interitu minueretur, decernit castra mouere ac Tullum inuadere, ne frustra illam expeditionem suscepisse uideretur; quæ urbs propter exortam grauem pestilentiã muniri non poterat. Sed Germani tam lætiferæ uictoriæ gloriam minime appetendam rati, quæ posset contagione uniuersum exercitum ferè delere, ab huiusmodi negotio abstinent, nulliusq; tribuni impulsu possunt impelli. Negotium rursus ad militare consilium uenit. decernitur omnium consensu ut copiæ retrahantur. Cæsar cum omni equitatu leuis armaturæ præmittit Agamontium ad regionem explorandam, ut cognosceretur in locis inferioribus Belgij quæ copiæ essent hostium. ille Tullo transmisso Gondeuillam, quod est oppidum in ripa ombrici fluminis situm contendit. Neuersius ueritus ne hostes redeuntes urbem occuparent, aut obsiderent, animum adiecit ad eam muniendam cum magno equitatu ac peditatu eò profectus. iubet annonam eò frumentumq; comportari ex agris. Sed parum annonæ fuit repertum, quia ciues metu morbi & pestilentiæ diffugientes, eam secum asportauerant. at summa diligentia è finitimis oppidis tantum commeatus inuenit, ut in multos menses urbem munierit, in qua re omnis sumpta est opera; cui tamen Cæsar cum rediret, neq; propinquauit quidem, ueruntamen laudabilis fuit Neuersii reguli diligentia, quia non tantum euentus in rebus bellicis, quantum prudentia & diligentia laudanda est ducum; quippe cum turpissimum sit & calamitosum dicere non putaram. Cæsaris copiæ paulatim deficiebant inedia, frigore, laboribus, morbo, incursionibus hostium absumptæ, ita ut ad quadraginta hominum millia desiderata sint, & infinitus propè numerus equorum: quare cedẽdum necessitati magnæ & Venerabili

Cæsar à Diuoduro castra mouet frigore & inedia propulsatus.

Neuersius Diuodurũ munit & instaurat.

nerabili deæ ratus Cæsar calendis Ianuarij pronuntiari publicè iubet in castris cum ipse abesset obsidionem esse soluendam. Cæsariani itaque ui famis & frigoris oppreßi ad finitimos pagos confugiunt; quorum tam formidabilis erat aspectus, ut mortuis, quàm uiuis magis similes apparerent. Hos Galli misericordia commoti nullo incommodo afficiunt. Sed plerique inedia & imbecillitate feßi decumbentes in niuibus & in glacie miserrimum mortis genus moriebantur, miserabile ubique præbentes spectaculum, atque tanto studio Cæsarianis copias retrahunt ut multa tentoria & impedimenta & sepulta tormenta reliquerint, cum mortua iumenta non potuissent illa retrahere. tantus inuentus est numerus uulneratorum & ægrotantium in castris, ut Galli uel ipsi exeuntes nō solum misericordia, sed etiam admiratione capti sint, illisq́ res necessarias ultro subministrarint. Sed quoniam Albertus se postremum agmē Cæsarianorum defensurum profitebatur, ultimusq́ ab obsidione discessurum, Vidamus Cartrensis cū multis Gallis proceribus & magna equitum turma exit in cōuellentes signa ad profectionem. Ghisius item ex altera parte egressus cum multis equitibus, multisq́ accitis auxilijs è finitimis præsidijs, Albertum postremam aciem protegentem infestat. Albertus contrà suos in acie continet dum procedit pe ditatus, quem equitatus à tergo & à latere protegit. Sic primo die procedebatur, ut quicunque aciem desereret à Gallis trucidaretur. secundo ac tertio præter prædictas difficultates labore etiam itineris defatigati uel ultro iugulum Gallis offerebant humi prostrati. at Galli quadam animi magnitudine incredibili præditi, existimantes uel procidētem & prostratum hostem iugulare nimis crudele esset, & parum ingenuis conuenire sæuire in supplices, nisi aliquod exitium inde timeatur uel tot regionis damnis ex animo obliteratis, totum odium atque indignationem in Albertum conuertunt autorē illarum calamitatum: hisq́ reficiendis res necessarias suppeditant. Diuoduri reuersis Gallis ab insequendo hoste indictæ sunt supplicationes, actæq́ gratiæ Dijs immortalibus, ꝙ eorū potius, quàm humana opera urbs illa tam gloriosè fuisset ab

Cæsariani exercitus miserrimū mortis genus.

Alberti agmen à Gallis trucidatur.

hostibus conseruata, quam plura octoginta millibus armato-rum obsedissent. ea dum fierent in Belgio, Mahometto Vinũdriam obsidente in Pannonia nobiliores proceres eius regni, ciuitatumq; legationes non inconsulto Castalio petiuerant à Ferdinando Rege ut per Alim Chiaussum liceret de pace agere cum Solimano, qui conuenerat Mircem Transalpinorum Vaiuodam ut res eorum populorum componeret, qui à Mirce defecerant, in eas conditiones, quibus pax sæpius cum Ioãne Rege stabilita fuerat; ita tamen ut Zanolchum, Lizisum, Tibiscum, Drigal, Rispia; Buiachum restituerentur, cæteraq; oppida, quæ nuper à Turcis fuissent occupata, ut honorifice pax fieret à Ferdinando Rege. Illud cum annuisset Ferdinandus, concessit Castalius ut ageretur de negotio; sed neque regis autoritas, neque Castalij interponeretur; ne uiderentur ipsi pacem exposcere. ea dum fuissent ad Alim delata, se cum Solimano de his acturum esse breui profitetur. se, uel responsum Vasraeli expectari iubet, ibi indici comitia. at Cassumbassa ex omnibus finitimis castellis Lizisum copias accire, quantum posset uirium colligere, ad incursiones in transyluaniam faciendas accingi. decernit inter Deuam & Lizisum munitionem extruere, unde ad prædam commodè posset exire. ad eam rem turbandam Castalius multa excogitat, tribus uexillis Germanorum præsidia Deuæ adaugenda curat: quibus cum tria stipendia deberentur, tumultuantur omnes, tormenta occupant, ad hospitia Hispanorum nonnulli diripiẽda contendunt, profitentur se captiuos facturos donec stipendia Germanicæ nationi integrè persoluantur. at Castalius de illa seditione certior factus ex urbe egreditur, Io. Baptistam Archensem ad res componendas mittit, uirũ autoritate, prudentia, grauitate insignem; qui docet ubi cum molestißimo hoste decernatur uno tempore de libertate, de uita, de patria, de religione, de laribus, de gloria, de uxoribus, de filijs, de facultatibus, in eo ipso articulo temporis stipendia cogitare ridiculum esse, cum seruati omnia stipendia liberalißimè sint accepturi. at si per has seditiones hostem acciuerint, fortunæq; indignationem in se conuerterint, uno tempore uitam aut libertatem

De pace q bus conditionibus agatur inter Ferdinandum & Solimanum.

Cassumbassa ad Transyluaniam inuadendã se accingit.

bertatem & stipendia omnia esse amissuros. Veruntamen non tantopere sese milites reprehendere, quàm horum motuũ autores, qui cum profiteantur se defensuros causam Germanicam, non intelligunt in quantum discrimen uniuersam rem bellicam, & Germanici nominis gloriam splendoremq́; reuocent. ut tamen intelligerent Castalij in se benignitatem si quare opus haberent, pollicetur certum numerum pecuniæ in præsenti: quæ cum his rationibus addita esset, facile res componitur. at eò tamen nolunt proficisci, quare tria uexilla comitis Helfestaini Deuam mittuntur, militaris disciplinæ hi erant obseruantiores, ut magis bellis assueti. cum his quadringenti ferraroli uocati equites mittuntur, qui multis armati sunt breuibus sclopettis & gladio. Hi cum quingentis Turco Ioannis & Banci Pauli equitibus coniuncti, ac nonnullis Castalij peditibus Lizisum uersus iter capiunt Cassumbassæ obuiam, si ita ferret fortuna: atq; ad oppidum usque Turcarum munitissimum Periam, quod distat à Liziso ad quindecim millia passuum, perueniunt. uniuersum agrum regionemq́; incursionibus populantur. munitionem deuastant omnibus qui inessent trucidatis. nemo in tota regione armatus est conspectus, quia uerebatur Cassumbassa ne si in eam munitionem se inclusisset per Castalij diligentiam omnis reditus sibi intercluderetur: quia nihil non timendum est ubi cum sapiente hoste callidoq́; pugnatur. quare præclarè finxerunt antiqui Palladis sapientiæ deæ scuto affixum fuisse caput Medusæ: non solum quia consideratio principium sit & prima pars sapientiæ; sed etiam quia homines ita sapientia ferrentur, ut lapidei propè & attoniti fiant. multis damnis affectis incolis & agrestibus hominibus Castalij copiæ in castra redeunt: quo tempore cataphractorum Transyluaniæ præfectus postulat à Castalio ut sibi discedere iam è bello liceat. Queritur Castalius non conuenire sese cum tam paruis copijs relinqui, cum Mahomettus non adhuc copias omnino retraxisset. rogat ut aliquantulum etiam commoretur, quia certò sciret Mahometum necessariò in Persas euocari ad illud bellum, quod Solimanus aduersus Persarum regem filij primogeniti causa susceperat,

Castalius iter capit Cassumbassę obuiam.

sceperat, ut & occupata loca complura recuperaret, & Mustapham filium de medio tolleret, cum sibi persuasum esset illum Imperium affectare. Sed tamen nulla ratio tanti fuit, quæ posset illum retardare; quare omnibus uel precibus uel mandatis neglectis suis sequentibus iter capeßit. Castalius cum in aperto esse decreuisset donec Mahomettus fluuios traiecisset Tibiscum & Danubium, quamuis ingentia frigora, multaq; incommoda propter profunditatem niuiũ perferret, ubi per nuntium certum accepit Mahomettum exijsse è Pannonia, uniuersis copijs Transyluanis dimißis, ipse cum Germanis Hispanisq; ad Zibinium castrametatur adauctis Deuæ præsidijs. commissum est imperium ac præfectura equitatus TurcoIoanni, peditatus & urbis Banco Paulo. iubet aggere interius ad muros accumulato muniri commistis lignis & concathenatis. cum uerò animi populorum Transyluaniæ assiduis sumptibus ac frequentibus tributis ad subsidia belli extortis nonnihil alienati uiderentur, ut concederetur tempus muniendis urbibus, iubet Castalius principibus Transyluanis Comitia Vasrael indici ad responsum Solimani audiendum in præteritas conditiones, ut solitum tributum uiginti nummùm millia quotannis persoluerentur, fierentq; induciæ. Hæ si nihil aliud commodi afferebant, id certè concedebatur, ut rebus dubijs Ferdinandi parandi uires, reficiendarumq; munitionum occasio daretur. his accedebat, quòd rebus Germanicis interim compositis inde pecuniam & auxilia posset colligere: cum eius regionis tumultus & seditiones timerentur, ne datam Ferdinando fidem non seruarent. si diutius rebus bellicis uexarentur. at Ferdinandus etsi his curis sollicitabatur, tamen nolebat suo nomine res agi, ne quibus difficultatibus uexabatur pateret: cum uellet contra Solimanum suspicari nedum ipse in Persas belligeraretur, Ferdinandus captata opportunitate in eas regiones ingentem impreßionem faceret; quare facilius ad pacem componendam induceretur. ea re ita constituta Castalius stationem habet Albæ Iuliæ, unde sibi uidebatur posse opportunè locis omnibus succurrere: atque ad sui custodiam quinquaginta Hispanos ducit, & ducentos Aiduchos

Mhaomettus nunciatur exisse e Pãuonia.

Comitia Vasrael indicit Castalius ad reposũm Somani audiendum.

duchos ad eius urbis præsidia. his rebus ita pacatis quia Mirces Transalpinorum Vaiuoda, quæ regio Pannoniam inferiorem siue Transyluaniam claudit ad meridiem, ubi sunt Illyrici Rhatianiq; populi, obseruata occasione Radulphum eiecerat, sibiq; præfecturam illam siue principatum usurparat; Radulphus qui in priuata fortuna Castalio militauerat, petit subsidia à Castalio ad suam præfecturam recuperandam: quæ post patrem ad ipsum iure peruenie bat. Nam Mircem de medio tollere statuerat, uel fortiter occumbere, quia è regia in priuatam fortunam delapsus, tantam rerum mutationem æquo animo ferre non poterat. conatur itaque persuadere Castalio ne se miserrimum è patria per summam iniuriam eiectum in tanta rerum omnium inopia negligat. sibi propositum esse præstare uel fortiter in patria cadere armatum, quàm mẽdicum & inopem & egenum ab amicis uictum quæritare. quod si fortuna belli, quæ communis est omnibus, cuius incerti sunt exitus, suis incœptis arriserit, futurum ut Ferdinandus eam quoque regionem suo Imperio per amicitiam & fœderationem adiungat, audentes & strenuos fortuna plerunq; adiuuare solet, cum timidis & imbellibus omnia grauia, calamitosaq; immineant. ad hanc tantam prouinciam suscipiendam plurimum inuitare populorum animos docet, qui legitimos & natiuos Reges libentissimè crudelibus tyrãnis sint prælaturi. non difficile esse negotium declarat & Monachi, qui tot præsidijs custodijsq; corporis septus erat, casus; & Stephani cædes, qui cum per uim factus esset Vaiuoda Mysiæ inferioris, acerrimè nullo propè negotio trucidatus fuerat; & legitimus dominus in præfecturam receptus. Castalius his rationibus commotus non solum auxilia liberaliter promittit, sed etiam hortatur, ut dum Solimanus in bello aduersus Persas esset occupatus, eam opportunitatem ne prætermitteret. futurum enim ut antequam Solimanus sese ab eo bello explicasset, ita uires suas stabiliret, ut suam amicitiam Solimanus ne reijceret. Huic Castalius misericordia potius, quàm ulla spe trãsigendi negotij commotus lectissimos mille & quingentos Aiduchos, equites septingentos concedit. quæ copiæ egregiam operam

Radulfus impetrat subsidia à Castalio ad suum principatum recuperãdũ.

ram in eo bello nauauerant, cum frequenter Mahometti castra infestassent. his additi sunt nonnulli reuocandi Rodulphi in eam præfecturam studio commoti, quos odium & crudelitas tyranni impellebat ad occultam conspirationem: qui omnes sibi uel cædem uel uictoriam certissimam proponunt. interea fama peruenerat ad Mircem quod Randulphus collectas copias duceret, infestaq; signa inferret. fit certior quo consilio motus esset. oēs quas potest uires summa celeritate cogit. ad octaginta armatorū millia colligit. eductis triginta & sex bellicis tormētis in apertū exit, aa Zergonistum oppidū castrametatur, quod est in ampla planitie, locoq; opportuno ad instruēdas acies. at Radulphus nulla diligentia plures duodecim millibus hominum colligere potuit; quæ uires cum paruæ uiderētur, non audebant amici quo essent in tyrannum animo apertè declarare, ne superiore fortuna uicti grauissimas pœnas darent suæ temeritatis. Veruntamen Radulphus neque eo quidem hostium numero territus obuiam procedit, cum mirificè paucorum uirtuti confideret. Mirces in prima acie sexcentos Turcas equites ductabat. Radulphus ubi è quibusdam collibus prospectus fuisset à Mirce omnes suos ad pugnā instruit, quia bellum nullo pacto posse distrahi uideretur; neque si posset, apparebat deuitandum, cum breui Radulphus rerum omnium necessariarum inopia & stipēdiorum esset laboraturus. quare in mora certum periculum inerat, in celeritate pugnæ spes aliqua uictoriæ & salutis. Quippe cum non semel euenerit, ut parua manus strenuorum militum ingentes copias fuderit & profligarit. contra Mirces altera ex parte impellebatur ad pugnam suspicione quadam ne noua auxilia se Radulpho adiungerent, ex altera deterrebatur aliquantulum, quia nuntiabātur Hispani & Germani Castaliј uiri fortissimi cum eo aduentare, qui & si numero pauci erant, tamen propter peritiam rei militaris, & eximiam fortitudinē erant instar maximi exercitus. Radulphus suos in duas phalāges diuisit, quæ singulæ constabant è quinq; millibus peditū & mille equitibus; atque maior eorum pars erant sclopettariј. cum uerò ad iactum sagittæ propius uentum esset, in conspectu Mircis

Mirces Radulfi principatus occupator in apertū exit

cis agmina constiterunt, qui ratus maiorem numerum hostiū quàm dicebatur, quia singulæ Phalanges frontē ampliassent, ita ut plura uiginti millibus hominum apparerent, subdubitauit subesse aliquas insidias. suos igitur in unum contrahit, diligentius quàm consueuerat. tunc sclopettarij Radulphi nullo expectato signo belli, uel uincere uel fortiter cadere decernentes tanto impetu in agmen Mircis impressionem faciunt ut primos ordines turbantes magnam Turcarum partē prostrauerint, qui & in prima acie collocati fuerant, & quibus plurimum Mirces fidebat. reliqui uisa primorum clade omnem spem salutis in celeritate pedum sitam esse arbitrantur. Radulphus ex altera parte cum suo equitatu ac peditatu aliud agmen inuadit non minore uirtute & animi fortitudine, quàm prius inuaserant sclopettarij. primis ordinibus ita fusis & profligatis reliqui terga uertunt, qui undiq; procella glandium prosternuntur. at Mirces ubi uidit duo illa agmina ita fundi nullo propè negotio, uel antequam inuaderetur fuga salutem sibi comparat, atque uelocior cæteris felicior putabatur. Neque mirum profectò uideri debet, octoginta hominum millia à duodecim fuisse superata tam facile, cū sæpius acciderit, ut tumultuarij milites & tirones arma suscipere iussi, genus hominum rebus bellicis ineptum, uel sua sponte nullis inuadentibus hostibus in fugam fuerint uersi, ubi primum ad arma sit conclamatum. at enim in singulis artibus utiliores sunt decem artifices periti conficiendis operibus multis imperitis; ita in uniuersa re militari pauci exercitati & ueterani milites multis imperitis possunt facile resistere, & de multis pauci gloriosè triumphare. tanta igitur facilitate illam uictoriam obtinuit, ut facile apparuerit quàm labili in loco constituti sint, qui suis odiosi sunt subditis, aut qui uiros fortes & bonos & sapientes faciunt parui. non enim ut in numeris arithmeticis tria plura sunt uno, ita supputationes conueniunt in hominibus, quia pluris est unus sæpe faciendus, quàm multorum imperitorum manus. atque tota uis & rei bellicæ summa unius imperatoris iudicio nititur, cum uanæ sint & propè inutiles cæterorum procerum consulta

Mirces profligatur.

tiones, nisi Imperator ipse sit sapientior, atque possit ipsorũ procerum ingenia dijudicare. Radulphi milites profligatis Mircis copijs reliquias persequuntur multosq; opprimunt & trucidant. Sed ubi insequentes aliquandiu cædendo sunt defessi, postea sola spolia petita sunt. tum omnes qui cladem euaserant ad signa noui uictoris accedunt, uictricemq; fortunam sequuntur. sic Mircem collecto ingenti exercitu persequitur, qui trans Danubium fugiens cum quingentis Turcis traiecerat. ceciderunt in eo prælio è Radulphi militibus non plures septingentis, ex hostibus plures nouem millibus. sic Radulphus per eam uictoriam uniuersum suum regnum, ad quem ut uerum legitimumq; regem accipiendum amici coniũctiq; conueniunt; atque Tergouistum oppidum cum magna solennitate ingressi sese omnes proceres fidem seruaturos iurarunt. Interea Romam accesserant quæ haberi potuerunt probationes & accusationes Georgij Monachi, ijsq; ad purpuratos patres delatis instantibus Ferdinandi legationibus habetur delectorum ad eam iudicationem conuentus. illæ criminationes in Georgium coniectæ etsi multa continebant inter sese repugnantia, neque poterant planè probari, tamen quia factum infectum esse non poterat, nequid atrocius accideret, ita fertur sententia; si erant uera quæ exponebantur, ut exponebantur, pronuntiatur quòd Ferdinandus cum omnibus coniuratis absoluitur ab ea cæde ut legitimè facta. Legationes cũ grauiter ferrent huiusmodi absolutionem imperfectam, procurant rogantq; Pontificem summa contentione ut liberè omnes absoluantur, quod ægrè quidem, at omnino impetratum est denique. quare sacrorum usus qui interdictus fuerat, Ferdinãdo ac reliquis est restitutus. Radulphus rebus inter suos compositis legationes mittit ad Castalium, quæ uictoriam & regnum partum significent, quæ gratias agant pro concessis auxilijs, quæ pacem & amicitiam & omne officium pietatis offerrent. at uerò Solimani legatio interea Vasrael accedit, multis honoribus excipitur, tertio die in comitijs Solimani cõsilium proponit cum plerique è primarijs essent congregati. Se uelle Ioannis regis filium & matrem reginam in legitimos

Sentẽtia in cædem Monachi lata.

Radulfus regnũ partum significat Castalio.

Reges

Reges accipi. Castalium è Transyluania eÿci. omnes Ferdinando militantes in ea Prouincia trucidari. tunc enim se tributum solitum, & ipsos proceres in suam gratiam fidemq́; esse accepturum. quod nisi fieret, addit ingentes minas, eos iam iam experturos esse quanta fuisset ira tanti principis, & quã potens ad ultionem suppliciaq́; ex hostibus sumenda. His ita dictis literas latino sermone Battori Vaiuodæ attulit; quæ ad eum, & ad reliquos proceres eius regni scribebantur aureis literis more Turcarum, & in charta leui tanquam uitro nitida: quæ ita sese habebant ad uerbũ. Mandatum inuictissimi Imperatoris Turcarum ad dominum Battorem Andreã Capitaneum in Transyluania, & ad alios illius regni Dominos.

Solimani literæ ad Vaiuodã, & alios Transyluaniæ Dominos.

Fidelis in fide Christi, & inter Christianos in regno Transyluaniæ prudens & generose Domine Battor Andreas & cæteri alÿ domini nobis dilectissimi &c. Ex mandato celsitudinis nostræ intelligetis quod uobis multoties notificauimus, ꝙ postquam frater Georgius Thesaurarius noster crudeliter ac per insidias mortuus fuit, antequam Germanos, quos propter discordias uestras in regno introduxeratis, expellere posset, uos, & alÿ domini in Transyluania communi consilio & auxilio ipsos Germanos è patria uestra secundum fidelitatem, quam excellæ portæ nostræ debetis, eÿcere debeatis. uerum cum hoc hactenus factum non sit, uos nunc ad id exequẽdum adhortari placuit: quoniam uobis omne peccatum remittendo, & delictum hucusque commissum, omnem libertatem, quã antea in regno Transyluaniæ habuistis, iterum concedere & conseruare pollicemur. & uos subditi & domini apud nos semper in honore, & sub nostra protectione eritis. Regnum autem Transyluaniæ quemadmodum ante sub Rege Ioanne & filio suo subditis & fidelibus nostris ĩ libertate & quiete fuit, sic et nunc esse disponemus; & ipsum Regis Ioannis filium inter uos regnare pro certo promittemus. cum.n. ipse rex Ioãnes subditus & seruitor noster nobis sincere & fideliter seruiret, non solum à nullo molestari passi non sumus, sed post eius mortem filio suo paruulo adhuc paternam patriam & regnum ex gratis, & clementia nostra concessimus, & Transyluania sic tẽ-

poribus illis pacifica fuit. sed postmodum introductis Germanis maxima inter uos discordia orta est, ob quam ad introducendum Regis Ioannis filium & matrem ipsius ac ad liberandam Transyluaniam ab inimicis suis naturalibus Dei gratia maximum & potentissimum exercitum ordinari & congregari mandauimus. Necesse est ergo pro fidelitate uestra diligentem uos curam habere ut Germanos è regno, uestro gladio propulsetis donec filius regis Io. Introducatur in locum ipsius, inter uos dignum & honoratum hominem in generalem illius regni Capitaneum eligetis, eiq́; omnes obediatis, ut inimicum uestrum naturalem apud uos esse non permittatis, sed illos qui tantæ discordiæ in ipso regno sunt causa, communi consilio expellite, & regnum filij regis domini uestri diligenter gubernare curabitis. Quòd si signum istud fidelitatis & obediẽtiæ à uobis acceperimus, non solum in regno Transyluaniæ libertatem uestram antiquam, sed maximam gratiam & honorem ab Imperiali celsitudine nostra obtinebitis. Nos interim exercitum nostrum innumerabilem pro regno & filio regis cõseruabimus, & iam nunc pro liberatione ipsius à manibus inimicorum moueri ordinauimus. quia nullo modo assentire uoluimus, ut inimici in ea Prouincia regnent. Et cum Ioannem regem subditum & fidelem seruum nostrum, ac filium etiam idem esse nouerimus, decreuimus omnino ut in regnum reuertatur, ac in ipsum per nos restitutus regnet, & Deo concedente inimicum suum auxilio nostro semper debellet & uincat. idcirco nunc iam gratia omnipotentis Dei magnificum ac maximè potentem & obedientem subditum fidelemq́; seruitorem celsitudinis nostræ Itmum Achmetem Passam secundum consiliarium excelsæ Maiestatis nostræ, tum multis nostris, tum proprijs aulicis Ianizzerisq́; Imperialis potentissimæ ac inuictissimæ portæ celsitudinis nostræ, & cum maximo exercitu de Græcia & Buda simul cum Capitaneis Generalibus, & cum omnibus Sangiacchis mouere facimus. Adeo quod cum dicto consiliario nostro, antequam contra hostem persona nostra moueatur exercitum ducentorum milliũ hominum bene instructorum habebimus. Præterea mandauimus

mus Sereniſsimo Principi de Tartaria, Vaiuodisq́ Valacchiæ & Moldauiæ cum omnibus Sangiacchis qui ſunt in illis partibus ultra & citra Danubium, ut communi eorum peditatu & equitatu ſe cum dicto Vezerio noſtro coniungant. & uos etiam neceſſe eſt ſecundum fidelitatem ueſtrā dicto Paſſæ ſeruiatis, & nuntios tum ad excelſam portam noſtram, quàm ad eum decernatis. Quòd ſi mandato noſtro huic inobedientes, & cum inimicis noſtris concordes eritis, crudelitatem & ſtragem quam Tranſyluaniæ regnum uidebit, ex demeritis ueſtris proceſsiſſe credatis. nam gratia creatoris omnipotentis dei ſperamus Chriſtianis, & regno Tranſyluaniæ iram & potentiam noſtram oſtendere. & ſi ipſi Tranſyluani ad priſtinam obedientiam & fidelitatem nobis adiuātibus reuerti recuſabunt, nuſquam tuti erunt, & per totum mundum debitas luent pœnas. Iurauimus enim omnipotenti Deo, quòd in Tranſyluania lapis ſupra lapidem non relinquetur. homines omnes in ore gladij dari, pueros & fœminas in captiuitatem, omniaq́ loca ſolo æquari faciemus. propter quod ut inuictiſsimum & potentiſsimum Imperatorem decet ne tantarum animarum exitium ſuper animam noſtram fiat, nos omnes prius monendos eſſe cenſuimus. iam multoties uobis mandata talia miſimus, quæ neglexiſtis; ſed ſi mandato huic ultimo obedientes non eritis, acerbitatem & ruinam quam uidebitis, non nobis, ſed uobis, ipſis attribuite. omnia igitur cum tempore bene conſulite. nam cætera prudentiæ ueſtræ examinā da relinquimus. datum Conſtantinopolis ſeptima lunæ Octobris.

His literis tanta trepidatio iniecta eſt animis eorum procerū, cum præſertim Battor non adeſſet, ut omnes apparerent palā ab amicitia Ferdinandi defecturi. Quæ res ubi Caſtalio delata eſſet uel per ſummam hyemis acerbitatem atque ingentia frigora ad ea comitia conuolat. quo in ſtatu res ſint, intelligit. agi de filio regis in regnum reſtituendo. Conueniſſe proceres eius regni, ut quo animo ſint ſinguli declararent; quod quo fieri oportebat, Caſtalius comitia ingreſſus hortatur eos proceres ut ſemel datam fidem Ferdinādo ne fallant per ſuas calamitates cum omnis perfidia omneq́ periurium ultorē denique

Caſtalii oratio in comitiis, ubi Solimani literæ fuerant recitatæ.

nique Deum habeat. turpe esse uiris fortibus, quos arma hostium terrere non potuerunt, neque infinitus copiarum numerus, nunc committere ut unis literis minacibus lectis omnem pristinam fortitudinem amisisse appareant; & pristinam gloriam potius fortuna, quàm ullo recto consilio, aut uirtute militari consecuti uideantur. nulla re inferiores esse Transyluanos Turcicis apparatibus, cum & peritia rei bellicæ præstēt, & ijsdem propè armis utantur, & eadem utantur militari disciplina, & eos sæpius profligarint suam regionem hostiliter inuadentes. non esse uiri boni & sapientis præsentium rerum tantum conditionem spectare; sed longius prospicere, posteritatis & libertati & gloriæ consulere. oportere idem ius patriæ ad posteros in manus tradere, quod ipsi à maioribus nostris acceperimus. neque tanti emendam esse præsentem tranquillitatem, cum per eam perpetuæ seruitutis iugum omnibus posteris ultro imponatur. præstare uno tempore uitam & sanguinem pro patria profundere, quàm propter metum imminentis belli & religionem, & patriam, & libertatem uniuersæ posteritatis, & omnia uno tempore crudelissimæ tyrannidi perpetuæq; prodere. neminem inter uiros esse connumerandum, qui non sit ubi res ita postulat uitæ profusus; cum breuissimum doloris & pugnæ tempus sit propositum; at diuturnum fruendi uictoriæ. Hæc idcirco fuisse à Solimano perscripta, quia uellet experiri animos ipsorum procerum quos putabat inter se dissidere: quem non latet omnium & rerum publicarum, & urbium, & regnorum deuastationis initium esse discordiam. cum omnia regna contrà concordia & mutuo consensu conseruentur diutissimè. atque hæc omnia putanda esse non uerbis solum contineri, sed multo magis experientia & rerum præteritarum cognitione si quis antiquorum regnorum aut rerum publicarum euersionum principia cogitatione resumpserit. nihil esse tam hosti formidabile quàm hostium concordiam. non defutura maxima Ferdinandi & Cæsaris auxilia, qui omni humanitatis & clementiæ genere complectetur & proteget. hortatur ut forti hilariq; sint animo, omnemq; metum, siquem ex illis minacibus literis conceperunt deponant: cum multo

facilius

facilius sit absentibus minari, quàm de præsentibus & repugnantibus hostibus triumphare. his confirmati sunt omnium animi ita ut Solimano responderint, ac obnuntiarint Achmeto & Mysiæ & Græciæ præfecto ne conarentur ingredi Trãsyluaniam, quia summis opibus armati omnes resisterẽt; quia libertatem uitæ præferrent. ueruntamen si uellet Solimanus tributum se libenter daturos. quod si legatio nollet accipere. quam citissimè discederet. legatio capto tributo Taurumnum persiciscitur, atque inde Byzantium. Castalius confirmatis animis procerum in fide amicitiaq́; Ferdinandi, Albã iuliam reuertit: ibi cognoscit Achmetum Curtensis ditionis præfectũ literas ad Patocchium familiaritatis plenas ut uidebantur, dedisse; quo illum Ferdinando & Castalio suspectum faceret; cuius tamen fallaciæ nihil denique nocuerunt Patacchio, cum uir bonus cognitus sit. accedunt literæ à Ferdinando interea, quibus continebatur ut Aldana cum criminationibus & defensionibus Iuliobonam mitteretur: quia ille iudices nonnullos suspectos pronuntiarat, petieratq́; à Ferdinando ut alij deligerentur. ea re concessa, multi testes rogantur, omniaq́; procedunt legitimè, atque capitis denique condemnatur, cum multi testarentur Lizisum potuisse defendi; sed ob imbecillitatem animi relictum fuisse. oppidum, & tormenta, & bellicos apparatus cum maximo Ferdinandi rerum detrimento nulla necessitate urgente arsisse. cum qua sententia & testimonijs missus est Iuliobonam: quæ fuit à Eerdinando approbata. Isabella regina per id tempus Petri Vicchij, & Chendi, & Ferenzi, aliorumq́; insignium procerum opera usa, qui clam eius partes amplexabantur, procurabat ut in regnum restitueretur: quæ cum significasset Ferdinandus per literas se ad unguem quæ promisisset obseruaturum, & Munsterbergi præterea principatum his additurum; nihil horũ accipere uoluit, quia diceret non fuisse opportunè obseruata, quare se uelle quod suum esset recipere. & iam Ceculi occultè cum Turcis moliebantur ad eam subleuandam; clandestinas legationes mittunt ad reginam, quæ Ceculorum operam Ioanni regi in regnum reducendo polliceantur. His tumultibus ac seditioni bus

Aldana ob Lizisum temerè concrematum capitis dãnatur.

Tumultus in Transyluania exorti.

bus subodoratis Carni conuentum indicit. in ijs comitijs conquesti sunt Transylvaniae populi, quod multa iniuriae à militibus Ferdinandi, qui erant in praesidijs munitionum, sibi inferebantur. petitum est ut saluti ac dignitati eorum populorũ consuleretur. quod si fieret se constantissimè datam fidem Ferdinando seruaturos, & arma aduersus Turcas capturos. his responsum est Ferdinandum pro uiribus esse illos subleuaturum. suum esse consilium eos à communi hoste protegere, at non per iniurias opprimere, contra quem omnino arma deberent suscipere, sicut ipse & copias mittebat, & si res ita postularet, erat uenturus, uel Bohemiae Regem filium missurus. his pollicitationibus dimissa sunt comitia. est enim Germanorum & Pannonum & Sarmatarum Persarumq; consuetudo ut res maximas, ad omniumq; salutem & tranquillitatem pertinentes tractent in comitijs, ad quae conueniunt principes autoritate nobilitateq; praestantes singularum natiorum & legationes liberarum ciuitatum; in quibus agitur de sacris ceremonijs aliquando aut cultu deorum, de ferendis obseruandisq; legibus, de principum causis & indicationibus, de bello suscipiendo, de ferendis subsidijs, de imponendis tributis, quorum comitiorum principes sunt reges aut Imperator, aut ij, penes quos est autoritas ea conuocandi. siquidem nulli horum principum liberam exercent tyrannidem, aut per uim & iniuriã dominantur, sed cum omnes subijciantur principi, princeps ipse comitiorum autoritati, omnes legitimè laudabiliterq; imperare nituntur. Non cessauerant tamen Ferdinandi pollicitationibus animi populorum fluctuare, qui rerum nouarum desiderio tanquam rapidissimo uento impellebãtur ad quamuis facultatem aucupandam. impellebat in eam sententiam fama Germanorum Iuliae praesidiorum duce Bartholomaeo Illyrico, quae accolas praedationibus & caedibus miserabiliter affligebant. erant enim duo Germanorum uexilla. eius ducis immanitas uel negligentia in castigandis milibus impulit Castalium ut praeficeret illius urbis nouis praesidijs Bancum Paulum, iusseritq; Illyricum exire cum suis. atque Francisci Patocchij prudentia postea afflictos Colonos aliqua ex parte consolata

Comitiorum quae apud exteras nationes consuetudo.

Seditiones & praesidiorum uexationes in Transylvania exortae.

consolata est. per idem tempus Castalius uexabatur curis ac molestijs propter inopiam rei pecuniariæ, tamen omnia stipẽdia persoluenda curat copijs Mauritij, atque eas dimimittit. tum Bregetij alia imposita sunt præsidia. Enimuero etsi soluta sunt illis stipendia, uictusq; oppiparè imperatus & concessus quacunque esset transeundum, tamen multa latrocinia rapinasq; in subditos Ferdinandi exercuerunt, & coniurationes & seditiones excitarunt. eæ iniuriæ non solum priuatis rebus, sed etiam publicis plurimum nocent, cum animos subditorum non mediocriter alienant à principibus, quare ut ab his calamitatibus absoluerentur, uniuersi illi populi incitati sunt ad Ioãnem in regnum reuocandum. sic enim fiebat ut multi etiam principes Reginæ partibus fauerent, quod molestissimum Castalio accidebat. ex altera parte Deuæ præsidia, quòd per exploratores nuntiatum esset duas equitum Turcarum turmas Lizifo Cassumbecchi iussu exituras ad incursiones faciendas in Transyluaniam, se locant in insidijs ad trãsitus quosdam angustos & perdifficiles. accedunt in insidiarum locum equites rapinis & incendijs eam Prouinciam populaturi; at undique ex ipsis insidijs repente inuaduntur. certatur diu ancipiti prælio. sed denique uictoria fuit penes Deuæ milites, qui non prius insequi Turcas cessant, quàm ad Lizisi conspectum ueniunt. ea uictoria elati uictores agrum Turcicum populantur, succẽdunt ædificia, homines captiuos abducunt, uillas destruunt, facultates prædantur, tantumq; terrorem Turcis inijciunt, ut per multos dies prædatum non exierint. Cæsar in Belgio re frustra tentata, turpiter cum multorum iactura ab obsidione Diuoduri, ut diximus, quia cõtra suorum ducum sententiam per molestissimam hyemis partem belligeratus esset, in Germaniam se recipit. Sed quoniam sciret nihil tam formidabile uictricibus copijs, quã semel aduersam fortunam experiri, quæ omnem pristinam felicitatẽ plerunque in lacrymas conuertit, non parum infestabatur rerũ Italarum ac Senensium præcipuè seditionibus. nam cum adhuc Belgicis Gallicisq; bellis distraheretur grauissimis excitãtur motus Senensium, qui uidebantur aliquo pacto contra im-

Turcæ in insidiis collocati à Christianis trucidãtur.

Cæsar in Germaniã se recipit.

peratoriam dignitatem atque reuerentiam excitari. Istud autem contigerat, quia Cæsar missas expostulatum Senensium legationes de importunitate crudelitateq́; Mendocij, rogantesq́; ut maturè tantis eorum incommodis succurreret, neq; audientia quidem dignas putarat. cum bono sapientiq́; principi facillimum sit tranquillitatem amicis ciuitatibus conserua re, easq́; pacare. Sed Cæsar contrà per literas significat Petro Toletano Neapolitanæ præfecturæ proregi, ut magnas peditũ & equitum copias colligeret, atque cum omni eius regni equi tatu agrum Senensem hostiliter inuaderet: quæ agi cœpta sunt mense Ianuario anno salutis nostræ quinquagesimo tertio post mille & quingentos. Toletanus collectis ad duodecim millibus peditum, partim Italis, partim Germanis, partim Hispanis cum omni equitatu leuioris armaturæ & grauioris præfecto Garzia filio, qui accedebant ad mille & quingentos, iubet copias uniuersas infesta signa uertere in agrum Senensem. Nam Cæsar uel quia haberet suspectam Toletani autoritatem tandiu in eo regno inueteratam, cum etiam ad illud posset impellere affinitas principis Hetruriæ, qui Toletani filiam in matrimonio habebat, & multæ nonnullorum principum eius regni affinitates, quos sibi coniunxerat Toletanus per filiarum nuptias, omnino eum diuellendum ab eo regno per aliquam opportunam occasionem censebat, uel quia uellet satisfacere ita nonnullorum procerum animis, quos ille offendisset. ut enim summis Regibus ac liberis ciuitatibus nihil est tam formidabile quàm priuatorum eximia potentia & autoritas, ita rursus nihil est tam ipsis præstantioribus metuendum quàm uel leuis alicuius potentis inimicitia, quoniã pertenuis aliqua suspicio maximi criminis loco apud summos Reges solet esse. Silent enim omnes amicitiæ affinitatis, & humanitatis iura, ubi agitur de Imperio. Petrus Toletanus cũ propter grauiorẽ ætatem laborem terrestris itineris ferre non posset cum Vincentia uxore triremem conscendens Florẽtiam uehitur. Interea Gallica præsidia, quibus praerant Cardinalis Ferariẽsis & Thermeus regulus Senam ingrediuntur, ad duo peditum millia primum; atque omnia oppida ditionis Senensis

Garzia Toletani filius agrum Senensem hostiliter inuadit.

1553.

Card. Ferariẽsis Senam ingreditur & munit.

nensis muniuntur rebus omnibus ad sustinendum futurũ bellum necessarijs. Garzias igitur per agrum Tiburtinum copias Senam uersus ductat, quo tempore quamuis longis itineribus procul ab urbe Roma copiæ transirent, tamen ad Borbonij memoriam nonnihil trepidatum est. Pontifex Iulius Tertius de his certior factus, cum rogaretur à primarijs ut urbem muniret præsidijs, necessarijsq; apparatibus bellicis aduersus horum conatus, si qui fierent, iniunxit Romanis id negotium; quare cum summo copiarum Imperio uir singularis peritiæ militaris plurimæq; autoritatis Camillus Vrsinus rebus bellicis à Romanis præficitur. tum ad sex millia peditum colliguntur, & nonnulla equitum uexilla impositis nouis uectigalibus rei frumentariæ in bellicos sumptus. urbs breui munitur omnibus reparationibus & rebus ad defensionem necessarijs tanta prudentia, tantaq; celeritate, ut hostis qui antea formidabilis, nunc omnino contemnendus omnibus uideretur. Senenses nullum amittendum tempus rati se aduersus iam paratas instructasq; Cæsarianorum copias instruunt, atque magnum numerum peditum undique conscribunt. cum prædictis copijs Senam ingreditur Thermeus uir summa prudentia, & omnis rei militaris peritissimus; & præterea cum illo insignes proceres Regulus Sommeus, Marius Sanctiflorius, Flaminius, Franciscus, Maerbalis Vrsini. Altus Comes, & Vincẽtius Montius, alijq; complures. postea omnia oppida ditionis Senẽsis firmissimis præsidijs & munitionibus in opportunis locis in hunc modum instruuntur. Rosetũ ingrediuntur mille & quingenti pedites ad urbis custodiam duce Cornelio Bẽtiuolio cum nonnullis centurionibus. Montem Alcinoi Ioannes Taurinensis cum trecentis peditibus, cum totidem Malianum committitur Claramonti. Turritam defendendam accipit cum mille & trecentis peditibus Galeazzius Sanseuerinus; Clesiũ Paulus & Iordanus Vrsini cum duobus millibus peditum, ac suis Centurionibus cohortium præfectis singularum. Asinum longam & Monticellam Sipierius, & Guido Benttuolius, ac regulus Pitiliani cum quingentis equitibus leuis armaturæ. Capalbium cum centum & triginta peditibus Capoauntius,

Camillus Vrsinus Romam munit.

Thermeus cũ multis proceribus & copiis Senam ingreditur.

Castella Senẽs. agri q bus defendenda committuntur

Cetonam Hierardus cum centum & quinquaginta. Lucianũ Alexander Triulcius, Ioannes Vitellius, Adrianus Baleonus, aliiq; duces cum duobus millibus & septingentis peditibus. Casali praerant eques Acciarus & Theophius cum quadringentis. Telamonæ nuntius Mirandulensis cum centum peditibus. Sateani Ioacchinus Vasco cum ducentis. Monti Alcinoi additi sunt postea quadringenti cum Carolo Carafa duce. Sauinæ prior Longobardiæ cum trecentis. Tuebatur Portum Herculis Ioannes Zetus & Pompeius Crucius cũ ducentis & sexaginta. erant in principatu Castrensi duces nonnulli cum mille centum & quinquaginta peditibus. Rodicofani Morettus Calaber cum ducentis. atque hæc sunt oppida & urbes præstantiores ditionis Senensis, hæq; copiæ quæ aduersus Cæsaris apparatus regio nomine Gallicas partes amplectẽtes tuebantur; quæ accedebant ad duodecim millia peditum, præter uniuersam ciuium Senensium, oppidanorumq; multitudinem. equites tamen erat solum quingenti. ciues item Senenses ad uexilla uenerunt, quorum nonnullæ cohortes censæ sunt; atque singulari concordia omnes gloriæ cupidi opportunitatem pugnæ auidè expectantes dum Cæsarianæ copiæ aduẽtarent saxa, glebas, fasciculos lignorum ad munitiones reparationesq; urbis tam mares quàm fœminæ comportant. Vrbs Sena in tres partes distributa conceditur munienda, atq; singulis partibus uiri insigni autoritate, & cognitione rei militaris præficiuntur. certatim ciues & milites res necessarias congerunt, ita ut ad duo hominum urbanorum millia assiduè essent in operibus erigendis. Enimuero tanta fuit Senensium alacritas munitionibus ipsis construendis, ut uel fœminæ genus imbelle, & ad res bellicas alioquin prorsus ineptum, & trepidum, & consilij expers, singulare fortitudinis exemplum ediderint ad perferendos bellicos labores. nam feruntur tres è primarijs matronis Fausta Piccolhomina, Liuia Fausta, Tarsia Forteguerra cothurnatæ succinctis uestibus breuibus ac propè militaribus militaria uexilla sumpsisse, ac reliquas mulieres comitantibus qui tympana pulsarent ad munia militaria inuitasse. harum insignium matronarum impulsu non

Matronarũ Senensium singulare exẽplum.

fœminæ

fœminæ solùm, sed uiri etiam cuiusuis ætatis & dignitatis incredibiliter ad opus sunt incitati. nam præter uiros ad tria fœminarum millia sub harum uexillis multos dies accedebant ad instruendas conficiendasq; munitiones ad portam chamoliam. Quæ dum fierent Senæ, Ascanius Corniensis uniuersis Italis copijs præfectus cum tribus millibus peditum stationem habet in finibus agri Perusini, tum ut commeatus facultatem ex ea parte Senēsibus præcluderet, tum etiā ut castra commodè coniugeret cum Toletano qui longis itineribus Romam peruenerat; & cum summo Pontifice in colloquiū profectus Rosulum uersus castra mouit deinde per Sutriū Volsiniūq; agrum incedens cœpit tardius proficisci, quia aduentum quatuor milium peditum è Gallia subalpina expectabat, quos Ferrandus Gonzaga erat missurus. Tum paulo post cum duo Hispanorum millia Ligurnū applicuissent, fecissentq; descensiones; ac totidem rursus his accessissent exiguo interuallo temporis coniunctis uiribus cum Ascanio hostiliter agrum Senensem inuadunt, atq; incursionibus cuncta populantur; multaq; castella diripiunt, quæ tamen omnia nullius erant momenti ad res bellicas. quòd oppida quæ facile uincuntur, facile amittuntur. Erant iam in castris Cæsarianis qui undique conuenerant circiter uiginti millia peditum; equites mille & octingenti collecti è uarijs nationibus. Praerat uniuerso equitatui leuioris armaturæ Sfortia Sanctiflorius; cataphractis Regulus Bisiniani. Garzias imperabat Hispano peditatui, Italo Ascanius, Nicolaus Madruccius Germanis. Magister Castrorum Alexander Vitellius. Prima castra locant ad montem Felicianum, quo in oppido erat in præsidijs Sertorius Attinensis; atque illo primo conatu potiti ferro, igni, populationibus ac direptionibus omnia deuastant. Ascanius cum munitionem quandam nō procul à Montella Senensium per noctem tentasset egressus è castris cum quadringentis delectis expeditissimisq; peditibus parum feliciter, & cum insigniorum nonnullorum iactura, Cæsariani eò infesta signa uertunt, atque ad ipsam munitionem castrametantur. Defendebat eam Adrianus Baleonus, qui

Ascanius Corniensis se coniūgit Toletano & agrū Seneñ. populatur.

Exercitus Cæsarius, & eius præfecti.

Cruentum prælium.

qui nuper Luciano missus eò fuerat cum sexcentis peditibus, cum postea omnes regiæ copiæ fuissent in opportuniora loca distributæ. eam munitionem cum bis repetito conatu frustra inuasissent Cæsariani, non sine multorum iactura ob eximiam fortitudinem defensorum, repelluntur. Toletanus illam omnino capere statuit, rursus adoritur, pugnatur acriter, multi utrinque cadunt. ad extremum cum suis defessis noua subsidia Toletanus Italos misisset hora secūda noctis uictoria potitur. multos trucidat intra ipsam munitionem. nonulli capti, inter quos fuit ipse Adrianns. Bagalia dux ex altera parte Asinam longam cum septingentis peditibus regionis Senēsis à Cæsarianis occupatam inuadit, præsidia Cæsarianorum ad unum trucidat, omnes bellicos apparatus in castra conuehit, ciues in monte Feliciano captos & in arce asseruatos, liberat: quibus rebus peractis inde discedit. ea re percepta Toletanus cum quingentis Galeatis Sanctiflorium mittit & cū duobus tribunis peditum; qui nemine reperto mox rediјt in castra. Interea Petrus Toletanus Ligurnum applicuit, atq; inde Florentiam æger profectus paulo post naturæ concessit. Cæsarianis his rebus feliciter gestis ad oppidum Montis Alcinoi castra ponunt, atque obsidione cingunt. ibi frequentibus minutis prælijs certatur, tentatur oppidum Cuniculis, tormētis diuerberatur, omni oppugnationis genere uexatur; sed frustra absumuntur Cæsarianorum uires propter eximiam fortitudinem & uirtutem defensorum. quæ dum fiunt ad mōtem Alcinoi, nonnulli Senenses sceleris & turpitudinis plenum facinus aduersus patriam moliuntur; siue quòd libertatem & gubernationem eius ciuitatis odio haberent, propter ea quæ in libera rep. committebātur, siue quòd precio largitionibusq; essent corrupti, cum nulla fide satis firma sit ubi sceleratus amor auri dominatur, quod omnem religionem, æquitem, charitatemq; prosternit. Hi igitur ut ad constitutam diē & horam noctis portam ciuitatis Hispanis clam aperirēt Iulio Saluio principe coniurationis, decernunt ignem in celeberrimum & opulentum xenodochium inјcere, atque coniuratos in singulis regionibus urbis distribuere qui omnes ad extinguendum

Petri Toletani mors.

Oppidum Montis Alcinoi à Cæsarianis obsidetur, & quatitur.

Senensium facinus in patriam.

guendum ignem excitarent. sic enim uidebatur futurum ut ciuitate uniuersa in restinguendis flammis aut in spectaculo illo miserabili occupata, nullum foret impedimentum quominus ad optatum finem coniurationis negotium perduceretur, portaq; occuparetur ad introducendos Hispanos. At enim Iulius Bellantius rem subodoratus unus ex ijs nouem qui praeerat reip. administrationi ad Thermeum accedit sub mediam ferè noctem qua antecessit negotium, eum è somno ut de maximis rebus communicaturus excitari iubet. coniuratorum consilia & nomen aperit. petit ut apud Thermeum seruetur, ne re patefacta à coniuratis trucidetur. Thermeus ut erat à somno excitatus sumpta talari ueste ad Purpuratum antistitem Ferrariensem cum Iulio Bellantio paucis comitantibus adit, aperit illi ut urbis praefecto coniurationem. ille Bellantium in custodias tradit donec res aperiatur. capiuntur coniurati, res aperitur, extremo afficiuntur supplicio. custodia portarum adaugentur. uana fit spes Hispanorum potiundae urbis per proditionem. neque tamen prius dimissus est Bellantius à Card. quàm Thermeus iratus pro praemio patefactae coniurationis perpetuum carcerem & uincula dari Bellantio indici questus uel ui armatorum se liberaturum esse Card. minatus sit. per id tempus Cornelius Bentiuolius qui erat in ora maritima cum trecentis peditibus, equitibus leuis armaturae expeditis centum, audito propinquo itinere septingentorum Germonorum in quibusdam angustijs uiarum illos inuadere statuit; quare collocatis insidijs eos opperitur. aduentantes multos occidit ex insidijs, multi capti sunt, pauci fuga se seruarunt. at uerò ut est fortuna bellorum, quae modo arridet inceptis, modo uarijs detrimentis res humanas affligit, alio nō minore successu rem Caesarianam resarciuit. Nam cum nepos Thermei cum centum expeditissimis peditibus, & nonnullis equitibus Sena egressus circiter quinque nummùm millia resq; necessarias obsessis ad Montem Alcinoi contendit. qua re per exploratores cognita Toletanus ipse cum nonnullis turmis equitum fit obuius, hos trucidat, pecuniam capit. apparatus bellicos diripit, quae omnia in castra comportata postea diuisa

Senēses in patriā coniurati capiuntur.

Cornelius Bētiuolius Germanas copias trucidat.

Garzias subsidia Mōtem Alcinoi contendentia intercipit.

diuisa sunt uictoribus. Dum obsidetur mons Alcinoi multis in locis ditionis Senensis pugnatur. Orbatelli præsidia cũ præsidijs Roseti quotidie leuia prælia committere, Clusiana cõmeatum Cæsarianis intercipere, captiuos commeatus in oppida distribuere, palantes per agros ad prædam trucidare, nullum diem sine prælijs prætermittere. At Iulius Tertius Pont. Max. ueritus Cæsaris potentiam, cum minime tutum sit cuiquam uicinum habere præpotentem, cum sciret succrescere unà cũ amplitudine Imperij Imperandi desiderium, nulliq; principi tam amplos esse fines, quos dilatare cum posit tutò non uelit, statuit per literas & nuntios rem Senensem componere, cum etiam per id bellum Pontificiæ urbes hominibus orbarentur, succrescereté; in dies annonæ penuria ob propinquitatem regionum. his igitur de rebus legationes ad Cæsarem & ad Hẽricum mittit. Istud facile à Cæsare impetratur tum quia montis Alcinoi oppidum nulla ui appareret posse expugnari, Senaq; firmißimis præsidijs esset munita, & oppida Senensium omnis generis apparatibus eximiè instructa; tum etiam quia laboraretur inopia iam rei nummariæ, cum Hispani & Germani iam ferrent grauiter tam diu stipendia sibi à Cæsare differri. ea dum per nuntios hincinde tractantur, quæ spectant ad res thusciæ componendas, magnæ seditiones excitantur in Transyluania; quoniam populi illi iam Hispanorum Germanorum admissorum in regnum pertæsi clam legationes mittũt ad Isabellam quæ agerent cum illa ut reduceretur in Prouinciam; ad quod negotium & Chendus & alij proceres nonnulli non mediocriter adiuuat. Ferdinandus, ad cuius aures hæc iam peruenerant, ad ipsam reginam, & ad eius matrem, & ad Sarmatarum regem legationes mittit, quæ offerrent liberè quæcunque Ferdinandus reginæ promiserat: quibus addita sunt & prius recusatæ ac deletæ nonnullæ conditiones. missæ sunt & ad Chendum et Thomam Varcocchium literæ ut causam regiam cum dignitate & utilitate agerent pupilli regis. at regina simulata uerborum humanitate hæc uidebatur pro sententia Ferdinandi actura, sed clam agebat cum Solimano, qui ad Vainodam Misiæ literas dederat, ut collectis quam

Pont. Max. rem Senensem cõponere nititur.

Nouæ seditiones in Transyluania exortæ.

quam maximis copiis, & quantis posset uiribus se ad inuadẽdam Transyluaniam accingeret. iussus est & Cassambecchius ex inferiore Mysia collectis copiis reginæ opem ferre, itaq; curare ut Io. filius in regnum restitueretur: quod si fieri non posset, suam præfecturam saltem ampliaret. ea ne latius serperent, sed quam citissime nascentia opprimerẽtur indicta sunt comitia Colosuare Idibus Martij omnibus principibus eius regionis, ad accipienda Ferdinandi mandata. Battor Andreas interea, qui iam erat sanitati restitutus, & in sua præfectura confirmatus, à qua se abdicare curauerat, magna hominum armatorum manu collecta tumultuariorum militum è finitimis oppidis, cum Turcas palantes prædari nuntiatum esset, omniaq; ferro & flammis absumere, non procul ab urbe Vinũdria prælium committit. uictoria fuit penes Turcas, multi ceciderunt, plures in seruitutem sunt abducti, ac paulo post pro nonnullis factæ sunt captiuorum permutationes. propter huiusmodi latrocinia Turcarum, ad reprimendas illorũ prædationes postulat Vaiuoda ut sibi concedantur mille equites leuis armaturæ ex iis qui militabant in transyluania cum mille peditibus. quæ res concessa fuit. compositæ sunt & res Cumanorum, qui post occupatum à Turcis Zanolchum oppidum nolebant esse sub diœcesi Vinundriæ, sed sub Varadinensi, qui tamen intercedentibus Castalio & Vaiuoda sub Vinũdriæ administratione fuerunt. Solimanus per id tempus potentissimo Persarum exercitu premebatur, quare fuerat coactus ad defensionem Amasiæ regionis se recipere. est enim perpetuum ferè bellum inter Persas & Turcas quod alter alterum hæreticum appellet, pugnentq; inter se religionis causa cum utræque nationes Mahometti legibus pareant, at nonnullæ propriæ sunt utrisque differentiæ. est autem Persarum regio fertilissima, temperatissimus aer & salubris totius Asiæ; per quam fluuius Araxes decurrens tanta ubertate felicitateq; aquarum labitur, ut ubi irrigauerit mirificam florum copiam & amœnitatem pullulare faciat. regio plana est ferè tota, multisq; referta colonis; at undique altissimis cingitur proceris arboribus & densis syluis uirentibus. continet Persia Mesopotamiam,

Bellum inter Persas & Turcas religionis causa perpetuum.

Regionis Persicæ descriptio.

tamiam,& Asyriam, & Carmariam,& Mediam, Hircaniã, Parthiam, Susianam, quæ omnes Prouinciæ Persarum parēt Imperio, ita uerò habitatæ sunt, tantoq́ rerum militarium studio tenentur, ut uel ducenta millia equitum intra breuissimum spatium possint colligi. Persæ idcirco tanto impetu Turcarum præsidia inuaserant, quæ erant in ijs finibus, ut coacta sint ad sui defensionem in Amasiam se recipere, in quam etiam Prouinciam Persæ magnam fecerunt impressionem. cœptum est agi rursus de inducijs cum Ferdinando per Halim Chiaussum, cōcessaq́ facultas legationibus hinc inde ad res cōponendas penetrandi: sed cognitum est denique illa esse Turcarum stratagemata, qui per has ambages uerborum procurabant ut res differretur bellica in Transyluania, donec rebus Turcicis felicior aura aspiraret. nuntiatum est enim Cassumbecchum, qui multos apud se Sanzacchos habebat, cū ijs copijs quæ conueniebant assiduè, Deuam mox esse inuasurum reginæ fauētem, ut acceptas à suis calamitates ulcisceretur; & ut illum locum occuparet, qui sibi molestus uidebatur, cum sæpius resisteret. his auditis Castalius comitijs instat, omnibusq́ proceribus, quos adesse oportebat, ut captis armis ad eius munitionis defensionem iretur, suppetiasq́ ferendas, eaq́ loca præcipuè protegerentur quæ essent in finibus Sarmatiæ & Transyluaniæ. ibi dicebantur esse duodecim armatorum Sarmatarum Prutenorumq́ millia, qui cum nesciretur quid consilij essent capturi, uidebantur Isabellæ reginæ partibus fauere. omnes ad comitia conuenisse statuto tempore Castalius comperit, præter Vaiuodam, qui ualetudine impeditus fuerat. in ijs Ferdinandus auxilia palam petit ad opprimendas seditiones illas, quarum rumor circumferebatur, ad Deuæq́ defensionem. petit & pecuniam & commeatum ad exercitum saltē mediocrē alēdū, ut pluribus è partibus resisteretur hostibus. deinde ut ipsi inducias cū Solimano procurarent. petit & operas ad munitiones instruendas Zibinij, Albæiuliæ, ac Saffebessæ. His tot petitionibus, quoniam res eius regni afflictæ & defatigatæ essent diuturnitate bellorum, omnesq́ ad extremam pene miseriam redacti, responsum

De induciis agitur inter Ferdinandum & Solimanum.

Castalius comitia indicit ad opprimendas seditiones.

ſponſum eſt non poſſe concedi pecuniam neque commeatum, quem milites proxima hyeme conſumpſiſſent; at copias quantas poſſent ſe conſcripturos. erat autem neceſſe ſubſidia mitti è Germania uel è Pannonia ut Turcis reſiſteretur, cum illa Prouincia non poſſet uno tempore tot in locis tàm diuerſisq́ reſiſtere, ex Lizisi parte ſcilicet & Pannoniæ & Braxouij, quibus in ſingulis partibus potentibus exercitibus & magna commeatuū copia opus erat, quæ non poterant ſuggeri ab ea Prouincia. ſe propter populationē agrorum & incendia & cædes multis Colonis priuatos, quare nihil magis cupere, quàm ut rebus cum Turca compoſitis, aliquando à tantis ærumnis, totq́, laboribus poſſent quieſcere. ſe legationes miſſuros libentiſſime ad Vaiuodam Tranſalpinorum, qui ſuam operam ad huiuſmodi negotia obtuliſſet. curaturos ut ab urbium præfectis operæ ad munitiones mitterentur. Hiſpani quia ſibi deberentur duorum menſium ſtipendia cum maxima indignatione ereptis uexillis è manibus ſigniferorum Iuliobonam uerſus iter faciunt, multa damna in Pannones inferentes. neq; ullis precibus aut pollicitationibus adduci potuerunt, ut per paucos dies cum Caſtalio morarentur ad finem eius belli; ut præſidijs interim loca omnia muniret, neque diſcedens ſpoliatam regionem relinqueret rebus ad defenſionem neceſſarijs. Hi per ſummas iniurias Coloſuari uicini iter faciunt, ubi uel præſente Caſtalio nonnihil trepidatum eſt. Ferdinandus tantam temeritatem grauiter ferens Pallauicinum mittit cum omnibus ſuis copijs ad hos opprimendos. Sed poſtea nonnullorum precibus placatus iubet Hiſpanos ad accipienda ſibi debita ſtipendia Pappam proficiſci. Aldana cum Iuliobonā aduenìſſet, noluit Ferdinandus ſententiam exequi ante Caſtalij aduentum, quem Iuliobonam breui uenturum ubi iam conceſsiſſet ſciebat, qui ſub finem Maij conuenit: qui perbenignè acceptus multis honorificentiſsimis muneribus donatus fuit. nuntiatum eſt per idem tempus Clementē Athanaſium quendam collecta magna coniuratorum manu natura & opere muniſsimum oppidum Pocherium tentaſſe ſcalis, & Vinundriam inuaſiſſe, cuius tamen conatus ab incolis ſunt facti ir-

Hiſpanorū ſeditio.

Clemens Athanaſius Vinundriam inuadit.

riti: qui conatus Iſabellæ reginæ & Ioannis filij iuſſu fieri di
Petrus Vicchius cum Turcis cõuenit. *cerentur. deinde Petrum Vicchium poſt profectionem Caſtalij cum Turcis conueniſſe, collectaq́; magna ſuorum aſſeclarũ manu Lizißum uerſus iter habere ut reginæ nomine Iulam & Penam occuparet, eamq́; omnibus neruis niteretur in regnum reducere. quare Ferdinandus ad harum reliquarũq́; urbium præfectos literas dedit, quibus monebat ut ſibi ab inſidijs Reginæ cauerent. Eo tempore Saxones potentißimi ac maximè bellicoſi populorum Tranſyluaniæ ut aliquam opportunitatem deficiendi à Ferdinando uiderentur honeſtam habuiſſe, petunt Aluincium oppidum, quòd ſuum eſſe dicerent, rogantq́; confirmari, quod per humanitatem Ferdinandi facile conſequuntur. Aldanæ condemnatio repeti iuſſa eſt, atque*
Aldana ad ſuppliciũ ductus liberatur. *ſi ita ſe res haberet, poſtulatum ut ſententia ſuum finem ſortiretur; quæ confirmata eſt & decretum ut caput abſcinderetur. ſtatuto itaque die cathenatus cum carnificè fuit ad ſupplicij locũ adductus ſupra tabulatum ad illud munus excitatum. at Maria regina Bohemiæ filia Cæſaris ita maritum ſollicitat ad illius Hiſpani ſalutem procurandam, ut dono conceſſus denique ſit à Ferdinando, ita tamen ut perpetuo carceri addiceretur. at per eoſdem interceſſores paulo poſt libertati reſtitutus. Cæſaris literæ interea Caſtalio afferuntur ut is in Belgium accederet, ubi ab Henricis copijs uexabatur, ut eius*
Conditiones rei Senenſis à Pont Max compoſitę. *opera in eo bello uteretur. Interea res Senenſis à Pontifice inter Cæſarem & Henricum ita compoſita eſt ad duodecimum cal. Quintilis his conditionibus; ut Sena libera eſſet ſub Pontificia tutela; ut pontifex legationem haberet Senæ & tribunum à Senenſibus electum cum mille peditibus; ut uterque exercitus dẽſereret quidquid occupaſſet Senenſis ditionis; ut Orbatelli oppidum ſolum relinqueretur in poteſtate Hiſpanorum; ut pontifex curaret hæc omnia ad unguem obſeruanda; ut tam Hiſpanorum quàm Gallorum exercitus intra menſtruum ſpatium excederet ex omni agro Senenſi. quæ ubi eſſent à principibus utriuſque exercitus ſubſcriptionibus cõfirmata Toletanus Neapolim reuertit ſoluta Montis Alceinoi obſidione; quo iam cum poteſtate proregia peruenerat Cardinalis*

dinalis Paccechius, quamuis Albanus & insubriæ & eius regni gubernator, & Cæsaris dux summus in Italia tunc esset creatus. at verò neuter exercitus uanum iter cepit, siquidē equitatus Neapolitanus cum Marcus Antonius Columnius occultis de causis & non inuestigandis à patre dissentiret cum subditorum patris Imperio populorum consensu Marianum contendit; atque breui uniuersis oppidis paternæ ditionis captis patrem ipsum ex Imperio deiecit. cum Ascanius pater frustra apud Cæsarem ac pontificem conquestus esset sese in oppida Carsioli Taliacotij Peretum Seuculamq; cum manu collectorum militum contulit, ne illis etiam Marcus Antonius potiretur. Vix eò peruenerat, cum Paccechi iussu à præcutinorum præfecto captus Neapolim adducitur: atque custodiæ traditus, uel quia cum Gallis conspirasse accusatus sit, uel quia male de religione sentiret, ibi tandiu asseruatur, quandiu uixit. Qui reliquit hæredem testamento Victoriam filiam Garziæ uxorē omnium eorū, quæ haberet in regno Neapolitano. at quæ essent sub Imperio Pōtificio, Apostolicæ sedi reliquit. At Thermeus uir præclarus rebus Senensibus compositis iussu regio in Galliā rediturus ad classem Gallicam descendit, quæ stationem habebat apud portū Herculis & cum Turcica erat coniūcta, in qua erat etiā Salernitanus princeps. hæ classes in Cyrnum insulam Genuensium delatæ, quod Genua Cæsaris partes complectatur, Casalū Sinū occupant. est autem Cyrnus insula non ignobilis in mari Mediterraneo, quæ inter Italiam & Sardiniam iacet è regione ferè Ligurni. eo potiti mox portum Syracusanum qui est in altera parte insulæ ab eo per diametrum ferè longitudinis distans crebris tormentis diuerberant. Genuenses audita eius insulæ oppugnatione, quæ repentina, & præter omnem expectationem illi reip. accidisset, statim exploratoriam nauiculam expediunt, dant literas præfecto Syracusani portus quibus hortantur ut sese alacriter defendat, quòd citò auxilia essent missuri. at uerò cum catascopium in potestatem hostium uenisset, resignatæ sunt litteræ; magna pecuniæ copia promissa illi qui afferebat, si simulcatas & adulterinas pro legitimis literis afferret.

M. Antonius Colūnius patrē ex Imperio deiicit.

Ascanius Columnius Paccechi iussu captus Neapolim ducitur.

Thermeus classem turcicam ascēsus Cyrnū occupat. Cyrni insulæ Genuensiū descriptio.

Genuensium literæ ab hostibus intercept. resignant.

ferret. quod negotium cum ille sibi recepisset, literæ à Thermeo scribi iussæ sunt, in quibus continebatur ut præfectus portus se dederet, quibus melioribus posset conditionibus, quia resp. uexata seditionibus Auriarum & Fliscorum non potest subsidia ad tanti belli magnitudinem mittere. atque illæ literæ eodem sigillo, quod fuerat legitimis scitè detractum consignantur, in quo imago diui Georgij expressa erat. tum portu Syracusano ita per fraudem occupato uniuersa propè insula Gallus potitur, præter Ropicum & Mantinos: atque Iordano Vrsino uiro strenuo & rerum bellicarum egregiè perito præfecto huius insulæ administrationi cum potestate proregia, qui Montem Alcinoi aduersus Cæsarianorum uires singulari uirtute defenderat, in Galliam proficiscitur. Accidit per id tempus ut Biphus Mustapha nobilis archipirata uniuersa Dalmatiæ & Ionij Tyrrheniq; maris littora infestaret, omniaq; Italiæ oppida mari finitima diriperet, & incredibili calamitate afficeret; cum omnis generis nauigia prædaretur, cathenatis ad transtra captiuis aut uenalibus abductis. At Christophorus Canalis Venetæ classis dux summus uir singulari fortitudine, bellorumq; naualium peritus cum nonnullis triremibus, quæ sibi ad expurgandum sinum Adriaticum & Iapigia litora datæ fuerant, piratam tanta celeritate inuadit, tantaq; procella & ui tormentorum, ut primo impetu tres rostratas biremes demerserit, duas in suã potestatem redegerit, quamuis à Piratis maritimisq; latronibus strenuè pugnaretur, ac reliquis in fugã uersis diuturnã quietem & securitatẽ maritimis urbibus & litoribus cõparauerit. archipirata ipse quãuis ex illa pugna incolumis euasit, tamẽ ob singularẽ insequẽtis Canalis diligẽtiã paulo post captus est, & ultimo supplicio affectus. Frãciscus Donatus Venetiarũ princeps, uir pro sua integritate magnificentiaq; aĩ dignus ea amplitudine honoris, qui sũmus est apud Venetos, hoc tẽpore naturæ cõcessit; cuius in locũ subrogatur patrũ cõsensu Marcus Antonius Triuisanus Diui Marci procurator: qui gradus est honoris summus propè inter patricios, ac medium quendam locum obtinet inter principatum & patriciam dignitatem.

Biphus archipirata Dalmatiæ littora infestat prædabundus.

Canalis Biphũ profligat, fugat, & tandẽ obtruncat.

NATA-

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER SEPTIMVS.



*N*TEREA *fortuna, quæ incredibiliter rerum uarietate lætatur, non contenta tantis Pannoniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgij mutationibus, cœpit Britanniam quoque uexare, & populorum animos ad rerum nouarum cupiditatem incendere. Est autem Britãnia insula, in septentrionali Germanicove Oceano, omnium insularum quæ adiacent Europæ maxima & opulentißima, siquidem auri & argenti pluribusq; alijs metallorum fodinis abundat, miramq; copiam & bonitatem lanarum, & omnis generis fruges producit, cum amplis nonnullis fluminibus irrigetur. sita est è regione Galliæ & Germaniæ & Hispaniæ quãuis imparibus interuallis. dicta fuit ab antiquis Albione, quòd albentes montes è Gallia eò adnauigantibus primum appareant: quam postea Saxones populi nobilißimi ac potentißimi Germaniæ pulsis Britonibus ita à Brittone Rege uocatis incoluerunt. Habet ad ortum Oceanum Germanicum, ad occasum Hybernicum, ad septentrionem Caledonium, ad meridiem salsarum aquarum à Belgio non ualde magno spatio diuiditur. continet in longum circiter octingenta millia paßuum, latitudo maior trecentorum est, ambitus 1700. diuisa est autem in duas partes, atq; ea quæ ad septentrionem magis uergit, Scotia à nonnullis uocatur. habet ad occasum Hyberniam insulam & ipsam satis amplam. ad orientem propè sed magis septentrionales Orcades insulas paruas, quæ inter illam iacet & thulen.* Britanniæ descriptio

est

est autem maxime belli & rerum militarium studiosa, & splẽdoris ac nobilitatis, utiturq; legibus ciuilibus imperatoriis, quamuis incolæ plurimum lingua & idiomate inter se differant. nam Mariæ Odoardi sexti Britanniæ regis sorori, multæ insidiæ, multaq; certamina à duce Nortumbriæ Britannici consilij præsidente uiro summæ autoritatis & potentiæ parari cœptæ sunt: sed his omnibus difficultatibus deniq; superatis, regina declarata est. ea cum uix biduum intercessisset à coronatione curauit ne paterna auitaq; leges ad religionẽ spectantes obseruarentur; omniaq; scelesta hæreticorum dogmata in suo regno antiquauit. restituit prouentus sacerdotibus templorum. Vetuit nuptias clericorum. episcopos per iniuriam eiectos ad suum munus reuocauit. catholicæ fidei studẽtes expulsos ab exilio reduxit. supremi capitis ecclesiæ nomen pontifici reliquit. iussit ut sacra ritu catholico, prædicationesq; fierent, & omnia munia Romanæ ecclesiæ. Sed quoniam ante illam coronationem multa memorabilia contigerunt, uidetur altius series rerum ipsarum repetenda, ut pateat quibus rationibus contigerit illa tanta mutationum uarietas. Hẽricus itaque octauus è Catherina filia Ferrandi Aragonij Regis legitimam filiam Mariam suscepit, quam postea repudiauit; & spurios duos, Helisabettam scilicet fœminam, quã suscepit ex Anna Bolemia post primam uxorem repudiatam; atque Odoardum sextum è Ioanna Semeria. ad quem tanquã unicum marem regnum peruenit. Hic etsi hæretica prauitate nonnihil erat contaminatus, tamen satis prudenter in ea administratione se gessit, præclaramq; sui tanquam optimi et sapientis principis futuri expectationem dedit; ad cuius custodiam dux Nortumbriensis uir & dignitatis gradu, & opulentia, & autoritate uno Rege excepto facile princeps eius insulæ, penes quem erat omnium propè rerum eius prouinciæ imperium & arbitrium. atque cum odoardus catarrho mẽse Februario correptus fuisset, qui succrescebat in dies eò denique regem perduxit ut omnis alea iacta de eius salute appareret. id ubi Nortumbriensis intelligit, ita agit cum rege ut reiectis Maria & Helisabetta sororibus testamẽto hæredem institue-

Maria Britaniæ regina declarata restituit Catholicã Fidem.

Henricus viii. Britaniæ rex.

instituerit reginam eius regni Ioannam ducis ipsius nurum: quod fuit à compluribus ex primarijs totius Britanniæ cõprobatum triginta & quatuor scilicet proceribus. eius mortis indicium cœlitus datum est, & futurarum seditionum in illa insula. siquidem & cometæ apparuerunt, & uis eximia uentorum ac tempestatum, & frequentia flumina in urbem Londinum ceciderũt. concessit naturæ odoardus pridie nonas Quintilis, sepultusq́; fuit cum regia exequiarum magnificentia in templo diui Petri Vasmestri. At nõnulli proceres è consilio, qui ad illud testamentum confirmandum non fuerant acciti, cũ se paruifieri ab eo duce censerẽt, Mariam per literas certiorẽ faciunt, quæ aberat procul à Londino ad centum millia passuum, de omnibus ijs clandestinis negotijs quæ per ducem tractabantur, ut Ioannam reginam crearet. ea his rebus cognitis ne in potestatem ducis ueniret, sese ad Norfolciam regionem contulit mari finitimam, ubi curabat ut Regina appellaretur. Scripsit etiam literas ad multos proceres, quibus querebatur quòd cum uera, legitima, & naturalis ipsa esset regina, ad sese excipiendam in reginam non conuenissent. Ita uerò cœptum est à nonnullis fauere reginæ partibus, ut copiæ colligerentur ad illam aduersus ducem protegendam, si dux arma sumpsisset. at ille occultata per aliquot dies Odoardi morte, qua demum uulgata, ad Ioannæ causa æquitatem multa sunt conficta. Nam cum oppidum sit Turris uocatum Londini munitissimum, legitimũ est omnibus succedentibus in regnum Britanniæ ibi decem dies saltem morari. quia nisi illo oppido potiãtur, coronari minime possunt legitimè. sicuti Frãcfordiæ eliguntur Cæsares, & Bataduri coronãtur. neque qui oppido illo caruerit potest concilio imperare, quod constat è triginta è primarijs eius regni, per quod omnia magna negotia eius insulæ administrantur. at Ioanna in regnum succedere renuebat, quæ tamen concilij suasionibus compulsa egressa è Palatio multis proceribus regni comitantibus in Turrim oppidum introducta est. stabat in limine & ingressu oppidi dux Nortumbriensis, qui ingredienti claues oppidi multis inspectãtibus obtulit, eamq́; reginã salutauit. Vix Ioanna sub umbellam

Cometæ in Odoardi morte futuras seditiones portẽdũt.

Lõdini oppidi mos ĩ delectu regum.

Ioanna regina Britãniæ conclamatur.

bellam concesserat, cum literæ Mariæ ad concilium afferuntur, in quibus continebantur eius querelæ, quia paterentur succedere in regnū minime legitimos reges legitimis per fraudem eiectis: quam tamen in Nerfolcia, alijsq; finitimis regionibus & reginam fuisse conclamatam, & omnes illi parere nuntiatum est Londini. ea res non mediocriter animos multorum primariorum perturbauit. Sed tamen dux ipse per multas urbis regiones iubet Araldos qui præcones sunt regij, à regia custodia protectos Reginam Ioānam conclamare, quæ uox non satis iucunda uisa est: quod ac cidit ad quintum cal. Quintilis. at enim Mariæ uires in dies succrescere, Ioannæ ac ducis minui, multi è consiliarijs uel natiuæ reginæ desiderio, uel odio insitiæ, uel metu nouarum rerum ad Mariam transfugere, & ab inclinata ad surgentem fortunam se referre: Dux eam nouitatem rerum ueritus nonnullos è proceribus amicos mittit; qui impedirent ne Mariæ uires augerentur, ipsiq; quantum possent colligerent copiarum. inter hos fuit Nutentonij comitis frater, qui non solum cum quatuor millibus peditum ad reginam transfugit, uerum etiam fratrē aliosq; insignes duces per literas hortatur ut ueræ legitimæq; reginæ opem ferrent. at uerò dux ille tanto terrore iam erat perculsus ut nullis sumptibus parceret, cum uel octo nummos aureos in singulorum militum menstrua stipendia dissolueret; ut stipendiorum etiam magnitudine è castris Mariæ milites euocaret. iussæ sunt armari etiam naues complures, quibus auerterentur auxilia, siqua Cæsar Mariæ mitteret è Belgio. illæ cum uicinæ Mariæ litoribus nauigarent, ad eam à duce ipso deficiunt. illa nonnullis tormentis inde extactis, & apparatu necessario sese accingit ad propulsandos conatus ducis, qui ut cognitum est per exploratores & transfugas erat illam repente inuasurus & oppressurus. at uero quia uerebatur ne si Londino exiret, urbs illa tumultuaretur præficit cum summo Imperio rebus militaribus ad illam expeditionem patrem ipsius Ioannæ ducem Suffolcium, quod munus ille omnino recusat, cum contenderet se esse oportere in Turri cum concilio eorum procerum. tum ipse cum copijs egreditur rebus necessarijs

sarijs Londini comparatis cum quatuor filijs, atque unum horum mittit cum quingentis equitibus aduersus Mariam, reliquos secum habuit in castris cum multis proceribus, quorũ præcipuè erãt autoritatis Nutetonius et Norãtius comites cũ octo millibus peditũ & duobus equitũ, magnaq; apparatuum bellicorũ & tormentorum copia. cum his copijs Cambregium oppidum profectus, quod distat Londino circiter octoginta millia passuum ad recensendas copias animum adijcit, ibiq; biduum commoratur. at copiæ ita dissipantur, ut intra biduũ uix sexta pars remanserit in castris. ea re commotus dux, scribit ad concilium Londini ut sibi auxilia submitterentur & supplementa, quod erat cum Ioanna in Turri, neq; à Suffolcio discesserat. ille cum parum intelligeret quanti referret tot habere obsides patitur hos proceres exire è Turri simulatione parandorum auxiliorum; qui statim egressi uolubilitatem & inconstantiam fortunæ perpendentes, quæ uidebatur benignior Mariæ aspirare; cum etiam appareret illam præter æquitatem, ut primam Henrici filiam, regno spoliari, ad quam iure hæreditario successio in regnum pertinebat, Banas conueniunt, quod est oppidum comitis Pembrucchij, ubi erãt & alij complures consiliarij. eò ubi conuenissent, comes Arondelius uir autoritate & eloquentia præstans turpe & iniquũ esse inquit, si cæteris omnibus testamentorum æquitas seruetur, & legitima successio concedatur: at ea filijs regum denegetur. neque fas esse quenquam filium paterna hæreditate priuari, nisi nefarijs & atrocissimis de causis, quas fœminarum ingenia non solent committere. turpe esse si legitimis successoribus adempta successio ad eos tranferatur qui nullũ habent ius in hæreditatem, quam per dolum & fraudes aucupari conentur; & ijs præcipuè proceribus ac senatoribus fraudes approbantibus, qui cognitionem iuris se tenere profiteantur, uelleq; æquitatem ubique dominari. non esse negligenda incommoda & deuastationes & bella quæ ex illa iniquitatate sunt oritura, cum nulla sit uel publica uel priuata iniuria denique impune suscepta; quæ si humana arma non uendicatur, at certè diuinam iustitiam habet ultricem. quæ di-

cta cum nonnihil aucta & ampliata fuissent à nonnullis senatoribus, quibus inuisa erat Ducis Nortumbriensis potentia, qui propè illis par superius fuisset; Maria decernitur regina omnium consensu. sed antequam ita appellaretur, procuratū est ut uenia concederetur duci cæterisq́; in illis bellis implicatis, quod minime obtinetur.. omnium igitur subscriptionibus decernitur ut ea regina liberè appelletur; Londiniq́; conclamaretur. missi sunt armati in Turrim qui Suffolcium iuberent exire. ille ad filiam profectus rem totam aperit, iubet umbellam adimi, subscribit edicto tanquam unus è consiliarijs. at Ioanna non sine lacrymis ꝙ regina conclamata fuisset cum nonnullis matronis in priuatum thalamum recedit. ad tertiumdecimum cal. Quintilis Maria Regina Londini conclamatur, cui & soliti regum honores tributi sunt, & tituli Britanniæ, Galliæ, Hyberniæq́; regnorum. appellata est fidei custos, & princeps Anglicanæ ecclesiæ, quibus auditis uniuersa exorta est lætitia. at Pembrachius ubi legisset quæ ad conclamandam reginam pertinebant, capitis integumentū multis preciosis gemmis ornatum in turbam ad lætitiæ signum proiecit, ut moris est earum nationum inter principes. Tum æris campani tinnitu, & tubarum clangore, & bombo tormentorū significari cœpta est magnitudo lætitiæ; paratæ mensæ in omnibus uijs; publica conuiuia inter amicos & affines celebrata. gratiæ in templo maiore cum musicis instrumentis Deo actæ. quibus actis Suffolcius in Turrim interea accedit Ioannam cum omnibus suis domum missurus: sed quia cōmissum fuerat negotium Milerto Vandeno Turris asseruandæ, is cæteris matronis dimissis Ioannam captiuam retinet. conciliū per literas Nortumbriensi duci significat Mariam creatam esse reginam, iubetq́; ut istud conclamari publiceq́; pronuntiari in castris curaret, arma deponeret, ueniam precaretur apud legitimam reginam, ac suis rebus consuleret. ille occultato mœrore ac simulata necessaria lætitia pronuntiat Mariam reginam, atque integumentum capitis non minus superiore preciosum in uulgus proijcit. his auditis è uestigio multi ad eam reginam confugiunt proceres qui per preces amicorum

Maria Britanniæ regina cōclamatur.

micorum

micorum ueniam consequuntur. at dux cum uix duo armatorum millia reliqua essent, in suarum rerum desperationem collapsus, atque nescius quid consilij sibi esset capiendum, clã statuit in Galliam diffugere. Sed cum tardius quàm oportuit illud consilium cepisset, à custodijs Odoardi capitur ea opportunitate ac simulatione, quòd dicerent eo deprecatore se uelle uti ad impetrandam ueniam. multis excusationibus, sed uanis, usus fuit; quibus conabatur ostendere se tanquam Maresciallum Britanniæ non posse distineri: quia milites cum nollent uideri eius partibus fauisse aduersus reginam, & ut cum duce Ioanne Gattes seruarentur, eum omnino captiuum faciunt unà cum filijs & fratre, & comite Nutentonio, Thoma Palmerio, alijsq́; proceribus. Dux captus Mariæ iussu assignatur custodiendus Arondelo, atque Londinum adducitur, cum Londinenses in armis constitissent, quia nuntiatum fuerat ducem desperatione captum cum copijs ad urbem concremandam, funditusq́; euertendam accedere. Idcirco illi armati ad cædes, incendia, rapinas propulsandas cõstiterant: sed cum adduci captiuum conspexissent unà cum alijs proceribus, arma deponunt, atque contumelijs & comitijs ad Turrim usque insectantur. datus est custodiendus Milorto Vandeno, atque Suffolchius & Nurantius Marchio præterea. Helisabetta spuria soror Mariæ ubi non procul à Londino cũ esset ruri audiuisset sororem Reginam conclamatam cum quingentis equitibus ad eam salutandam cõcedit gratulatum pro obtenta dignitate, cui Maria aliquando seruire ab Henrico iussa fuerat. Maria cum non procul abesset à Londino cum exercitu, copias dimittit, quæ illam deserere nolebant, nisi prius in Turrim deduxissent. sed tamen ita uolente regina omnes in patriam reuertunt. ipsa calendis Sextilis obuiam habuit uniuersam nobilitatem Londinensem utriusq; sexus, & omnis generis atque conditionis complures honoris gratia, quæ cum insigni pompa & regali magnificentia in urbem ingressa sese recipit in Turrim. ibi præstò fuit Norfolchius dux, & episcopus Camalodunensis, alijq́; nonnulli, qui ab Henrico custodiæ traditi fuerant, alij suspicionis, alij religionis, alij alterius

Duce Nocumbriẽsi & eius filijs captis seditiones conquiescunt.

alterius criminationis causa, pro quibus omnibus intercedente Camalodunensi, non solum libertatem, sed multas laudes etiam ab ipsa regina sunt assecuti; atque Camalodunensis episcopus supremus scriba eius regni creatus est caterisq; honorum gradus insignes sunt concessi. ubi Maria dies circiter decem in Turri fuisset ad suum palatium quod Riccia montẽ uocant sex miliaria distans à Londino urbe se recipit. cœptæ sunt haberi conciones catholico ritu in templo diui Pauli; atque ubi concionatores reijcerentur, prohiberenturq; sacra celebrari, fit edictum, proponuntur grauissima supplicia si quis in posterum istud ausus sit, acerbè in autores earum rerũ est animaduersum. permissum ut captiuorum crimina quærerentur. tum non multò post dux Notumbriensis, & primogenitus eius filius, & Norantius Marchio è Turri educti sunt in amplam aulam ad concilium. ibi cũ multa pro se orasset, idq; se frustra facere intelligeret, rogat ut filijs saltem ignoscatur ut eius culpæ expertibus. sed & ipse, & primogenitus, & Norantius capitis condemnantur. postridie eius diei eodem adducti sunt Andreas Notumbriensis frater & Io. atque Aris Gattes, Thomas Palmerius, & alij nonnulli, qui & ipsi capitis condemnantur. ubi præstitutus dies mortis aduentasset, Tabulatum in foro ad cædem paratum conscendens prior dux ipse intrepida uoce demonstrauit omnium calamitatum humanarum fundamentum esse peccata; quæ ubi insita penitus & magna fuerint, non nisi per summas difficultates, & maximam uim numinis elui possunt. omnium uerò errorum qui ab hominibus committi possunt, maximum esse illum qui pertinet ad tollendos aut labefactandos cultus deorũ immortalium creditum. se tamen immortales gratias habere Deo Opt. Max. quia cum per sexdecim annos in hæreticarum tenebris obuersatus sit, nunc demum in extrema parte, & in margine uitæ ad sanctam Romanam Catholicam obediẽtiam redierit, cum omnem ritum prius seruasset legitimè, & Eucharistiam sumpsisset. hortatur omnes homines qui aderant ut Romanas institutiones seruarent, ut Deum legitimè colerent, ut reginam tanquam ueram & legitimam dominã obserua-

Dux Notũbriẽs. primogenitus eius, & Norantius capitis cõdẽnantur.

Ducis Notũbriensis ad supplicij locum ducti oratio.

Serua-

seruarent, ita uerò eius oratione commotus populus uniuersus uidebatur ut custodiæ & carnifex timore uulgi concitati propè in fugam sint conuersi. quod quidem facile accidisset, si dux uoluisset id procurare. nam mirificè populus eius principis misericordia & grauitate orationis erat commotus, quem & sapientia & potentia & autoritate atque honorum gradibus insignitum semper suspexerat. at dux cognito timore carnificis eum uel inuitum detinuit uitæ prodigus, eumq; uehementer rogauit ut suum munus exequeretur. quo cæso uniuersa urbs perculsa est & admirata tantum hominis constantiam in complectendis catholicis ritibus, cum ipse maximè omnium catholicos insequeretur. nonnullis præterea capita sunt abscissa, alijs parcitur. at regina in Turrim reuersa tādiu ibi fuit, ut exequiæ Odoardi hæretico ritu celebrarentur. atque cum statutum esset ut calendis Octobribus coronaretur multis comitātibus equitibus ad suum palatium Vasmestrense accessit. præcedebant nobiliores complures. hos sequebantur duces multi & comites & oratores, atque post hos duo procedebant ducum habitu induti, quia Sequanorum & Normaniæ principatus antiquitus fuerūt sub regibus Britannis. Subsequebatur hos cum aureis operimētis lectica sub aurea umbella, cum muli multo auro essent ornati. uehebatur in ea regina cum argentea ueste talari, multis gemmis caput ornata, à sinistra cuius incedebat Odoardus Astinghus magnus armiger, uir autoritate plurimum pollens. postea subsequebatur currus à quadrigis tractus argēto multo cōspicuus, in quo Helisabetta & Cleuensis matronæ uehebantur argenteis uestibus Gallico more indutæ. has sequebantur duo currus aureis operimentis cooperti, in quibus octo uehebantur principes fœminæ quadrigis inuectæ, quas circiter octoginta matronæ auro multo & argento & mira quadam uestimentorum opulentia ornatæ in equis sequebantur. Vicina lecticæ proximè subsequebatur Norfolcia & Esestria & Camalodunēsis & Arondelia insignes matronæ præcipuæ dignitatis. his succedebant duodecim pueri, & nobiles aulici, & ingens multitudo militum; qua in urbe pluribus in locis triumphales ar-

Pompa in coronatione Mariæ Britanniæ reginæ.

cus erant erecti, cum honorificis inscriptionibus. Quæ dum fiunt in Britãnia ab Isabella Transyluaniæ regina Petro Chẽdo & alijs quos memorauimus eius partes adiuuantibus tanta excitata est aduersus Ferdinandi nomen seditio ut breui eiectæ sint eius copiæ, quæ reliquæ erant in ea prouincia, & regnum ab illa recuperatum turcicis copijs undique adiuuãtibus. eo potita uniuersum studium adhibet ut in fide seruanda confirmarentur animi procerum, quos allexerat ad Ioannem filium in regem accipiendum. Indicit comitia uniuersarum nationum Zibinij, in quibus nititur demonstrare conditiones non seruatas sibi fuisse à Ferdinando, æquitatem suæ causæ cur ab eo defecerit, quantum calamitatum cumulum erant deuitaturi si filium suum legitimum regem complecterẽtur, & quantum beneficiorum reportaturi. Ita uerò oratione, muneribus, amicitia eius prouinciæ proceres sibi deuinxit, ut neglecta spretaq; Ferdinandi amicitia Ioannem tanquam legitimum principem admiserint. neq; prius cessatum est quàm ex uniuersa Transyluania Cæsareas reliquias prorsus eiecerint; cum Sarmatarum Turcarumq; auxilia ad illud negotiũ perficiendum accessissent ad uires prouinciæ. nullum uero diligentiæ studijq; genus ab ea regina prætermissum est. & quoniam nihil magis quàm liberalitas & munificentia homines in officio retinet, aut externos etiam conciliat, mulier prudentissima multa beneficentia utitur in omnes illos, à quibus protecta defensaq; fuisset; atque ultionem in opportuna tempora distulit aduersus illos, qui ab ipsa sæpius defecissent. postea cum Vaiuodis fœdere coniuncta Moldauiæ & Valacchiæ superioris inferiorisq; Mysiæ scilicet; & Solimani iussu contracta cum Purpurato curtæ præfecto, & cum Taurumni & Illyrij SanZacchis amicitia non uulgari, cœpit rationes totius regni recognoscere, æs alienum dissoluere, ijsq; stipendia tribuere per quos in regnum restituta fuerat. Interea Carolus Dux Sabaudiæ multos iam annos è suo principatu Gallicis armis eiectus suum diem obijt instituto hærede Philiberto filio, cui Cæsar Astensem ditionem tributariam concessit, ne secum militans in Belgicis finibus paterna carens hæreditate rebus

Ferdinãdi milites è Transylvania eijciũtur.

Ioan. Isabellæ filius tanq. legitimus rex admittitur.

Caroli Sabaudię Ducis mors.

necessa-

necessarijs pro dignitate omnino careret. Sepultus est Carolus Vercellis à suis ciuibus cum insigni quadam exequiarum magnificentia & magno apparatu. Brisaccus cum summo rei militaris Imperio in Galliam subalpinā ab Henrico rege missus repentinis incursionibus Hipporegiam & Vercellas capit. Sed cum arcem Vercellarum capere non posset, nonnullis ædificijs studentium partibus Cæsarianis direptis & incensis, magnaq́; Thesauri parte capta, qui in Sacrario maioris templi Diui Eusebij occultatus fuerat ab ipso Carolo, ingentem trepidationem in uniuersa insubrum regione concitat. trepidatum est Mediolani præcipue, quæ urbs est metropolis insubrum, ne reliqua omnia uenirent in potestatem hostium; cum præfectorum incuria ijs fuissent potiti. nullibi enim erant comparata præsidia, quæ repentinas & ualidas hostium incursiones, atque conatus possent reprimere. Nam profecto nisi summi magistratus & urbium præfecti quasi ex altißima specula longe prospiciant uenturas & imminentes urbibus calamitates, pro suis delirijs paulo post in immensas difficultates subditos populos trahi spectant, frustraq́; præterita damna sæpius resarcire conantur; cum non ita facile sit quidpiam euersum restaurare, quàm facile fuerat antequam euerteretur fulcire. Veruntamen Ferrandus Gonzaga, tanta celeritate cohortes conscribit; equitesq́; ad uexilla reuocat, cum Cæsaris nomine præesset insubribus cum summo Imperio, ut Galli relicto agro Vercellensi, atque nonnullis castellis sese Hipporeggiam, & in sua finitima oppida receperint. Sed iam dies Octobris primus aduentarat, qui constitutus erat & designatus coronandæ Mariæ Britanniæ Reginæ, illa cum magna pompa ad templum augustum Vasmestrense incedit, multis ducibus, comitibus, & Marchionibus comitantibus, quorum alij sceptrū regium, alij coronam, alij sceptrum Reginæ, alij mundum, tres enses, calcaria, cæteraq́; regalia insignia portabant. post hos sequebatur Regina serica ueste uillosa purpurea induta, cuius partem postremam quæ trahebatur, sustentabat Norfolcia. brachia uerò sustentabant Duranius & Serosbarensis episcopi, quam Helisabetta, & Cleuensis, & aliæ insignes ma-

Brisaccus Vercellas capit.

Ferrando Gonzaga aduentante Galli Vercellas relinquūt.

Maria Britanniæ regina ungitur.

tronæ complures comitabantur. Sic igitur cum regia magnificentia ad templum accedit. incessit cum illa episcopus Camalodunensis, qui cum duodecim episcopis erat coronationis ceremonias peracturus, adduxitq; ad eminens tabulatum, ubi erat sublimis thronus, atque à quatuor lateribus populo ostensa & in reginam accepta fuit. ibi tandiu sedit, ut episcopus concionaretur, quo perorante regina pro ritu regum iurauit: decantatæ sunt supplicationes, regina spoliata, & uncta sacrata unctione de more. mutatis uestibus ad thronum reductæ omnia regia insignia oblata. denique è tribus coronis extrema capiti imposita relicta est. tum ea ita consurgit, quam alterum sceptrum à dextra, alterum à sinistra latum comitabatur ad altare, atque iterum ad thronum reducitur. promissa est illi obedientia à singulorum ordinum principibus cæterorum nomine, quibus solennibus absolutis initiatur sacris, atque his peractis regina primis uestribus resumptis deducẽtibus eam cum sceptris utrinq; Duranio & Serosbarensi episcopis, quam oratores omnium principum, & proceres insigniores omnes eius insulæ sequebantur. cum ad palatiũuentum est mensæ regali magnificentia paratæ fuerant, qua in aula Norfolcius Conestablius & Arondelus Maresciallus armati in equis constiterunt tanquam ad aulæ custodiam. At enim Demorus uocatus, eques è nobilissima familia, cui tantum muneris cõcessum est sicuti mos est in his coronationibus, sumptuosè ornatus, pulcherrimoq; equo inuectus armatus aulam ingreditur, qui pronuntiari iubet per Araldũ siquis neget Mariam esse ueram legitimamq; reginam, se uelle illam armis defendere. post dicta præconis chiroteca proiecta ad belli signum, aulam circundat. cum nemo uideretur repugnaturus ad reginam se contulit, quæ salutata poculum aureum uino plenum capiens equitem poculo prouocat, atq; illud honoris gratia largitus. Maria post conuiuia, coronationisq; celebritatem & lætitiam proceribus comitia indicit religionis. postulat ut leges paternas & Odoardi antiquarentur ad religionem spectantes. uetuit sacerdotum nuptias. prouentus templis restituit. episcopos iniquè eiectos reuocauit.

Britanniæ mos post eius regis Coronationem.

Supremi

Supremi capitis religionis nomen pontifici reliquit. iuſsit omnes ritus ad Romanæ eccleſiæ morem reſtaurari. omnes deniq; antiſtites in priſtinam dignitatem reſtituit, qui fuerãt ab Hẽrico eiecti, quia no'uiſſent hæreticam prauitatem complecti. Quæ dum fierent in Britannia, Cæſar ægrè ferens felices Gallorum ſucceſſus in Belgio, quamuis per calamitatem Diuodurenſem multis ducibus inſignibus priuatus fuerat anno ſuperiore, tamen nullum prætermittit apparatuum genus. collegit ad quinque peditum millia 24. uexilla ſcilicet Hiſpanorũ, & unum Italorum, qui reliqui fuerant ex obſidione Diuodurenſi, Samarobrigæq́; & in locis finitimis hyemarant, cum ſex cataphractorum uexillis. nam tametſi concitata fuerat ſeditio ſtipendiorum cauſa ab Hiſpanis, qui Tribunos cohortiumq́; præfectos mutauerant, & mox placati fuerant à Ferrando cerda, tamen Cæſar ſubiratus poſt data ſtipendia omnem iracundiam ſuppreſsit opportunitate imminentis belli, atque cum Sequanis Belgiciſq́; copijs eos ad Teruannã Morinorum urbem oppugnandam adducit. Eſt autem Teruanna non ualde ampla, ſed propter res geſtas, & multa bella quæ illi urbi acciderunt, celeberrima: non procul ab Oceano in ripa fluminis Licci uocati in ampla planitie quæ paludibus & nemoribus cingitur, habetq́; collem non procul diſtantem, à regibus Gallis munita & renouata à fundamentis, & mox à Belgis deſtructa, amiſſa, ac denique recuperata. atque cum primum eò copiæ accederent Cæſarianæ obuios habent ducentos equites Gallos, qui à peditibus & cataphractis ſtatim fugantur, funduntur, & diripiuntur, fiuntq́; maiori ex parte capti ui: cum etiam nonnulli cecidiſſent. Galli contrà ubi primum Sequani propinquarunt in eorum turmam Teruanna egreſſi impreſſionem faciunt. tormentum bellicum occupant, multos trucidant. Cæſar cum ſimularet ſe uelle in aperto bellum gerere, ut repente urbem aggrederetur, quam minus difficilem fore arbitrabatur, copias eò adducit cum ad triginta armatorum millia haberet in caſtris. præter illos, qui ſpe prædæ caſtra ſequebantur. eò cum aduentaſſent copiæ urbem cingunt obſidione, quò propter Roſſei obitum filius Coneſtablij & Oſſonius

Cæſarianus exercitus in Belgio.

Teruannæ urbis deſcriptio.

Teruanna à Cæſare obſidetur, & fortiter quatitur.

regulus cum multis uiris illustribus fuerant ingressi ad defensionem, cum Gallicis copijs primum itaque aduersus urbem castra ad bellorum morem fossis aggeribusq; cinguntur. Sed cum arctius quotidie obsiderentur, Vandomusq; & Conestablius non parum timerent illi urbi, per literas Memorantium cohortantur ut ad certum tempus se tueretur, confirmaretq; præsidia ad constantiam & ad strenuitatem, quòd breui suppetias essent missuri. sed cum literæ intra soleas calceorum consutæ fuissent cuiusdam Aethiopis, ille custodias Cæsarianorum omnino fallere non potuit uel per summam diligentiã uoti compos fieri, quamuis uel ad ultimas fossas & aggeres et uallos castrorum urbem uersus penetrasset. captus est igitur & ad Benincortum regulum adductus. cognitum ex inuenta litera consilium Gallorum. sæpius habitum concilium. decretum ut occidentem uersus tormẽta locarentur. est enim urbs, ut diximus, in planitie sita, maiori longitudine quam latitudine ac trigona propè forma, quæ prædicti fluminis alluitur maiori ex parte aqua fossarum non ualde profundarum tamen. Post multos igitur conatus ac minuta prælia, quæ per illam obsidionem sæpius excitata sunt Agamontius quo tempore putabantur uentura obsessis subsidia constitit in acie septentrionem uersus, donec erecti sunt in urbem maiores cãnones complures & nonnullæ colubrinæ aduersus propugnaculum quoddam, quod erat in uno angulorum plus æquo elatũ; & aduersus muri spatium quæ desinebat in alterum propugnaculum occidentem uersus. cæptum est propugnaculum et murus acerrime concuti unà cum sacra turri templi maioris quæ ad medium usque deiecta est. atqui Galli etsi intelligebãt quantum detrimenti propugnaculo & mœnibus afferrent tormenta, cum globi ualde penetrarent propter eximiam uiolentiam, tamen intrepido animo fortiq; persistere. summa uigilantia noctu & interdiu reparationes moliri. audacter exire ad certamina, uel intra uallos Cæsarianorum aliquando irrumpere. multas cædes intra castra comittere. Enimuero dũ ita leuibus prælijs certatur tanta uis erat tormentorum, ut non modo sacræ turres, uerumetiam omnia sublimiora ædificia

cia prostrata aut infestata sint. Cæsarei denique exercitum in partes quatuor distribuunt. ad meridiem Hispanæ Italæq́; copiæ castrametantur. ad septentrionem equitatus & Belgæ. ad occidentem Britanni & Sequani. ad orientem Germani. sublatæ sunt prostrataeq́; defensiones urbanæ per uim atque impetum tormentorum. at Britanni, qui libenter confluxerant ad ulciscendas iniurias, quas superioribus temporibus se accepisse à Gallis arbitrabantur, ad septentrionem cuniculum summa diligentia excauant ad propugnaculum, quod stabat è regione, prosternendum. id sentientes ciues oppositum cuniculum moliuntur. ibi cadum pulueris tormentarij locant. obseruant certum signum ad ignem submittendum, dum hostes excauantes obruerentur repentino operis collapsu. Sed cum nimia celeritate nulla opportunitate expectata à præfectis illi muneri ignis iniectus sit, oppressi sunt nonnulli ciues & artifices multæ terræ ruina. cum uero uis ignis per foramen disruptum in Britannos irrupisset, circiter triginta concremauit, dimissus est itaque cuniculus, & ad leuia certamina rursus peruentum. Galli cum tormenta nonnulla in colle urbis eminente Iustitiæ uocato collocassent exeunt ad leue prælium, ad fossas usque transcurrunt, qua in pugna multi Itali, & tormentorum magistri laniati sunt globis; infestatiq́; aggeres Hispanorum, quare Cæsariani quatuor bellica tormenta uerberationi addunt. Sequani & Germani usq; consistunt in acie, nam undique ab ea parte urbem inuadere statuitur. ut uerò Galli magis fatigarentur, coguntur singulis ferè noctibus ad arma conclamare, atque sonitu tympanorum, & tormentorũ bombo excitantur. comitia militaria postea sunt indicta per noctem, in his decernitur ut fossam occuparent, defensionesq́; adimerent. atque domorum plenarum terra beneficio protecti magnam operarum manum submitterent ad propugnacula ligonibus euertenda & dilaceranda, & ad uiam conatibus aperiendam ac parandam. Galli etsi uires in dies debilitari suas intelligebant, & uasis uinarijs, & corbibus terra repletis, & trabibus, & lignorum fasciculis aduersus immensam uim tormentorum sese protegebant; nam circiter sexaginta

muralia assiduè diuerberabant; ueruntamen animo paulatim apparebant deficere, cum non ita intrepidè exirent ad leuia prælia; sed omni diligentia defensorum inopiæ conabantur satisfacere, seq́; quanto possent studio seruare. ea re cognita Cæsariani ne procrastinatio res opportunè paratas labefactaret, decernunt nonnullis è partibus uno tempore sub aurora urbem adoriri, per quem conatum fossa potiuntur, ac propè ad oram murorum per ruinas perueniunt, quò etiam quidam signiferi Hispani accesserant; sed saxis & feruētibus aquis & trabibus & ignibus cum magna clade fuerunt reiecti. at uerò ne plus calamitatum recedentes copiæ acciperēt, quàm inuadentes, Benincortus qui summi imperatoris uice in eo bello fungebatur, iubet in acie consistentes copias recedere; atque eo ordine ut paucis è suis desideratis se in tutum receperit. desiderati sunt haud pauciores quingentis è Csæariarianis per eum conatum. ex urbanis ad centum & quinquaginta. Cæsariani fossa potiti operas eò confestim demittunt, qui sarculis, batillis, ligonibus pluribus è partibus propugnacula disrumpunt & detrahunt: occupatis domibus terra repletis, quibus Galli ad propugnaculorum defensionē utebantur. quæ dum Cæsariani sarculis nituntur demoliri, pluribusq́; è locis cuniculos excauant ad ea euertenda, Conestablius ueritus ne obsessi propter paucitatem, assiduitatemq́; laborum tantā obsidionis molestiam non possent sustinere Grillum cohortis præfectum cum ducentis expeditissimis sclopettarijs mittit, uirum intrepidū & in rebus bellicis exercitatissimū, qui quauis ratione ingredi niteretur, obsessosq́; spe citissimi subsidij cōfirmaret. ille cum per obscuritatem noctis non plus duobus miliaribus ab urbe distaret, in planitie consistit, exploratores ad recognoscenda castra hostium præmittit, & qua parte minus difficilis aditus pateret. nuntiatū est per Sequanos istud fieri commodius posse, quòd illi magis somno oppressi uiderentur. Grillus equites præmittit Gallos nonnullos, quos custodiæ causa adduxerat, ad castra Germanorum infestanda & Hispanorum, ipse quanta fieri potest celeritate, cum suorum globo atque Cuneo Confertissimo per duas Sequanorum cohortes

tes tacitè urbem ingreditur. cum rumor increbuisset Gallicas copias esse propinquas, & iam ad arma totis castris conclamaretur, capti sunt nonnulli ex Gallis, ex quibus cognitū est ducentos sclopettarios in urbem esse ingressos. hic nuntius primum Cæsarianorum animos non mediocriter turbauit, sed postea quo in statu esset res urbana ubi cognouissent, cuniculos peragunt. noua tormēta locant in colle urbi propinquo. assiduis ictibus per decem dies nullo intermisso spatio urbem diuerberant. Galli etsi nullum diligentiæ genus prætermittūt faciendis reparationibus aduersus tantum impetum tormentorum, tamen tantum per dies destruitur, quantum per noctes restauratur. neque ullo studio poterant Cæsarianorum uiribus resistere. Cæsariani cum assiduis uerberationibus iam mœnia eò adduxissent ut facilius & inuadi & ascendi possent quàm antea, statuunt dum fiant cuniculi rursus urbem inuadendo tentare, quare concussis domibus fossæ terra plenis tribus è lateribus Teruannam inuadunt: à latere Germanorū & Belgarū & uerberationis.s. cū ad tormentorū tympanorum tubarumq; strepitum scalæ muris alibi admouerentur, alibi per ruinas murorum acerrime pugnaretur. urbani summa uirtute defendunt, primosq; inuadentes per parua tormēta bellica, quæ in reliquijs laterum collocata erant, ad unum trucidant. reliquos trabibus, balistis, saxis, pice ardenti deturbant. quæ pugna cum utrinque cruenta perdurasset, Cæsariani coguntur in castra redire cum multa suorum iactura ducū scilicet, & signiferorū, & strenuorū militū. ex urbanis cecidit Regulus Ossonius Gallorum dux summus, alijq; nonnulli insigniores duces. Henricus quia existimarat Teruannam munitissimam esse & propè inexpugnabilē cum propter naturam loci, tum propter uirtutem defensorum, copias educere minime curarat, quæ tantæ opportunitati erant necessariæ, neque hoc anno magnum exercitum collegerat: qui audita morte Ossonij, aliorumq; ducum, quos eximios cæterorū bellorum euentus & uirtus fuisse demonstrauerat, ualde tristatur: atque uoluit trecentos sclopettarios submittere, sed illud nulla ratione consequi potuit. sed parum sapiens est qui

Cruētum inuadētiū & urbanorum certamen.

munitio-

munitionem ullam omnino inexpugnabilem eſſe arbitretur; quia ubi circunſiſtunt hoſtes, uel ui tormentorum, uel cuniculorum, uel per nocturnas inſidias admotis ſcalis, uel diuturnis laboribus defatigatis obſeſsis, uel proditione, uel cæteris militaribus artibus denique capitur, niſi maturè ſuccurratur; cum uel annonam deficere, uel bellicos apparatus neceſſe ſit per diuturnam defenſionem. uel præſidia, quæ diutius teneantur incluſa, uarijs morbis abſumi. Cæſariani diuerberationem non intermittentes propè perfectis cuniculis, detractisq́; ligone propugnaculis, quæ propter condenſatum exterius ſclopettariorum globum defendi non poterant ab urbanis, cum anteridibus omnia ſuſtinerentur, neque aliud deeſſet, quàm ignem cuniculis ſubmittere, pulueriq́; tormentario, qui ſub propugnaculis erat collocatus, ſtatuunt exitum rei experiri. repletis igitur foſsis lignorũ faſciculis, allatisq́; ſcalis ad muros conſcendendos, quæ coopertæ erant ad euitandam uim ſaxorum, igni cuniculis iniecto ab undecimum calendas Quintilis cum miſerabili omnium nationum quæ in armis circunſtiterant ſpectaculo magna fit ſtrages, cum Galli ſublimes efferrentur & mox præcipites caderent cum magno fragore; multiq́; urbani ruinis ædificiorum fuiſſent oppreſſi. ita uerò repletæ ſunt foſſæ partim coniectis faſciculis lignorum, partim tormentorum ruinis, ut uia ſtrata uideretur ad inuadendum. Galli quòd intelligerent ſe non poſſe diutius Cæſarianorum uiribus reſiſtere, quia aggeres iam omnes eſſent ſuccisi, deuaſtata propugnacula, muri deiecti, omnisq́; ſpes ſalutis uana appareret, ſtatuunt agere de deditione. at, ea dum tractantur, Sequani, & Germani gloriæ cupidi cum primi urbem inuadere niterentur; quia Hiſpana uexilla ex altera parte conuerſa eſſe intelligerẽt hac ipſa de cauſa, audacter per ruinas procedunt: ſed à ſtrenuis defenſoribus coguntur recedere, ſeq́; recipere in caſtra. Galli qui cæteras urbis partes tuebantur, his ſuccurrunt, quorum diſceſſu nudata ſunt alia latera defenſoribus. eam opportunitatem non prætermittendam rati Hiſpani urbem ingrediuntur admotis ſcalis, atque obuios quoſque trucidant. Galli cum Memorantio de ſalute

Hiſpanorum uirtus & humanitas memorabilis.

salute consultantes Hispanis se dedunt, à quibus magna humanitate & clementia seruantur; solisq́; principibus captis reliquos inermes, & in morem mitioris belli priuatos impedimentis in patriam liberos dimittunt. sed Germani & Britani & sequani nulli vel ætati vel sexui parcentes vel dignitati inaudita feritate obuios & inuentos quosque iugulant & trucidant. templa, & loca publica vel priuata diripiunt & incendũt nulla habita vel hominum vel Dei ratione, omniaq́; sacra profanant & contaminant. Teruanna igitur post tredecim dierum assiduam verberationem, cum viginti quatuor millia globorum & amplius sustinuisset ita capta est, & Cæsaris iussu post triduum solo æquata, ne possent inde Galli in posterum fines Cæsarianos infestare. Memorantius cum nonnullis uiris insignibus in potestatem Benincorti uenit, cæteri duces in potestatem Hispanorum, à quibus honorificè tractati honestis conditionibus redempti sunt. Sed quoniam acerba molestaq́; uidebatur Benincorti gloria illis, qui tanti facinoris autores uellent haberi; cum nihil magis animos nobiliorũ ducum sollicitos habeat, quàm ut præclarum splendorem sui nominis ad posteros transmittant, quia videbantur satis honestæ dissensiones de captiuis, multi è principibus querelas ad Cæsarẽ ea de re detulerũt; qui ad has cõtrouersias diluẽdas Ducem Sabaudiæ cum summo rei militaris Imperio omnibus copijs præficit. concedit autoritatem eas dissensiones dijudicandi, peragendiq́; belli donec tempus anni esse sub dio pateretur. nã tametsi frigora nonnihil infestabant propter anni intemperiẽ, naturamq́; regionis, quæ difficilis est & paludosa, tamen cum dux Sabaudiẽsis uenisset in castra omnibus dissensionibus atq; controuersijs compositis post diuturnas consultationes habitas cum principibus exercitus, decernit antequam Henricus auxilia submitteret Esdini tentare expugnationem. Hẽricus audita Teruannæ iactura magnopere turbatus est quòd tot præclaros duces uno tempore amisisset, cum uix fieri posse putasset ut tam munita & inexpugnabilis habita inter illas nationes, tam breui per uim bellorum in potestatem hostium ueniret. ne titus igitur ne Esdinum ijsdem artibus caperent, cuius Balleneus

Teruana urbs diripitur, incenditur, & solo æquat.

Dux Sabaudię Cęsariani exercitus pfectus Esdinum inuadit.

neus dux præerat præsidijs, mittit etiam Horatium Farnesium cui locauerat in matrimonio Dianam filiam spuriam cum multis Italis Gallisq́ proceribus, interquos erat dux Chij Vicecomes Heliæ maritimæ Coloniæ Marchio, equites 34. nobiles quingenti, qui sponte sese ad huius loci defensionem obiecerant est autem Isdinum oppidum insigne Atrebatum non procul à flumine Guinca uocato in finibus Picardiæ in planitie procul à montibus undique, quod pluribus aquis irrigatũ mirificè pabulorũ copia fœcundũ redditur, abũdatq́ rebus omnibus humanæ uitæ necessarijs. tum Henricus iubet exercitum uarijs in locis dispersum in agrum Amiensem conuenire. iubet multas nouas cohortes colligi, quas cum ueteranis commisceret. Imperat tribunos Heluetiorum cum copijs acciri; ut potentem numerosumq́ exercitum Cæsari opponeret, quem si daretur commoda pugnandi facultas adoriretur. Dum Conestablius regium consilium exequitur in agrum Amiensem profectus; Sabaudiensis omnẽ spem summamq́ belli in sola celeritate positam esse arbitratus, quòd hos rumores & apparatus iam percepisset, incredibili studio copias Esdinum adducit, atque intra biduum, cum nõ adessent satis ualida præsidia, eo loco potitur, cum omnes ad oppiduli defensionem se recepissent. illud cum arcta obsidione à tribus lateribus cingeretur, concutereturq́ plurib. septuaginta bellicis Tormẽtis, fierentq́ cuniculi ubique ad euertenda mœnia, nullum quietis spatiũ obsessis neque noctu neque interdiu relinquebatur: tanta uerò erat uis tormentorum assiduè diuerberantium, ut maior pars breui ceciderit eius patij quod inter utraque propugnacula defensores protegebat. Sabaudiẽsis dux statuit, ut urbis repetitis conatibus oppidulũ inuaderetur, qua in pugna ita se egregiè tutãtur Galli non sine aliqua strage, ut Cæsariani coacti sint cum multa suorum iactura in castra recedere. renouata est rursus uerberatio, atque per has pugnas, quæ sæpius repetebãtur, paulatim præsidia oppiduli defensoresq́ minuebantur. at dux Bulleoneus ubi intelligit se non posse diutius resistere conciliũ conuocat sociorum & ducum. quo in statu res sit, docet. demonstrat aduersus tantum hostium numerum non posse resisti. militare

Esdini descriptio.

Esdinum diuerberatur multa irruentium strage.

Ducis Bulleonei oratio in concilio.

litare decus in defendẽdis quæ poßũt defendi cõsistere. at uel per summam inopiam auxiliorũ ac defensorũ stultũ esse se manifestis periculis obijcere. nullã posse putari iure turpitudinẽ committi ab ijs militibus; quos necessitas, at nõ uoluntas & timor ad deditionem compulerit. non modo non censeri prudentes, qui per debilitatem locorum, aut præsidiorum, aut per inopiam apparatuum & commeatus munitiones tueantur, neque uelint se dedere; sed etiam ab hostibus denique uictos nullum ueniæ locum iure inuenire, atque ingentes pœnas luere suæ temeritatis & pertinaciæ. Qui enim non intelligat quæ defendi poßint, quæ relinquenda sint, eum omnino militem non posse appellari. quæ cum fuissent ab omnibus approbata, qui intelligerent quo in statu res essent, decernitur ut certis conditionibus fieret deditio: præconesq́; ad Sabaudiensem ducem mitterentur. is cùm appareret his pactis assentiri, neque deesset quidquam præter subscriptiones, atque obsides tanquã pignus mittere; Cæsariani qui rem ægrè ferebant, quibus præripi gloria per hanc compositionem uidebatur, uictoriaq́; certißima è manibus extorqueri, cum Gallis leuia certamina committunt. Galli repentinum conatum Cæsarianorum ueriti cuniculum excauarant non procul ab ea uerberatione; quò cum hostes fugientes irretiuissent moræ impatientes ignem inijciunt, quare multi Germani & Hispani concremantur. ea uis ignis cum multum damni sequanis etiam intulisset irrepens in loca quædam arte facta, tanta indignatione illos afficit, ut omni sermone de fœdere neglecto conatus renouatus sit, qui noctis aduentu diremptus fuit Cæsarianis in castra redeuntibus, multis è suis desideratis. dum obseßi reparationes reficiunt singulari diligentia, erigun tq́; aggeres à tormentis disiectos, Sabaudiensis consensu militaris consilij quod Cæsar illi adiunxerat ad expugnationem Esdini mirum quoddam stratagema excogitat; iubet uerberationem acerrime renouari, quæ cum per biduum facta fuisset omnes defensiones sunt prostratæ: atque cuniculus sub eadem mœnia excauatus, quà locus erat inuadendus. statutum est ut milites ad conatum delecti cum primum phalanx ad murum

Stratagema Ducis Sabaudiæ, quo Esdinum expugnatur.

accederet apperiretur, alterumq; dimidium ad dextram, alterum ad sinistram accederet: & statutum spatium uacuum in medio relinquerent. ea re facta statim tormenta iubentur displodi in obsessos qui ad defensionem accurrerent: quare futurum erat ut multis laniatis ignaris eorum quæ parabātur, magnopere debilitarentur præsidia. tum displosis tormentis iubentur magno impetu urbem inuadere. nam sine hoc artificio oppidulum non poterat capi propter multas reparationes quæ interius fuerant erectæ Farnesii & Bulleonij diligentia. Sabaudiensis cũ dies destinatus pugnæ aduentasset cataphractis in aciem constitutis addidit confertum peditum agmen, ad eos sustentandos quierant oppidum adorituri. ex altera parte leuioris armaturæ equitatum cum tanta manu peditũ constituit, quanta posset ab ijs lateribus uires hostium sustentare, si conatum forte uellent retardare. tum milites ubi corpora curassent in aciem instruit, uexillisq; in urbem inclinatis iubet ad inuadendum accurrere. illi simulantes se uelle adoriri, moliriq; expugnationem, uti iussum fuerat bifariam diuiduntur, cum alij ad dexteram, alij ad sinistram secederent. tormenta statim per medios Cæsarianos in obsessos, displodantur obiectos, atque egressos ad defensionem: ignisq; iniectus cuniculis sub uerberatione latentibus, quà erat irrumpendum. illuc Horatius Farnesius cum omni nobilitate, multisq; Equitibus Diui Michaelis confluxerāt, quorum maior pars Cæsa est aut uulnerata, atque Horatius globo laniatus interijt. eo inexpectato euentu muris propugnaculis & aggeribus collabentibus plana propè uia patefacta est Cæsarianis: quo spectaculo territi defensores, etsi strenuè pugnabant, diuq; sustinuerunt postea impetum & uires Cæsarianorum, tamen Cæsariani denique per uim oppido potiuntur. omnia ferro deuastant, cædibus, incendijs, populationibus, rapinis destruunt: quod ipsum Belgæ, sequani, ac Germani faciunt omni prorsus memoria humanitatis & misericordiæ aut clementiæ obliterata. Dux Buleoneus ac reliqui proceres Galli qui superstites fuerant Sabaudiensi se dedunt, atque eius uice Benincorto, qui magister erat castrorum in ea expeditione.

Certamen cruentum.

Esdini cædes & deuastatio.

peditione. ceciderunt insigniores è Gallis, Horatius Farnesius, Vicecomes Maritimæ coloniæ, Monuilla, Ambuosa, Ciatrensis, & Megnensis reguli; multiq́ tribuni, centuriones, signiferi tam equitatus quam peditatus. è Cæsarianis desiderati sunt nonnulli duces & signiferi & honorificentissimi milites, qui semper in prima acie pugnabant, semperq́ inuadendis vrbibus primas obtinebant, ut animi sui fortitudinem omnibus patefacerent. missus est Castalius ad oppidum recognoscendum, intelligitur quanta diligentia illud Horatij ingenio muniebatur, quod uiuo Horatio capi omninò non posse videbatur; tanta erat vnius prudentissimi principis præstantia. Cæsar postea ipse in oppidum ingressus iubet illud funditus euerti, atque nouum oppidum ædificari non procul abeo inter nonnullas paludes, quarum opera munitũ tutumq́ reddebatur, atque per mensem Sextilẽ mira celeritate cœptum est ædificari in coronæ morem, uocatumq́ fuit nouũ Esdinũ, quod ex antiqui ruinis extructũ est. Post id facinus Cæsar Bruxellas se cõtulit, at Sabaudiẽsis dux impositis firmissimis præsidijs simulat se uelle ulterius progredi ad alias munitiones expugnandas. sed cum egregie munitæ essent, & Henricus iam satis ualidum exercitum collegisset, uisum est anni tempus postulare ut in hyberna copiæ adducerẽtur, magisq́ conueniens rebus bellicis anni sequentis initium expectaretur. ea uictoria Iuliobonæ nuntiata ingentis lætitiæ signa edita sunt. per id tempus, quo fortuna Henricum Galliæ regẽ his calamitatibus in finibus Belgarum afflixit, neque ottomanica quidem familia suis ærumnis caruit, quæ accerbissimarum tragædiarum præbuit argumentum. Nam cum Persæ ut superius dictum fuit, multas urbes in Amasiam ingressi incendijs, rapinis, cædibus populati essent abductis colonis in seruitutem, quod ipsum factum fuit in syria, Solimanus rumorem excitat quòd ipse ad illud bellum esset exiturus in Amasiam, Rostanemq́ purpuratum Bassam missurus cum exercitu in syriam. Sed hoc fiebat quia curabat captiuum facere Mustapham filium, quo cæso & imperium & vitam tutius conseruaret. Persuasum enim erat Solimano futurum ut ab

Proceres occisi.

Esdino funditus euerso Nouum Esdinum non procul Cæsariani ædificant.

Mustaphã filium Solimanus curat captiuũ facere.

ab eo filio ex imperio eijceretur, qui summa prudentia & autoritate apud omnes nationes plurimum poterat, mirificemque sibi per animi sapientiam existimationẽ, & per liberalitatem & mansuetudinem beneuolentiam populorum omnium conciliauerat. ad quam rem explicandam uidetur initium necessario altius repetendum: ut singulare genus fraudis muliebris, inaudita patris in filium crudelitas, horrenda Ottomanicæ familiæ clades intelligatur. Solimanus è serua muliere è Circasia oriũda filiũ Mustapham susceperat primogenitũ, quem Amasiæ prouinciæ in Coria præfecerat, ut honorifice cum matre & non priuatus uiueret. ille ubi corporis uires creuissent & dotes animi, eam sui expectationem concitauit, vt summus dux, & optimus princeps futurus putaretur. qui cũ Bizãtio cũ matre ad præfecturã recessisset, Solimanus alterius seruæ q̃ Rossa nominabatur amore captus est. Imperatores enim Turcarum multas solent habere captiuas mulieres intra quoddam septum, ex ijs quæ pulchritudine præstantes in expugnationibus urbium capiuntur. atque cum uisum fuerit, nullis matrimonijs, nullis tædis, nullis nuptijs, harum aliquam rapit ad libidinem. quæ vero semel cum imperatore concubuerit, neminem prorsus uirum amplius pati fas est nisi imperator ipse cuiquam in matrimonium dederit. tanto igitur stimulo amoris eius Rossa capitur Solimanus ut ex illa quatuor filios susceperit. Mehemetum, quem præfecit Ciliciæ & Pãphyliæ, cui mortuo frater successit in præfecturã Selimus, Baiazettũ cui concessa fuit Mechoresia, & Zeangir Gibosus, cum utrinque gibum haberet, & fœminam præterea Chameriam nominatam, qua locata est in matrimonio Rostani purpurato. Rostan ubi in Abraimi demortui locum successisset, ad honestam conditionem Ianizzerorum, sanzacchorum, uniuersique exercitus stipendia perduxit, quæ prius uidebantur magna & intolerabilia. uectigaliaque adauxit, quare omnium in se odium mirificè concitauit, at incredibili sibi Solimani conciliata per id facinus beneuolentia parum curabat animos uulgi. Vnius Mustaphæ animum uerebatur, quem sciebat sibi esse infensum, quòd cum mistum populorum

Solimanus Rossam uxorem ducit artibus Muplctis.

pulorumq́; studia omnium sequerentur. is timor Rostanem etiam impulit ut cum Rossa in caput & pernitiem Mustapha conspiraret. sic autem fraus paulatim intexitur. Rossa simulat se uelle religionis causa & pij animi ad honorem summi & altißimi Dei ac prophetæ Xenoxochium excitare ad excipiendos peregrinos. percunctatur Mupletem uocatum, qui summus est Ottomanicorum sacerdotum princeps & tanquam pontifex, an illud gratum foret Deo, & conferret saluti animæ suæ. responsum tulit id acceptum quidem Deo futurum, sed nihil ad eius animam pertinere, quia facultatibus alienis at non suis ædificat, qui est in alterius potestate, neque uitæ sibi sit arbiter. id enim ad Solimani, non ad ipsius salutem animæ necessariò spectare, ut qui facultates omnes poßideat. eo responso simulat se tristari non mediocriter, quod non modo corporis, quod libenter alterius arbitrio subijceret, sed neque animæ libertatem haberet, de cuius salute actum uidebatur. ea res cum ad aures Solimani peruenisset, partim amore, partim misericordia commotus, significat illi per nuntios ut læto esset animo, quia citò eius uotis satisfieret. mox illi diploma mittit, in quo libertate donabatur. illa gratias immortales agens institutum ædificium exequitur. abstinet ab omni libidine interea per opportunitatem eius pietatis, quare magis desiderium Solimani inflammauit; cum grauiora sint quæ apparent cum aliqua difficultate obtineri, quã quæ sunt in promptu. mittit qui nuntiaret ut se sequenti nocte expectaret, quæ remisit significatum ut prospiceret ne legi repugnaret, quando liberam fecisset; neve peccaret, cum non posset legitimè cum libera muliere rem habere, ut poterat ex Muplete cognoscere: se tamen unum & facultatum & corporis & uitæ unicum esse dominum. illud responsum acerbißimum accidit Solimano, qui cum prohiberetur ad eam accedere, tãto magis desiderio illius inflãmabatur. his stimulis exagitatus Mupletẽ accersit; consulit an posset per religionem rẽ habere cũ liberta. ille ut erat instructus et impulsus muneribus respõdet istud non licere, nisi uxorem duceret. grauißimum fore peccatum si aliter fieret, quòd ita lex statueret. atque hoc etiam responsum

Rossæ fraus in caput Mustaphæ.

ſum magis animum Solimani incitauit deſidem. Solimanus ita grauißimis ſtimulis exagitatus eam uxorem ducit. aßignat quinque Sultaninorum millia, quod genus eſt aureæ pecuniæ turcicæ, annuum prouentum, quem haberet dotis nomine; præter Ottomanicæ familiæ conſuetudinem: qui nullam certam habere conſueuerunt uxorem, ne ſociam uideantur habere imperij. nam modo cum hac, modo cum illa uerſantur: quæ harũ pepererit ſultana honoris gratia nominatur, et mox ut libuerit imperatori proceribus locantur in matrimonio. His artibus cum Roſſa è ſeruili conditione ad tãtam imperij amplitudinem aſcendens quærebat quibus artibus effici poſſet ut unus è ſuis filijs poſt mortuum Solimanum ad tanti imperij amplitudinem aſcenderet. huic deſiderio unum erat impedimentum egregia primogeniti Muſtaphæ uirtus & autoritas. ſed ad illam expugnandam uiſum eſt Roſtanis generi opera uti oportere, qui etiam iure uideretur Muſtapham coniuncto eſſe poſthabiturus; quem maxime faciebat inuiſum contraria animi uirtus, & egregia magnificentia. atque cum nonnullam partem prouentuum Muſtaphæ etiam in illa prouincia adimere uoluiſſet, facile apparebat non modo dignitatem Roſtanis, ſed etiam uitam ſi Muſtapha ſuſcepiſſet imperium in magno periculo conſtitutam. Hunc Roſſa ita in ſuam ſententiam adducit, ita promißis & blanditijs allicit, ut cum communi conſilio ad euertendum Muſtapham conſpiraſſet, probabili ratione perſuaſerit Solimano uitam & imperium poſitum eſſe in magno diſcrimine propter nimiã Muſtaphæ autoritatẽ & beneuolentiam apud eas nationes. ad eã rẽ cõfirmãdam Roſtanes id oneris imponit ijs magiſtratibus qui in Ioniã reliquasq́ prouincias Amaſiæ finitimas ad præfecturas mitterentur, ut diligentißime omnia quæ poſſent præclara de Muſtapha conſcriberent; monuitq́ ut paterno deſiderio laudum filij ſui ſatisfieret, ut quam maxime res Muſtaphæ laudibus extollerent. illi inſidiarum neſcij libertißimè hoc ſcriptionis genere fungebantur, & frequenter; atque ita, ut apertè paterent maxima militum deſideria ut is imperium obtineret: omnium populorum in illum ſingularis beneuolẽtia & ſtudia.

Muſtaphæ Roſſa inſidias ĩſtruit Roſtanis opera.

nolu

noluit tamen Rostan primus hæc sceleratí consilij semina spargere, sed nefariæ mulieri redditas literas permittebat ad opportunitates reseruari. illa primum mirum in modum se his laudibus lætari simulat, sibiq́; gratum esse magnificentiam Mustaphæ ostendit: sed postea paulatim animum Solimani suspensum habet, tanquam de uita Solimani solicita, quòd his ipsis artibus Selimus patri uitam & imperium eripuit. hortatur ut Mustaphæ consilia diligentius exploraret, inuestigaretq́; quorsum ea liberalitas & magnificentia filij tenderet; quæ certe insidiarum plena esse posset. hæ accusationes subfrigidæ primum uisæ sunt Solimano, ut quæ parum ingenio iuuenis conuenirent. quod non omnes principes, ubi aliqua virtutis & magnificentiæ uestigia apparuerint, sunt in suspicionem proditionis & sceleris uocandi. Quare scelesta & nefaria mulier aliud insidiarum genus excogitat. ad uenenum recurrit, patrio nomine uenenata edulia muneri mittit. is cum per prægustatorem rem cognouisset, qui statim interijt ijs gustatis humanda curauit. id etiam consilium cum irritum fuisset, ea non concidit animo, sed ad aliud fraudum genus se accingit. rogat Solimanum ut reditus filijs ad uisendum patrem uicissim concederetur: quod videbatur fieri duplici ratione; tum ut præsentia filiorum patrem in amorem alliceret, tum etiam ut commodior facultas opprimendi Mustaphæ concederetur si aduentaret: sinautem, ut odium concitaretur tanquam qui parum mandata patris curaret. Quamquam primogenitorum turcarum imperatorum mos est nunquam ByZantium redire ubi semel in Prouincias missi fuerint, nisi cum armati accederent ad suscipiendum imperium: quare hoc videbatur committi contra consuetudinem imperatorum uiuente patre. at uerò ita efficiebatur ut unus aut duo filij semper essent cum Solimano; & præcipue Zeangir, qui cum esset acri ingenio & callidus mirificè patrem suæ consuetudinis desiderio tenebat. fortuna quæ fellicitatem crudelissimæ fœminæ prorsus absolutam esse nolebat, curauit ut literæ à purpurato afferrentur, qui erat cum Mustapha; quoniam singulis filijs

purpuratum, tanquam Vicario nomine fungentem misit Solimanus, qui causas populorum audiret, ac ius diceret in prouincijs, & in rebus bellicis consilio iuuaret. atque doctorem qui cognitione disciplinarum erudiret. in ijs literis continebatur quod agebantur nuptiæ, matrimoniumq́; tractabatur, quia Mustapha erat filiam regis persarum ducturus. ea purpuratus scribenda duxerat, ne forte tanquam conscius, si contra Solimani sententiam res ageretur, mox subiret supplicium. illæ literæ cum ad Rostanem peruenissent, uidereturq́; opportuna maxime oblata occasio Mustaphæ opprimendi, omnia Rossæ patefacit, atque re cum illa communicata contendit ad Solimanum. ita uero suspicionem animo patris iniiciunt affectatæ tyrannidis, ut rem iam non amplius dubiam sed certißimam esse arbitrarentur. addunt tanquam calcar currenti conciliatam populorum beneuolentiam, senectutem patris ante oculos proponunt, liberalitatem illam esse inquiunt ad milites omnes ad sua uota alliciendos. ostendunt Mustaphæ ambitionem, magnitudinemq́; animi, qui nihil humile cogitabat, sed incredibili quodam imperandi studio tenebatur: ad quod perficiendum amicitiam nationum Persarum Ottomanico nomini infestißimarum sibi clam conciliare studebat, ut ijs uiribus auctus facilius patrem opprimeret, imperiumq́; occuparet, a qua nouitate rerum apparebant IaniZzeri illi amicißimi etiam non ualde abhorrere, qui singulari eius liberalitate fuissent corrupti. ea tanti ponderis uisa sunt Solimano, ut non amplius falsa esse posse censeret, sed tam prono animo in eam suspicionem inciderit, ut filium omnino de medio tollendũ decreuerit. nam profecto ubi agitur de imperio, uel si pertenuis suspicio existat, nulla firma est aut sancta natura, vel amicitiæ coniunctio: cum maiestas regni & dominandi libido omnia humana diuinaq́; iura prosternat. sic igitur Rostanem cum paratis ingentibus copijs mittit ad Mustapham comprehendendum, quamuis ad ulciscendas Persarum iniurias simulabat. cum ad fines Syriæ Rostanes peruenisset, Mustapha audito eius aduentu cum septem millibus lectißimorum

Solimanus Rostanem mittit ad filiũ comprehẽdendum.

peditum

peditum obuiam procedit. Rostanes cum intelligeret se non posse consilium perficere, dissipat rumorem quod omnia tranquilla & pacata inuenisset, castra mouit Byzãtium uersus minime expectato Mustapha aduentu. narrat Solimano quo in statu res inuenerit, auget eius suspicionẽ impulsus Rossæ preci bus, declarat q̃ propensum in eũ haberet exercitũ, quẽ ducta uerat in Syriã, qui nihil aliud magis optare, quàm Mustaphã Imperatorẽ uidere apparebat. se ideo ueritũ esse prælium committere, ne rem arbitrio crederet fortunæ propter immensam populorum in illum beneuolẽtiam, & Ianizzerorũ præcipuè, quam illi præ se ferrent. Se rem integram reseruasse suæ Maiestatis iudicio. hæc tantum metum tantamq; indignationem Solimani in filium excitarunt, ut satis opportunam uiam facilemq; aperuerit insidiatoribus ad Mustaphæ innocentis perniciem. iussit itaque in annum sequentem omnes copias colligi, quæ collectæ sunt anno salutis nostræ 1553. iussus est Achmetus Curtensis, qui in expeditione Pãnonica præclarum uirtutis suæ indicium nõ semel ediderat, cũ omnibus Pannonicis copijs in Amasiam cõtendere, cũ Solimanus terrores dissipati iussisset, ꝗ Persæ rursus in fines Syriæ prædabũdi ac populabũdi irrupissent; atque ipse cum uniuerso exercitu equitauit ad eos fines. è uestigio iubet dari literas ad Mustapham, quibus iubet ad se uenire Antiochiam siue Alepiam. atque cum uellet odium occultare, quod in filium per alienam fraudem conceperat, non tamen ita occultare potuit, quin Achmetus uir prudentissimus illud sentiret. grauiter tulit sanè magnificentiam filij paternum odium in se concitasse, quare ueritus ne illud accideret, quod postea euenit, certiorem facit Mustapham ut uitæ salutisq; suæ rationem haberet, neque facile confideret. tum Mustapha mirari cœpit unde ea proferrentur, cum etiam patrem nulla proposita occasione cum tanto exercitu eò aduentasse cerneret. nam cum Persarum res essent pacatæ in non paruam incidit suspicionem, quamuis conscientia & integritate confirmaretur. uexabat animum etiam nonnihil ac deterrebat somnium quod à Mustapha per noctem uisum fuerat: nam dormienti appa-

Solimanus cum exercitu equitat in Amasiam.

Mustaphæ somnium.

Ccc 2 ruit

ruit in somnijs sub auroram uir splendentibus vestibus indutus radijs propè solaribus, qui manu apprehensum in locum amœnissimum adduceret, ubi magnificentissimum palatium visebatur multis fructiferis arboribus, & terra floribus tecta multis circundatum. ibi locum assignari inquit uir ille viris bonis & innocentibus qui per virtutes mortalem hanc molestiarum plenam uitam transegissent, atque iniquitati & sceleribus cæterorum restitissent. tum in aliam partem cõuersus duo ingentia flumina monstrat, quorum alterius aqua quasi picea currebat bulliens, in qua magna inerat turba, cũ alij modo immergerentur, modo extollerentur; alij cum magnis eiulatibus fortunam suam detestarentur. atque hic excruciari inquit uir ille qui per iniquitatem & crudelitatem cæteraq; impura uitia contaminati ex hac uita excessissent. Id somnium cum doctori suo aperuisset, monetur ut saluti suæ consuleret, cum præsertim turcæ superstitiosi sint illi qui se leges seruare profitentur, maximeq; somnijs credant. tamen neque his quidem terroribus commouetur Mustapha quominus conueniat ad paternam obedientiam, quia gloriosius esse duceret mori innocentem, quàm rebellem & paternis mandatis repugnantem turpiter uiuere. summa igitur celeritate in castra paterna conuolat quæ distabant ab Alepia circiter quadraginta milia passuum. ea tanta celeritas Mustaphæ in maiorem suspicionem Solimanum impulit, cum vel minima suspicio facile quibusuis aduentibus augeatur, omniaq; putentur ad conceptum finem tendere. eam occasionem suspicionis augendæ Rostanes non prætermittit; significat nictu oculorum ut IaniZzeri & primates exercitus obuiam procederent: nam turcæ ita sunt instructi & eruditi, ut ad sola signa oculorum aut manuum regantur exequanturq; militaria munia summo cum silentio ubi opus sit. illis se rati gratificari Solimano magna celeritate occurrunt, quare tota castra ad eum salutandum confluunt. Rostanes se grauiter ferre simulat quòd se inconsulto IaniZzeri & primarij exercitus ad eum excipiendum exijssent cum clamoribus & immensæ lætitiæ significatione; neque aliud

aliud reliquum esse videbatur, nisi ut imperium occuparet: quare hortatur Solimanum ut sibi caueret, ac uitam diligenter tueretur. atque Solimanus è tentorio pallens præ timore, eam exercitus lætitiæ significationem coram intuetur. cum primum igitur Mustapha paternis castris cum suis copijs propinquauit, tentoria erigi iubet sua, candidoq́; habita indutus ad exosculandam paternam manum contēdit; qui cum imprudenter se cum pugione incedere cognouisset, illum recedens statim deposuit, ut omnem patri suspicionem fraudis præriperet. in primum tentorij thalamum profectus alacri uultu ab Eunuchis excipitur, atque nullum uidēs ibi apparatum præter sedem magnam venit in dubitationem cum aliquādiu ibi constitisset. Rogat ubi esset Imperator, quibus responsum est breui affore. tum septem mutos exire uidit ex alio thalamo, qui assidue Solimano assistunt, solisq́; significationibus uoluntatem imperatoris intelligunt, clandestinaq́; consilia exequuntur. illi cùm aduersus Mustapham procederent magno terrore afficiunt, atque iam fugiturus erat mortis metu, quam ex his timebat, sed tum à mutis tum etiam ab Eunuchis detentus extra tētorium rursus intra tentoriū reducitur. ibi muti neruum Turcici arcus collo Mustaphæ injiciunt ad illum suffocandum. Sed is quòd esset præualidus eos à se reijciebat, rogabatq́; ut saltem ultimis uerbis patrē alloqui concederetur. dum ita certatur ab his immanis pater quauis fera crudelior qui finem & exitum tam atrocis certaminis prospectabat porrecto capite extra thalamum iratus inquit carnificibus, nondum uitam huic scelesto eripuistis? ad eam reprehensionem Eunuchi & muti facto impetu Mustapham prosternunt, neruum collo injiciunt, ac suffocant. Sic uir præclarus & omnibus uirtutibus regijs ornatus per fraudem & insidias eorum qui ad imperium aspirabant, patris iussu extinctus est. post id crudelissimum facinus Solimani iussu Purpuratus Amasiæ præfectus & Nicolaus Michaelius Venetus ex ordine Patricio, qui captiuus factus ad Nicopolim in sinu Ambracio per bellum nauale Mustaphæ puer donatus fuerat, ac fraterna propè charitate cum

Mustapha innocens necat mādato patris.

Zeangir supra fratris cadauer mortẽ sibi consciscit.

te cum illo educatus propter insignem fortitudinem dexteritatemq́; ingenij : a quo etiam prætorium uexillum obtinuerat. His tanquam omnium consiliorum participibus caput publicè amputatur. tum Zeangirum tantæ crudelitatis ignarum Solimanus accersiri iubet, hortatur ut fratrem qui erat intra tentorium ac nuper uenerat, uisat : atque is alacer properat ad eius complexum. ubi eò ingressus suffocatum uidit, attonitus & lacrymabundus consistit. huic Solimanus nuntiatum mittit ut thesauros & spolia & prouinciam Mustaphæ caperet, quòd omnia illi largiretur. at Zeangir conuersus scelestum patrem & impium atque inhumanum uocat, iubet ipsum his spolijs lætari innocentis hominis, in cuius animum tantum feritatis incidisset, ut filium tam præclarum, tam magnificum, tam illustrem, qui egregium ornamentum Ottomanicæ familiæ erat futurus, nullo certo indicio cognito, sola uana suspicione, solis uerbis maleuolorum impulsus ita crudeliter necasset. his multisq́; alijs uerbis conquestus pugione quem forte habebat mortem sibi ipsi consciuit, ac supra prostratum fratris cadauer cecidit. Solimanus ne tantæ tragediæ vulgarentur famam edi iubet quòd Zeangir repentino morbo fuisset absumptus. tum iubet omnia bona Mustaphæ in imperatorium ærarium conferri. ad ea dum ministri Solimani accedunt, Mustaphæ milites nescij quid accidisset, cum tantam vident multitudinem aduenientem arma capiunt ad propulsandas iniurias, primosq́; reijciunt, cũ multorum cæde. ea re cognita in castris multi è Solimani militibus accurrunt ad suos subleuandos, committitur leue prælium. multis utrinque accedentibus horrendum certamen exoritur, in quo plures duobus hominum millibus ceciderunt. eò usq; succrescebat prœliũ, ut nisi Achmetus spectatæ uirtutis & autoritatis inter Turcas propter conciliatã sibi militum beneuolentiam accessisset, atrocissimũ prœliũ fuisset commissum, multaq́; millia mortalium cecidissent. at his modo Ianizeris modo Mustaphæ militibus humaniter appellatis, ita egit denique ut arma sint deposita; omniaq́; bona uti Solimanus imperabat, ablata. postea cum mors Mustaphæ nuntiata esset

Horrendũ certamen inter Solimani & Mustaphæ copias.

in ca-

in castris, & falsa suspicio eius causa, rursus ad arma magno impetu concurritur. admistæ sunt iræ lachrymæ. concurritur ad tentorium Solimani. petitur iustitia & ultio eius mortis indignæ. ad quem tumultum Solimanus trepidus fuga saluti consulit suæ. uerũtamen à nonnullis suorũ detinetur non sine uitæ periculo. necessitate itaque rerum præsentium compulsus ad ingressum tentorij accedens inquit ad Ianizzeros, qui tumultus sunt hi? qui strepitus? quæ arma, qui concursus, qui furor hic? an me ignoratis? nescitis esse Imperatorem? nescitis adesse? cui responsum est non ignorari delectum esse imperatorem ad seruandam æquitatem & iustitiam & innocentiam; at cum innocentes opprimat, uiros bonos circumueniat per fraudem, regijs uirtutibus aliorum inuideat, quos debet adiuuare, ignorari iure imperatorem: arma, quæ suscepta fuissent, iustissima esse arma ad sui principis innocentis hominis ultionem, neq; prius cessatura quàm accusatores & calũniatores æquitatẽ causæ in iudicio probassent. ea probata, se lubentissime cuiuis uel acerbissimo mortis generi exposituros profitentur: sed illud probari oportere in illa planitie in qua constiterant. istud autẽ tanto animorũ affectu fiebat, ut Solimanus, qui propter hos tumultus mirificè erat attonitus, promisserit se honestissimæ petitioni illorum satisfacturum. sic Ianizzerorum ira sedata est, qui quidem arma non deposuerunt, sed diligentissime custodiũt ne laberetur è castris; neque tamen iudicium illud factum fuit. Solimanus ut uideretur promissa seruare ademit sigillum Rostani, dignitatemq; illi ereptam Achmeto purpurato defert, ad quem Rostanes per eos tumultus trepidus confugerat. eum cõsulit quid in tanta difficultate rerum sit agendum: qui respondit consulendum esse Imperatorem. eum cum per nuntium cõsuluisset, responsum tulit ut continuo è conspectu suo diffugeret. remittit nuntiatum opus esse pecunia & tentorijs, atque secundum datum est responsum præsentis temporis statum nihil horum expectare; quo accepto summa celeritate diffugit è castris. sic se ex impetu militum seruans Byzantiũ priuatus & inglorius conuolauit. Solimanus ubi conaretur omni pruden-

Rostanes exautoratus aufugit Byzantium.

tia

Solimanus ob crudelitatem in filium a Ianizzeris custoditur

tia atque dexteritate Ianizzerorum ingenia, omnē operam ludebat; quare suis rebus desperans, ac veritus ne in eorum potestatem denique veniret, rursus cum paucis domesticis fugam tentat. sed uanus fuit & hic conatus, cum illi maximè instarent ut Imperator in planitiem procederet, sententiamq́; pronuntiaret, neque tentaret se in urbes includere; quod nullo pacto toleraretur. Non enim ferendum esse vt ita innocentes per libidinem necarentur, accusarenturq́; impune proditionis uiri boni: neque se prius ex eo loco cessuros, quàm iustum sanguinem ulciscerentur, atque uiderent eam sententiam ferri pro æquitate, quam tanta contentione animi postulassent. cum intelligeret Solimanus se nullis artibus, nulloq́; studio tantis periculis posse subtrahi; ad illud extremum remedium tantarum difficultatum accurrit, ut largitionibus tentarentur animi Ianizzerorum sui corporis custodiæ, quorum sunt quatuor millia, per Achmetum uirum callidum & prudentem. ille promissis maioribus stipendijs in singulos ex ijs quatuor millibus Ianizzerorum eo denique rem adducit ut Alepiam vsque comitarentur, ubi pollicebatur futurum vt calumniator puniretur, ulciscerenturq́; sanguinem Innocentis Mustaphæ. Iusserat Solimanus ut cadauera filiorum in urbem Bursiam uocatā honorifice efferrentur, deponerenturq́; in antiquis Ottomanorum sepulchris. atque literæ inuentæ sunt apud Mustapham & ad Solimanum perlatæ, quas non nisi pacatis tumultibus perlegit, in quibus continebantur insidiæ quas Rostanes & Rossa, & quo pacto tetendissent. ita uerò turbatus est eius animus ut multos dies quasi attonitus & desipiens mutus iaceret, neque ullam consolationem tanto dolori inueniret: atque incredibili odio in Rostanem & suam uxorem exarsit, sed ratione temporum quo minus in eos sæuierit, refranabatur. sed quoniam reuocari non poterant quæ fuerant in uirum clarissimum Mustapham commissa, Solimanus putauit tantum crudelitatis aliquo pacto leniri posse, si non deleri, si Mehemetum filium Mustaphæ, quem ille è serua quadam illyrica susceperat, complecteretur:

Achmetus Ianizzerorum tumultus placat largitionibus

Solimanus detectis insidijs in Mustapham attonitus iacet.

qui

qui tunc annum decimumtertium agebat. aufugerat is metu auiti edicti, ne trucidaretur, at iussu Solimani reuocatur, ad ipsumq́; Solimanum adducitur, & Bursiæ præfecturæ præficitur. postea Solimanus iter capit Hierosolymam uersus, cui nuntiatur in itinere Persas auditis his motibus turcarũ crudelibusq́; casibus filiorum in Amasiam hostiliter irrupisse, omniaq́; incendijs, rapinis, populationibus miscere: quo nuntio necesse fuit Alepiam reuerti ut rebus Syrijs, tantisq́; difficultatibus succurreretur; atque Rossæ matrimonium soluit, quæ propter eam inauditam crudelitatem iam illi erat inuisa. Selimo, qui præerat Ciliciæ, nunciatur à quodam chiausso mors fratrum, qui putabat se aliquod præmium pro illo nuntio accepturum; quia omne impedimentum videbatur sublatum Selimo quo minus post patrem ad Imperium perueniret. Sed is nuntius tam molestus accidit, ut magnam copiam lachrymarum in funere charissimorum fratrum effuderit. at infelicis nuntij ministro pro præmio expectato longissimi itineris, & summæ celeritatis, qua vsus fuerat, iubet caput amputari. quod gloriosum sanè exemplum fuit; per quod moniti sunt plerique infelices nuntios nemini læto animo esse ferendos, & nullam esse tantam magnitudinem imperi, quæ possit naturæ coniunctionem ex animo uirorum bonorum obliterare. Solimanus tamen nulla re memorabili edita, cum Persarum impetus fama eius aduentus repressus fuisset, Paulo post Byzantium redijt. Sed quoniam Britanniæ regnum ita fuerat feliciter à Maria recuperatum sine vlla pugna cum in maximo periculo res fuisset, undiq́; gratulatum ueniunt legationes, & præcipuè Purpuratus sacer antistes Polus literas mirifice gratulationis & pietatis plenas misit, quarum exemplum hic ascribendum duximus propter sanctitatem argumenti.

Persæ audita Solimani crudelitate Amasiam ferro igni q̃ue uastãt.

Selimus nunciata morte fratum gloriosum exemplum edit.

Benedicta manus omnipotentis Dei, quæ non solum Maiestatem tuam in alto Throno, & in possessione Regni collocauit, quod multos iam annos ad eam spectabat, & ab omnibus bonis optabatur, atque inter sacras preces petebatur à diui-

Literæ Carũ. Poli ad Mariã ob recuperatũ

Britanniæ Regnum

na clementia : sed etiam eò res deduxit, ut non modo res ipsa, verumetiam ratio ipsius rei conficiendæ omnes amicos incredibili lætitia perfundat ; & præcipuè pium animum tuum, quia sine sanguine res peracta est. prope cum magna clades esset timenda, propter fraudes aduersariorum quæ non paruis uiribus erant suffultæ, ad eam iustissima successione priuandam. atque cum propter longum spatium sibi diuinitus concessum ad suas insidias subtexendas ut diuina prouidentia, putarant se ad finem optatum cum scelere suscepti consilij peruenisse, sine nouis auxilijs, sed solis uiribus quas spiritus Dei excitauit in animis mortalium, effectum est ut breui momento temporis irriti ac delusi sint omnes mortalium apparatus. ita conuersi sunt qui humana malitiæ militabant, ad protegendum honorem Dei, Maiestatis tuæ incolumitatem, ac totius regni salutem. si quis itaque miratur cur tua Maiestas nulli externis uiribus, paucis etiam subditis audentibus eius partes amplecti, potuerit regnum ita vsurpatum aduersus tantam hominum malitiam & potentiam recuperare ; aut si quis rogaret, quomodo factum est illud? res ipsa respondere poterit, spiritus sanctus superuenit in corda hominum, qui ea ratione mihi regnum restituere uolit. atque hoc uno exemplo non solùm Vestris populis, sed uniuersis Christianis & barbaris nationibus manifestum sit, quia nullum sit consilium, nec prudentia, nec fortitudo contra Dominum Deum : & quòd excelsus dominetur in regno hominum, & cui uoluerit, & quando uoluerit dabit illud. eius diuinæ prouidentiæ in rebus humanis credulitas, præcipuum nostræ religionis fundamentum, si unquam in istud regnum introduci & confirmari debuit per ullam manifestam experientiam, hoc maxime tempore introduci necesse est, quo propter impiorum tam diuturnam autoritatem ita erat in animis hominum debilitata, & in eorum animis præsertim qui prudentiores sapientioresq; putabantur, ut penitus uideretur extincta. cum diuinæ itaque bonitati placuerit ita euidentibus signis suam potentiam in tua Maiestate extollenda, tunc cum à suis inimicis, & à multis

multis alijs prorsus oppressa putabatur declarare; hoc est cur maximè omnes boni & pij glorientur, & quòd tibi magis gratum esse certò scio, quàm regiam dignitatem. atqui si ulla fœmina debuit Deum laudare ijs uerbis suæ sanctissimæ matris, cuius nomen refers, quibus ea usa est, ad exprimendam lætitiam propter diuinam prouidentiam ad sui humanique generis salutem, cum Spiritu sancto repleta inquit; Magnificat anima mea dominum, cum ijs quæ sequuntur: tua Maiestas iustissima de causa eum psalmum canere potest, cum in se ipsa sentiat, quod omnes uident; & ut diuina bonitas respexit humilitatem ancillæ suæ. fecit potentiam in brachio suo, statim deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. hoc dictũ de diuina prouidẽtia erga Maiest. tuam, semper manifestius in administratione cognoscetur tua, cum incremento illo lætitiæ, quod desideratur ad honorem, & laudem diuinæ maiestatis. Enimuero mea erga Deum, & suam ecclesiam pietas, & Maiestatem tuam me cogit ut unum tibi in memoriam reuocem initio regnandi; quod est cum ita singulare beneficium à Deo acceperis, diligenter consideres è quibus radicibus perturbationes pullularint rerum ad iustitiam pertinentium, & ad ueræ religionis cultum; quippe cũ illæ indies cũ tanta ruina succreuerint in isto regno priuata & publica, quanta non ignoratur. atqui si hoc ita feceris, percipies profectò principium & causam omnium malorum tunc pullullasse, cum perpetuus humani generis aduersarius patri tuo persuasit impurum consilium, ut diuortium fieret matris tuæ optimæ reginæ. atque illi magnæ in Deum, in ipsam, in te, in seipsum iniuriæ maius additum est scelus, quòd à matre spiritus diuortium fecit omnium Christianorum, à sancta catholica obediẽtia, & ab apostolica reuerentia. ex hoc iniquo et impio semine tot pestiferi fructus nati sunt, ut ita regnũ ubique corruperint, ut nullum neq; iustitiæ, neq; ueræ religionis uestigium apparuerit: tanquam relegatæ sint ambæ quando reuerentia & obedientia ecclesiæ eiecta fuit, neque prius sunt rediture, quàm diuina obedientia in animum recepta sit eorum, qui rebus præfuerint. Hoc facile tua Maiestas

illi seruo suo potest credere, qui omniũ uiuẽtium plura et ista & Maiestatis Vestræ causa passus est. Neque vllam defendendæ causæ tuæ rationem prætermisi ubi aliquod extaret remedium, quo te tuis molestijs subleuarem. quod nisi mei labores eum finem consecuti sunt, quem semper desideraui sæpius vel uitam ipsam periculis exponens, tamen nunc multo magis lætor, quàm si ipse adiutor fuissem, cum apertißimè cognouerim diuinæ prouidentiæ in Maiestatem tuam propensam uoluntatem. nam profectò noluit Deus illa humana manu te adiuuari, neque Pontificis, neque Cæsaris, neque ullius principis: quamuis nunquam cessauit Pontifex Cæsarem ad opem ferendam cohortari. neque mea defuit diligentia utrisque ad hoc pium opus sollicitandis; sed diuinitus res protracta est, donec statutum tempus à Deo aduentarit quo diuina manu subleuareris. interim usus est Deus eadem ratione, qua erga carißimos & dilectißimos uti consueuit, quos nutrit et educat in omni calamitatum ærumnarumq́ genere; ut gratiæ suæ semen altiores radices in corde tuo posset extendere; meliusq́ floreat, ac nobiliores fructus producat, cum uisum fuerit in pristinam felicitatem reuocare. Istud nunc omnes boni expectant; atque ego in primis, cui maior occasio concessa est dotes animi tui, quæ diuinitus tibi cõcessæ sunt à teneris cognoscendi. ea res me multò etiam magis impellit ut Maiestati tuæ id significem de re tanta, quanta est Ecclesiæ obedientia, me magis etiam sollicitum esse quàm antea, qua mente sis erga religionem, & quo pacto affecta. Nam cum circiter trecenta millia passuum distem ab urbe Roma, nuper ad me de rebus Britannicis est delatum; per literas summi Pontificis certior factus te ad summum imperium esse proue ctam, & electus legatus à sancta sede apostolica ad Maiestatem tuam & ad Cæsarem & ad Galliarum Regem vt tibi gratularer pro Victoria Dei in hac causa ipsius Dei. Sed quia quanti res sit intelligo, censui non inutile fore si Maiestatis tuæ mentem quo pacto Deus mouerit, prius percunctatus fuero, cuius causa præsentem nuntium cum meis literis mitto. neque istud quidem quia de optima volũ-

tate

tâte tua subdubitem, quoniam te semper gratam erga Deum fuisse cognouit, & acceptorum non immemorem; legumq́; diuinarum obseruantissimam, inter quos obedientia apostolicæ sedis continetur, cui maxime omnium fauere debes. Nã certe quidem Maiestatis tuæ pater nulla alia de causa apostolicam obedientiam reliquit, nisi quia nollet Pontifex Romanus causæ tuæ fauens turpi & iniquo eius desiderio assentiri: Sed quoniam tot annos tanta facta est mutatio, tantaq́; malitia conata est euellere ex animis hominum, penitusq́; restinguere hanc ipsam obedientiam & obseruantiam, mihi uisum est non absurdum fore si ex te ipsa percunctarer quod tempus, aut quæ ratio aptior commodiorq́; videretur ad ipsius Vicarij Christi legatione perfungendum, idq́; ad istius regni beneficium & consolationem: cuius felicitas & quies semper magis oppressa fuit, ex quo sancta obedientia expugnari cœpta est, coactaq́; solum vertere. Decreui igitur prius responsum expectare, quod ut expectationi meæ optimæ respondeat ab omnipotente Deo suppliciter peto: omniumq́; piorũ spei, quam habent de Maiestate tua conceptam, idq́; ad confirmationem & incrementum felicitatis tuæ & istius regni. quòd si mihi benignam audientiam concesseris spero futurũ Dei opt. max. beneficio ut intelligas in hac ipsa obedientia Ecclesiæ consistere & collocatum esse fundamentum & stabilimentum omnium bonorum ipsius regni. Sic igitur rogans omnipotentem Deum ut pro sua infinita misericordia Maiestatem tuam fortunet in ipso imperio, in quo collocauit finem faciam dicendi. è Cœnobio MegaZeni Benaci idibus Sextilis. 1553. At uero quoniam Marchio Albertus iandiu uidebatur optasse Hẽrico Gallorum Regi reconciliari cum esset Schinfordij cum suis copijs, veritus Cæsar sub hoc ipsum tempus ne castra cum Gallo coniungeret; quoniam vel antea bellum Albertus cum Mauritio gerebat, Cæsar Mauritium in Albertum incitauit. atque cum esset Albertus in agro ditioneq́; Norciæ & Bumburgæ multam pecuniam à finitimis urbibus extorsit, obsidesq́; postulauit. mox in Saxoniam summa celeritate proficiscitur ut segetes Mauritij, & Vessonum Du- cis

Mauritius Alberto bellum nũciat Ferdinandi nomine.

uis deuastaret. id cum exercitus Bransuicensis præsensisset, qui Schinfordium in franconia frustra tentauerat Duce Philippo filio, quoniam esset ab Alberto egregie munitum, nullum tempus amittendum ratus cum subiret periculum, in quo patria erat constituta, statim signa conuellit ad profectionem, & ad patriam subleuandam. istud ipsum Mauritij copiæ faciunt, quarum primum imperium post Mauritium Eddecus habebat in castris, atque illæ cum Mauritio Paulo post sunt coniunctæ. ad tertium nouas igitur Iunij Mauritius & Henricus Planius cancellarius Regis Bohemiæ Ferdinandi nomine bellum indixit Alberto: indicendi causas scriptas misit, quibus Albertus cum suis fœderatis communitatis eos rogat ne se desererent, sed omnem fortunam belli secum experirentur. eorum fide iuramento confirmata respondit ei, qui bellum indixerat, ut suo principi nunciaret iam ter datam fidem esse ab eo uiolatam, atque nunc quartam accedere perfidiam: properaret si uellet uires Alberti experiri. tum eum nuntium donatum à se dimittit. interea nũtiatur Noreiæ populos arma in ipsum suscepisse, populabundos omnem eius agrum incursionibus deuastare: quibus nuntijs commotus acerbissimam ultionem minatur, quòd fœdus abruptum esse quereretur per iniurias. tum cœpit quantum posset copiarum colligere. sed cum Mauritius, alijq; proceres armati instarent, coactus est cum paucis uexillis equitum ac peditum Schinfordium se recipere. ibi cum oppidum tãtam multitudinem ferre nõ posset deniq; exire necesse fuit, ac Paulopost collectis multis equitum uexillis & cohortibus Germanici peditatus, cœpit hostem contemnere. cum significatum fuisset Mauritio, quòd noctu egressus esset Albertus statim Schinfordio potiuntur ut ab Alberto deserto, illud flammis absumit, ac diripit. deinde Albertum per uestigia cum sex agminibus confertis equitum & peditatu coniunctõ insectatur tandiu, ut denique superueniens eum conspexerit in edito quodam loco & natura munito consistere, cum Mauritio ac cæteris ducibus castra munire necesse fuerit, diligenterq; obseruare quid consilij Albertus caperet. at ille

Mauritius Schinfordio oppido flãmis absumpto Albertum insectatur.

noctu repente profectus indeq́ elapsus, quòd nondum omnes copiæ Mauritij accessissent, Volchaos oppidum transgressus ad Chitzinghenum oppidum castrametatur in acie in quodam colle peraccommodato. istud ipsum facit Mauritius, ibiq́ opperitur reliquū peditatum, qui Schinfordium diripuerat, qui Paulo post accessit. Albertus cum uniuersas copias Landuerum traduxisset, mox erat ille Payngum adducturus nemore iam præterito. atqui cum angustiæ quædam uiarum essent illi in eo itinere transeundæ, qui erat agger nonnullorum stagnorum, qui erat perangustus, Mauritius factus certior summa diligentia nititur illas angustias praeoccupare: ipsasq́ angustias prior capit. Sic igitur septimo idus Quintilis iter habitus, & Albertus unà oppositus ad latus nemoris cum non amplius duobus millibus passuum distaret. Albertus ubi intelligit angustias fuisse ab hostibus praeoccupatas, locum commodum capit apud nemus, suos in aciem instruit, equitatum & peditatum comparat ad bellum. tormenta opportunè locat. istud ipsum facit Mauritius, suos in agmina distribuit. sed quia peditatus Paulo tardior accederet propter impedimenta tormentorum, missi sunt qui instarent, ut coniunctis totis uiribus dimicaretur. cum utraque acies paratæ essent ad bellum, uentusq́ secundus esset Alberto, qui etiam nonnihil fauet in prælijs, & collem qui forte aderat in planitie Albertus occupasset, cœpta sunt utrinque tormenta displodi, at sine magno damno utriusque exercitus. atqui Alberti equitatus etsi inferior Mauritij equitatu uidebatur, tamen erat omni genere apparatus instructus, cum ad decem & octo egregia haberet uexilla: peditatu certe multò erat superior. acies paulatim propinquant, atque repente atrocissimum initur prælium. certatur utrinque magna uirtute & alacritate. dum ita certatur Albertus iubet præstantiores è suo equitatu quatuor uexilla cataphractorum Mauritij inuadere, quod factum est utrisque propinquantibus, ut lanceas infringere propter angustias & inopiam spatij non possent. certatur Sclopettis, magno animo, singulari uirtute, incredibili alacritate. Albertus postea cum pluribus

Atrox prælium inter Alberti & Mauritii copias.

pluribus è partibus inuaderetur magna suorum clade debilitatus denique cogitur fuga sibi salutem quærere, atque cum octo equitibus tantùm aufugiens profligatus suos; & tormenta, apparatus, impedimenta arbitrio hostium relinquit: quod bellum mane initum ad noctem propè perdurauit. commissumq́; est in planitie quæ inter principatum Bransuiccensem & caucos populos interiacet, in quo capta sunt quinquaginta & quatuor vexilla peditum, & quindecim equitum; cecideruntq́; ad quatuor equorum millia, pedites complures. Proceres mortui & capti. *capti ex Alberti proceribus Regulas Varembergensis, & Nicolaus Berneus, at cæsi multi. è Maurij proceribus desideratus est Carolus Victorius & Philippus Magnus fratres Duces Vessonum, aliiq́; complures proceres. ex Alberti copijs propter nemorum propinquorum frequentiam, & noctis aduentum nonnulla vexilla sunt seruata.* Mauritii mors. *at Mauritius ipse glande transfixus in ea pugna postero die naturæ cō cessit. nec defuerunt qui crediderint Mauritium non ab hostibus quidem transfixum fuisse, sed à quodam suorum familiarium, in quem superioribus temporibus honorem contaminauerat, cum is ultionem in opportunum tempus distulisset.* Hipporegiam urbē Galli in Italia capiunt. *quo fere tempore Hipporegiã urbem à Cæsarianis multa diligentia munitã in Italia in ripa Durice fluminis Galli repente adorti capiunt; quæ uidebatur fore maxime utilis & ad ingressum liberum in Italiam peraccommodata. Maria Britanniæ Regina interea cum literas Cardinalis Poli perlegisset, gratissimum nuntium accepit, antistitem eius prudentia & integritatis ad se mitti, cuius ingenio mirificè delectaretur; quare literas huiusmodi ad eum perscribit.*

Mariæ Britanniæ Reginæ literæ ad Card. Polum. *Optime Sobrine Pole, in Christo obseruandissime accepi literas tuas, quas tuus familiaris mihi reddidit, ex quibus intellexi perpetuam tuam optimam uoluntatem erga hoc regnum patriã tuam nimirum, & erga legitimos hæredes, cum summa lætitiæ significatione ob ea quæ placuerunt diuinæ clementiæ omnipotētis Dei in ostendēda sua erga me uera, iustissima & infinita misericordia: propter quam me tibi etiam non parum debere sentio, cum monitus amantissimos præterea in*

literis

literis addideris. Quòd si nullum naturæ uinculum inter nos intercederet, quod certè maximum intercedit, tamen uel hac una de causa maximas tibi deberem gratias, quòd me tam amanter monueris. atque ego dabo operam pro uiribus ut monitis tuis satisfaciam: quippe cum neque unquam fuerim, nec sim, neque ut diuinæ misericordiæ confido, unquã futura sim catholicæ adhortationi in tuis literis contentæ aduersaria. Quod attinet ad meam obedientiam, & debitam obseruantiam erga sponsam Christi, & matrẽ diuinam suam catholicam & apostolicã Ecclesiam, harum literarum lator poterit te cõmode docere. is enim poterit explanare quãta sit animi mei molestia propterea quòd non possim animi mei sententiã in hac re prorsus patefacere. sed cum primum data erit facultas sinceritatis animi mei erga diuinũ cultum explicãdæ, obedientiæq; quid sentiã exequendæ, faciam te per literas certiorem. Quod spectat ad coronationem, idẽ nuntius omnia planè explicare poterit, multaq; alia, quibus illũ adesse uolui; cũ mirificè omnipotentis Dei misericordiæ confidam futurum ut hæc comitia omnia statuta abroget, unde omnium calamitatũ huius regni semina pullularunt. spero autem futurum ut delictorum ueniam à summi Põtificis clementia obtineam, cui te rogo ut meo nomine humilissime gratias agas pro sua multiplici in me bonitate, ut in eadem persistat clementia, omnemq; præteritorum cõmissorum obliuionem concedat. Hunc igitur remitto spe postulationis non irritæ futuræ opera tua, quã do tantum beneuolentiæ & fraternæ charitatis mihi pignus obtulisti. me itaque plurimum Sancto Patri ac tibi commendans finem facio dicendi. Vuestmonasterio Sexto idus Octobris anno 1553. Enimuero Henrico Galliarum Regi quoniam parum feliciter hoc anno res in Gallia & in Belgio successerant visum est non pessimè consultum fore suis rebus si uires Cæsarianæ ad Italicum Belgicumq; bellum uno tempore distraherentur. statuit igitur in annum sequentem pluribus in locis Cæsarem uexare, quod quidem erat ad militaria consilia, & ad omnem bellicam rationem peraccommodatum. nam cum multò maioribus sumptibus oppugnentur urbes

Henrici cõsilium ad distrahendas uires Cæsarianas.

quàm defendantur, videbatur futurum esse ut Cæsar in Belgarum, subalpinæ, Galliæ, Tusciæq; finibus bellum gerere, & copias magnas comparare ubique coactus uix posset uno tempore tot sumptibus, tot curis, tot sollicitudinibus sufficere. cum præsertim maritima loca essent eo anno firmissimis præsidijs munienda, quòd in uer proximum maxima classis Byzantij instruebatur: ad illud consilium videbantur inuitare Senensium animi aduersus Cosmum Heturiæ Principis inflammati, quoniam is contra Senensium libertatem apparuerat Cæsarianis partibus fauisse in superioribus bellis. Henricus eo consilio Petrum Strozzam summum Ducem cum potestate Proregia mittit in Italiam, qui præesset omnibus regijs copijs, ac magnum peditum & equitum numerum in Italia undiq; acciret. magnas etiam copias promittit se è Gallia in proximam æstatem in Italiam missurum. Iubet Leonem fratrem sibi reconciliare, ad quem etiam ipse Rex literas sua manu exarauit; qua Regia humanitate permotus Leo etsi non mediocriter abalienatus fuerat, omnino Gallo Regi seruire & militare decernit. Petrus rebus cum fratre compositis ad urbem Mirandulam conuolat ad res bellicas in uer proximum clam comparandas. Mox circiter nonas nouembris Senam peruenit, de rebus apparatuq; bellico multa communicat cum Cardinale Ferrariensi, cui tota ratio de colligendis copijs, conscribendisq; cohortibus minime probatur, ne in suspicionem inferendi belli Hetruriæ Principem adducerent: quem maximè suspicaturum existimabat cum inimicissimus ac sempiternus hostis Medicea familiæ cũ potestate propè Regia uenisset in Italiam si statim arma moueri sensisset, neque tamen pateret aduersus quem mouerentur. Erat sanè Petrus Strozza uir elato ardentiq; animo, & optimis literis exculto; quæ cognitio si cum naturali iudicio coniungatur, utilissima est summis Imperatoribus, ad omnia pericula intrepidus, uigiliarum, laborum, inediæ patientissimus: erga milites benignus, humanus, munificus; corpore robusto, & grandi statura. Sederat aliquando infrænis, & supra modum contemptor periculorum, multoq; minus

Petrus Strozza ab Henrico mittitur, prorex in Italiam.

Petri Strozzæ simulacrum.

nus quàm summo Imperatori conueniat fortunatus: quam tamen nulla humana industria sibi potest comparare. Hunc accusant nonnulli, quia temeritatis & iuuenilis audaciæ potius facinora, quàm maturæ prudentiæ aliquando sit aggressus. Atqui cum in rebus omnibus errare & labi miserum & turpe sit, in disciplina req; militari certè non solùm labi turpe est & calamitosum pluribus, uerumetiam turpe est aliquid frustra & cum periculo conari: quia semper agitur si nō de uita, at certe de amplianda aut minuenda existimatione Imperatoris; in qua magna pars rei bellicæ est collocanda. Strozza igitur impatiens ocij, rerumq; nouarum cupidus; & patriæ ut prædicabat in pristinam libertatem uendicandæ, Regiorum mandatorum memor tribunos, ueteranos cohortiū Duces, signiferos, & quos huic negotio accommodatos esse existimat; Romam, in agrum Picenum, in Castrensem, in Galliam togatam, in Vmbriam, & in omnia Præcotinorum oppida centuriones dimittit, qui cohortes conscribant. Huius expeditionis rumor non parum perpulit Mediceum Principem ut rebus suis putaret maturè consulendum: idcirco cum præstare putaret in hostium regione, quàm in sua belligerari propter ea multa damna, quæ ab hostilibus copijs inferuntur, literas dedit ad Iulium tertium Pont. Max. & ad Cæsarem; quibus significabat Regem Galliarum communibus auxilijs ex Hetruria esse eyciendum. non esse ferendum tam potētem Regem uicinū, unde si diutius inueterarit videatur manifestum periculum captiuitatis Thusciæ, & postea breui toti Italiæ imminere. Vt autem alacriori animo sibi mitterentur subsidia, causas & commoda annectit: Pontifici promittit post Senam victam se filiam Fabianino Montio nepoti Pontificis in matrimonium daturum cum satis ampla dote. Cæsari præter annuum Senæ tributum certum pecuniæ numerum quotannis se numeraturum pollicetur pro sumptibus qui in eo bello facti fuerint. Proponit Galli Regis hostis propinquitatem. iam satis per se inflammatum in Senenses communes hostes animum Cæsaris incitat. Proponit opportunitatem locorum ad totius Italiæ infestandam tranquillitatem

Hetruriæ principis literæ ad Iu. Pont. Max. & Cæsarē.

accommodatorum; cum maritimas vrbes & portus habeant Senenses in medio propè Cæsariani Imperij in Italia, oppidaq́; natura & arte munitissima: Quæ donec ab acerrimis hostibus Imperij posidebuntur, plurimum poterunt res Italas, Brutias scilicet & Siculas & Salentinas perturbare, totamq́; Hetruriam perpetuis vexare incursionibus. His rationibus commoti Principes ita res inter se sanctiunt ac stabiliunt: deinde Cæsaris arbitrio Iacobus Medices Marchio Mariniani, quod oppidum est in insubrum finibus, huic negotio cum summo Imperio rei militaris præficitur. Erat hic Iacobus vir acri promptoq́; ingenio, & in omni re militari per multos annos exercitatissimus. in negotijs consideratus & prudens; & quod caput est, maximeq́; prodest in omnibus bellicis negotijs fortunatissimus: quem non amplitudo diuitiarum non splendor sanguinis, non auita autoritas ad summam dignitatem existimationemq́; prouexerat: sed spectata sæpius inter bonos Duces virtus, & mira in omnibus negotijs astutia & calliditas. Hunc nisi eximia auaritia omnium clarissimorum ingeniorum, & militaribus rebus præfectorum præcipue grauissima aduersaria sæpe obstrinxisset, facile omnium Imperatorum qui nostris temporibus floruerūt, Principem dixerim: quod quidem affirmare possem, cum familiariter cum eo domi ac belli versatus sim. Marinianius itaque Cæsaris iussu Florentiam profectus nihil antiquius habuit, vbi sua consilia cum Cosmo Principe communicasset, quàm vt per exploratores diligentissimè inuestigaret, & aucuparetur omnia Senensium Strozzæq́;, & consilia & apparatus: existimabatq́; nulli sumptui esse parcendum qui quidem ad explorandi diligentiam celeritatemq́; pertineret. Nā profectò cæteris omnibus dormientibus ipse vigil cum puero sæpius per obscurissimā noctē exploratores per posticum quoddam intra domum admittebat, dimissoq́; prius uel ipso puero nemine prorsus sentiente diligenter omnia sciscitabatur, atque ita rebus quæ Senæ agebātur cognitis clam emittebat; neque patiebatur omnino per lucem intra mœnia Florentina exploratorem cuius opera esset vsurus, conspici. Sic fiebat ut quo-

Iacobus Medicus Marinian. in Italia copiis præficitur.

Iacobi Mariniani imago, & fortuna.

Marinianii prouidentia.

quotidie nouis accedentibus exploratoribus, quæ munitiones Senæ struerẽtur, qui Duces cohortium aut tribuni essent cum Strozza, quid Senæ omnino ageretur, intelligeretur ad unguem. ipse Marinianius interim centuriones aduocare, tribunos mittere qui clam milites ad signa uocarent, Hispanos è præsidijs finitimorum locorum Florentiam aduocare, rusticas copias conscriptas censere uti mos erat singulis mensibus ac iubere inermes arma parare cœpit: cum etiam negligentioribus in parandis armis pœnæ sint impositæ. Enimuero multa fuerunt, quæ Mariniano Victoriam pollicebantur, sed præter cætera, insignis Senensium negligentia & cunctatio & tarditas; cum illi contrà quid fieret Florentiæ, qui Duces, quæ arma, qui apparatus minime scire curarent; neque exploratores haberẽt, qui istud ipsum Senam deferrent. erat præter cætera, illud etiam, quod Marinianium perpulerat ad propè certam spem Victoriæ & urbis Senæ capiendæ; quòd mœnia à Thermeo in debilioribus urbis partibus incæpta restaurari, nondum erant absoluta, & quòd munitio ad portam chamoliam ex ea parte quæ urbem spectabat interius non erat erecta. Quippe uisi sunt Senenses rebus semel compositis existimasse impetum vel Florentinorum, vel aliorum hostium repentinos minime esse metuendos: sed preclare illud à Platone dictum non solùm potest ad mores hominum transferri; verumetiam ad res bellicas utilissime accommodari; qui iubebat Deos tunc maximè per pietatem & munera colendos esse, cum res maximè feliciter succedunt, ut illis placatioribus & benignioribus utamur si quæ res aduersæ contigerint. Sic igitur urbes & oppida commodius & diligentius muniri possunt per ocium & pacem, quibus firmioribus postea propugnaculis utamur, si bellum sit illatum: cum etiam multò ualidiores sint antiquæ, & quæ aliquantulum inueterarint, quàm recentes munitiones. Est autem maximum, nescio rei ne militaris, an negligentiæ argumentum appellem munitionem incæptam relinquere, uel absolutã ita nudatam præsidijs deserere, ut facile possit ab hostibus capi & perfici, quæ post modo perfecta in pernitiem & in seruitu

Senensium negligentia.

tem ſui domini inſurgat. Erat munitio illa adeo ſublimis extructa aduerſus uenientes ex agro Florentino, ut uix ullæ ſcalæ ſummam oram poſſent attingere, cum foſſa profundè ducta eſſet perpetua ad radicem munitionis ſatis lata. habebat ea munitio longitudinem trecentorum ferè pedum, latitudinem ad octoginta: reparationes continuas in labris ſuperioribus ita latas & altas ut ſtantium in acie neque ſummæ quidē criſtæ galearum exterius conſpicerentur: cum plateæ interior eſſet depreſſa, at ita tamen parata ut aquæ pluuiales facile defluerent. in hanc munitionem ibatur per portā urbis exeuntibus, inter quam & urbem foſſa urbis tantum non ualde profunda & ſicca. atque munitio alteram portam habebat quæ in urbem, alteram è regione quæ emitteret in agrum Florentinum. Senenſes Thermei mandati immemores, qui aduentu Strozzæ ex Italia exceſſerat ab Henrico accerſitus, ut munitionem omnino abſoluerent & præſidijs firmarent, nō

Marinianii ſt[r]atagema.

modo imperfectam, ſed etiam incuſtoditam relinquebant. De his omnibus factus certior per exploratores Marinianius ne quis rurſus quæ fierent Florentiæ ſub tempus exeundi ſignificaret, & ne res noua cuipiam uideretur, tale quoddam facinus commentus eſt. cum accideret Florentiæ ut aliquis telū ſtrinxiſſet, aut quempiam uulneraſſet, quod quidem mariniani iuſſu fiebat aliquan[illegible] & coniuncto, tormentum bellicum diſplodere mos erat: quo bombo audito ſtatim omnes portæ Florentiæ claudebantur, neque prius aperiebantur quam facinoris autor fuiſſet inuentus. fiebat aliquando ut uel per totum diem portæ eſſent clauſæ, quare huic rei iam ita aſſue[illegible] animi ciuium & accolarum, ut non amplius rēs noua ſed [illegible] & patria uideretur. ea dum parantur in Italia utrinque ad futurum bellum Cæſar cognita coronatione Ma

Cæſar quęrit reginã Britanniæ ſibi nurũ adiungere per Cardi Polum.

riæ Reginæ Britanniæ è ueſtigio concepit in animo optimè conſultum fore ſuis rebus ſi illam Philippo Hiſpaniarum Principi in matrimonio collocaſſet; quare certiorem facit Card. Polum ſibi gratiſſimum fore, ſi quanta poſſet celeritate Bruxellas aduolaret, ad quem Regina iam literas dederat. Polus longiſſimis uſus itineribus legatus à Pontifice, vt diximus, delectus

lectus ad res spectantes ad religionem in Britannia cōponendas, eò primum ad Cæsarem proficiscitur; cum quo actum est quo pacto nuptiæ pertractarentur. atque dum Bruxellis Polus moratur cognita per nuntios Mariæ Reginæ religione & pietate literas primum ad eam perscripsit, quibus hortabatur ad extirpandam illam impietatem, adulterinamq́; religionem, quæ paucorū uitio in animis multorum insederat, ut ad obedientiam sedis apostolicæ, auitumq́; cultum redirent incolæ eius Regni. Hisce delectata est literis Regina, ut non modo rem ad optimum finem perducere cogitarit, uerum etiam Cardinalem ipsum ad patrios lares, ad antiquos redditus & census ultro inuitauerit, & ad omnes pristinos honores. legationes præterea misit Romam de obedientia præstanda, & de optimo populorum animo erga Romanam catholicam ecclesiam; cum omnes ad pristinum cultum libentißimè redirent. ea de re tanquam de amissa seu nuper inuenta permulta lætitiæ signa edita sunt Romæ. Maria iam quadragesimum ætatis annum agebat, quo tempore de eius nuptijs agebatur: Sed multæ difficultatis in ea re oriebantur; quia principes eius insulæ uidebantur ægrè laturi si quis inde oriundus, ac cæteris par hactenus dignitate, Rex esset futurus. alijs videbatur futurum perindignum, si quis Rex externus fuisset ad imperium eius insulæ admissus, qui apparebat non paterna charitate rebus præfuturus, sed potius usurus seueritate quadam in omnes, & crudelitate tyrannidi non absimili; quippe cuius illud regnum non esset patrimonium. alij contrà Hispaniæ principem Regem optabant, neque solùm propter eius principis bonitatem, sed etiā quia coniunctis Hispaniæ uiribus futurum uidebatur ut bellū aduersus Gallos facilius sustineretur, atque Scotia quæ tenebatur ab Henrico Rege Britanniæ Imperio denuo adiūgeretur, ac Normania olim eiusdem Regni & ditionis. His accedebat uicinitas locorū quæ foret negotiationibus & populis utriusque regni peraccommodata. pluribus igitur rationibus effectum est ut à Cæsare & Polo Cardi. sollicitabatur; & præcipuè quia hac una ratione uidebatur futurum ut pax eius

Regni

Hiſpaniæ & Aragonum, at quod reliquum fuerit ſuper Ambiuaritorum, Belgarum, Batauorumq́ regionibus, atq; alijs urbibus patrimonij Cæſaris: qui numerus prius aſſigna tus fuerat Margaritæ Britannæ cum Dux ſequanorum eam uiduam reliquiſſet. Vt ſi qui filij naſcerentur, ad eos iure hæ reditario regnũ perueniat uti decernitur inſtitutis, legibusq; & moribus Britanniæ, & omnia quæ ſunt materni iuris. Vt carolo infanti Hiſpaniarum, eiusq́ tam fœminis, quàm mari bus ſucceſſoribus, detur ſucceſſio omnium regnorum & ratio num quæ ad eos pertinebunt tam auiæ quàm Cæſaris patris, Hiſpaniarum ſcilicet, Siciliæ, Neapolitani regni & ſiculi, & principatus inſubriæ, aliarumq́ ditionum & iurium quæ habet in Italia; ea tamen conditione ut ſi Carolus deceſ-ſerit ſine filiis, qui natus eſſet primogenitus ex hoc matrimo nio in eius locum ſubrogetur. ut idem primogenitus in omnes principatus ſuccedat paternos tam Sequanorum iure quàm inferioris Germaniæ. Vt ſiquis filius ex hoc matrimonio ſu-perfuerit poſt Carolum & ſucceſſores, eo caſu Carolus & illi excluſi intelligantur ab omni Sequanorum & inferioris Ger maniæ Imperio, quod ad harum nuptiarum primogenitum ſpectet, cæteris iuſta portione, ac fœminis conueniente dote aſſignata in Sequanorum, inferioris Germaniæ, & Britan-niæ regionibus aſſignanda. quibus additum eſt ne primoge-nitus ad regna Hiſpaniarum præterea aſpiret, aut alia præ-dicta; niſi ab auo aut à patre ſibi ultro relicta fuerint. Quòd ſi fœminæ tantũ naſcantur, primogenita ſuccedat in omnia iura inferioris Germaniæ, ſi Britanno aut Germano Princi-pi nupſerit aſſentiente Carolo fratre. Quodſi recuſauerit, Sequanorum ac reliquarum regionum iure cadat, quod li-berum ad Carolum & ad eius ſucceſſores deuoluatur: ita ta men ut illi, ac cæteris ſororibus, ſi quæ naſcentur pro ip-ſarum regionum conſuetudine conueniens aſſignetur. ſin Carolus ſine filijs deceſſerit, illi ſuccedat primogenita non ſo-lum in principatus Sequanorum & inferioris Germaniæ, ſed etiam in Britanniæ & Hiſpaniæ regna. Vt quicunque ſucceſ ſerit, omnibus Reginis urbes, imperia, leges, mores, inſti-

tuta; quorum administrationi & gubernationi indigenas ciues præficiunt: quoniam hæc omnia spectarent ad concordiam, & ad regnorum ipsorum conseruationem. Vt Princeps vel ante matrimonium ad rerum domesticarum gubernationem aptum Britannorum numerum admittat; ne insulanis hominibus ulla fiat ab exteris iniuria. Vt nemini extero munia Britanniæ concedantur. Ne regina cogatur inuita exire è Britannia. Ne filij si qui nascentur, cogerentur exire nisi summa necessitate compulsi, idq; assentientibus Britannis. Si regina sine filijs decesserit, ne Princeps ullum ius habeat in Britanniam, sed pro legibus succedatur. Ne Princeps quidpiam innouet in eo regno; & ne Thesaurum aut gemmas auferat, aut efferri patiatur. Ne auferantur bellica tormenta, uel reliqua spectantia ad usum bellorum; sed pro uirili nitatur munitiones tueri & regnum defendere: ne illud regnum illis bellis implicetur, quæ geruntur à Cæsare aduersus Henricum Gallorum Regem. Vt Princeps curaret pacem inter Henricum, & ipsam Reginam compositam conseruari: at cæteris regnis paternis pro arbitrio uteretur ad paternam defensionem. quibus rebus ita stabilitis reliquum erat ut Princeps in Britanniam ad nouam sponsam nauigaret: quod facere summa celeritate à Cæsare iussus est Philippus. Hæc ubi nuntiata sunt inter Britannos proceres multi grauiter ferunt atque inuicem conqueruntur sibi externos Principes præferri cum bellorum sumptus & molestiæ sibi subeundæ sint ad regni defensionem, at ubi dignitatis gradus aliquis insignis sit oblatus fortuna neminem posse admitti. aut euertendam esse prorsus eam patriam, aut penitus deserendam, quæ suos ciues odio habeat, & in qua natis esse suis ciuibus sit pernitiosum, cum prorsus digna sit odio & uindicta numinis. uel reseruandam & retinendam existimationem Britannicam, vel fortiter cadendum; neque ferendum ut cogantur exteris regibus dari in seruitutem. præstare Ioannæ regnum deferri per quam libertatem existimationemq; retinerent; quàm ita miserè simulatione religionis opprimi. His, alijsq; compluribus rationibus ad coniurationem clam conspirant,

Coniuratio Britannica ad impediendas Reginæ nuptias.

rant, & ad eas nuptias impediendas. coniurationis Principes fuerunt Suffolchius Regulus, Thomas Huuiettus, Petrus Carrus præcipuè autoritate ac potentia præstantes, qui conuocatis sæpius ad clandestina concilia multis ex proceribus in domum Reguli in eam sententiam conueniunt, ut fierent occulti apparatus, at res ipsa in aduentum usque Hispani Principis occultaretur. Carrus ut ad omnem opportunitatem esset paratior ad vrbem Cornubiorum se contulit: atque cum esset parum prudens ob nimium rerum nouarum desiderium immaturè & ante expectandam opportunitatem tumultuari cœpit, atque ea de re à Regina accersitus aufugit in Galiam. Huuiettus ueritus sua consilia decernit ante quam ad cædem protraheretur, uel contra ipsius Reguli consilium arma capere, statuitq; copias quam maximas in regione Chemptonica colligere, atque omnes quotquot posset ad defectionem sollicitare. Inde magnis uiribus auxiliisq; amicorum adiutus repente Lōdinum uersus iter facit, vt coniunctis etiam Reguli copiis eam vrbem ad defectionem deditionemq; compelleret, ne Regina nuberet externo Principi, sed alicui indigenæ & Britannico marito. Maria quòd sciret eas copias Londinum uersus iter cepisse, uerita nequid detrimenti ex ea re caperet, cum sibi persuaderet neminem aptiorem Imperatorem Suffolchio posse his tumultibus opponi cum rei militaris proregio Imperio, iubet Suffolchium ad se accersiri, ut ille sua prudentia & uirtute tantum incendiū bellorum, quantum parabatur extingueret. Sed enim magna est uis, grauis aculeus, acerrimus, conscientiæ stimulus, quæ semper uerum rectorum aut improborum facinorum familiare habet testimonium, & illud quidem omnibus hominum dictis urgentius: quare Regulus ille sua consilia detecta esse metuens cum ducentis equitibus Londino egressus in Varoichiam regionem se recipit; ibiq; pluribus auctus uiribus studet aliqua munitione potiri. sed illud frustra tentatur, quia Maria statim initio eius fugæ omnium urbium munitionumq; præfectos per literas monuit, ne illum intra urbes admitterent. at Regulus, cum ita illum spes fefellisset,

Coniurationi Principes.

Suffolchius ex cõiuratis unus captiuus fit.

nemoq́ pro illo arma capesseret, iam latebras ad incolumitatem quærens in Galliam ad Petrum carrum aufugere decernit. Sed & huic consilio fortuna Reguli repugnauit, quippe quòd Regina Nutetonium comitem cum satis ualida manu peditatus ac equitatu miserit ad eum regulum insequendum. ille certior factus de reginæ consilio cum nullibi sibi patere exitum aut latebras uideret, quòd illi uel alijs de causis comes esset infensus, pecunia, quam multam habebat, suis distributa iubet suos propriæ quenque consulere saluti, seq́ ad meliorem opportunitatem reseruare. ipse ad quendam è suis colonis accedit, rogat suppliciter, ut se protegeret atque occultaret; addit precibus munera, & opulenta ingentiaq́ promissa. Hunc colonus in desertum locum adductum intra uentrosam quercum occultat. Sed colonus postea auditis edictis regijs promulgatis, cum cognouisset quæ supplicia occultantibus, quæ præmia & largitiones indicantibus eum uiuum proponebantur. malluit tuta præmia deuitatis supplicijs uel cum aliqua perfidia, quàm cum capitis periculo incertas sequi pollicitationes, ac datam fidem seruare. Rem totam itaque defert ad comitem. cum Regulus biduum inediam passus esset à colono destitutus fame coactus est exire ex arbore, cum frigoris etiam asperitatem & magnitudinem ferre non posset. atque uix cibo igneq́ refectus captiuus fit, Londinumq́ adducitur. Regina Norfolchium cum iustis copijs, & non contemnenda tormentorum apparatuumq́ copia mittit aduersus Huuiettum, qui non procul à Corinio castrametatur in conspectu hostium. Huuietti copiæ ubi in acie ad pugnam instructæ constitissent, Norfolchij exercitus in castra hostium turpiter transfugit; quare & tormenta & apparatus omnes in potestatẽ Huuietti uenerunt. captus est & Norfolchius cũ nulla uia patuisset ad fugam. Hic ubi rogaretur ut Huuietti partes amplectaretur pro dignitate libertateq́ Britãnica aduersus exteros Principes; ꝙ illa arma non aduersus Reginã, sed aduersus exteros qui patriã, qui reginã, qui regnũ, qui ciues essent oppressuri forent parata: omnes huiusmodi preces & adhortationes renuit. ac paulopost libertatẽ consecutus, totũ hostium

Norfolchius ad hostem trãsfugit, & Reginæ cõsilium aperit Huuietto.

stiũ cõsiliũ rerũ præteritarũ successum Reginæ aperit. Huuiettus his felicibus rerũ successibus Londinum uersus iter capit cum quinque millibus peditum, equitibus circiter quadringentis; fore enim putabat ut cum primùm urbi sese armatus ostentasset ciues amici arma caperent, cum multos se habere arbitraretur, atque ita tumultibus ubique surgentibus Hispaniarum principis nuptiæ impedirentur. Regina tunc inermis ad quingentos tumultuarios pedites exteros, totidemq́; equites colligit; deinde conuocato populo ciuitatis causas aperit, quibus adducta sit ad nuptias Philippi Principis. ostendit in his nuptijs propter eius Principis existimationem & potentiam constitutam esse tranquillitatem & defensionem eius regni. maxime necessariam fuisse huius Principis tutelam ad retinendam & reuocandam religionem, quæ primariorum uitio iam multos annos coacta fuerat solum uertere; quippe cum uulgus & magna pars nobilium catholici essent, neque vnquam scelesta dogmata hæreticorum fuissent complexi. rogat ut arma aduersus rebelles ciues ad tuendam urbem salutemq́; propriam capesserent. his Reginæ adhortationibus commotus populus Londini consistit in acie, portas urbis claudit, omnia necessaria ad bellum parat: quæ cum intelligeret Huuietus, neque posset urbem ingredi, nisi Tamesim fluuium traiecisset, qui omnium Britannicorum fluuiorum maximus & amplissimus è mõtibus Londino propinquioribus ortus per urbem Londinum defluit & non procul à cantio promontorio irrumpit in oceanum. Huuiettus ubi Londino propinquasset primum precibus ingressum tentat; sed cũ irritæ fuissent, addit precibus largitiones, & ingentes pollicitationes munerum; quæ cum uanæ & ipsæ fuissent discedit ad duodecim millia passuum, ut aliam partem urbis tentaret; ibi quoque frustra porta Vasmestrensi tentata, cum se non ad opprimendos, sed ad defendendos ciues ab exterorum Imperio & tyrannide accessisse diceret, ne uenirent in perpetuam seruitutem coactus est abscedere re infecta à præsidiarijs militibus. cum postea in prato non procul ab urbe, copias reliquisset, ipseq́; cum urbanis uerbis contenderet, comes Pembru-

Huuiettus Londinum cum copiis contendit.

Huuiettus a Pembruchio profligatus capitur.

Pembruchius temporis opportunitatem non omittendam ratus cum expedita manu peditum, & ualido equitatu ab alia urbis parte egressus in copias Huuietti repente impetum facit. illæ repentino hostium aduentu territæ facile cedunt cum carerent etiam præfecto, atque in fugam uersæ cum nemo ad signa militaremq́; ordinem reuocaret, fusim cæduntur. multi ceciderunt, alij uulnerati, alij capti. Cortinus equitatui regio præfectus audita hostium strage, qui prius ueritus numerum equitum Huuietti à pugna abstinuerat, in equitatum repente magnam facit impreßionem, paucisq́; è suis amißis Huuiettum, & multos primarios capit. Huuiettus statim adductus est in arcem. eò cum multi hortarentur Reginam se recipere, renuit omnino, quia iam sæpius esset experta firmißimam principum ac tutißimum omnium arcem & tutelam solam esse populorum beneuolentiam, qui hostes captiuos sibi in custodias tradidissent. cæsis ac dißipatis copijs rebellium, ad causam Reguli, & Huuieti, cæterorum & coniuratorum deuenitur. atque post multas fallacias accusationum, cum ab Huuietto innocentes Cortinus & Helisabeta coniurationis & perduellionis rei pronuntiarentur, Regulus & Huuiettus capitis condemnantur. Sed quoniam multi vbique rebelles necabantur impendio Londini, eratq́; propius periculo ne tota urbs colonis priuaretur, Regina clementia & humanitate placare illorum animos nititur, quos grauitate magnitudineq́; suppliciorum deterrere non poterat. uetat ullam haberi quæstionem, nullas accusationes admittit, captiuos liberat, à supplicijs abstinet. capti sunt tamen nonnulli, inter quos fuit Ioanna, quæ etsi neque à patre, neque nuper à ciuibus se conclamari reginam curauerat, tamen cum suo marito innocenti innocens in uincula conijcitur, & paulopost capitis condemnatur. atque ea ut quæ Græcarum latinarumq́; literarum esset egregiè perita, uniuersæ causæ suæ seriem apologiamq́; conscribit, in qua patefacit se per aliorum libidinem dominandi, omnium prorsus quæ gerebantur aut insciam aut minime assentientem, in eas ærumnas impulsam esse: cum tamen neque

Ioanna nobilissima & maritus eius capiti capitis damnātur.

diuina

diuina neque humana iura filiam ferre iniquitatem patris iubeant. his addit sibi nihil formidabile contigisse, cum omnibus statutum sit semel mori; in corpus tantum posse regum indignationem sæuire, at animam ab omni mortalium tyrãnide & crudelitate, & Imperio esse immunem, cuius uera & legitima causæ cognitio soli Deo sit reseruata; qui potest unus & præmia pro uirtutibus, & pro sceleribus & proditionibus condigna iustissimaq; supplicia exhibere. illam cum maritus uisendam curaret sub tempus cædis, abnuit omnino quòd illud minime conferret ad animarum salutem, & præsentem calamitatem adaugeret. scripsit etiam grauissimas sententias; quarum latina ita sese habebat; si iustitia humana ius habet in meum corpus, anima ius inueniet certè in Dei misericordia. alia Græce scripta fuit, cuius se habebat ratio; mors pœnam errorum corpori, at anima in conspectu Dei suam innocentiam proferet. tertia Britannica lingua conscripta significabat, errorem dignum esse morte, sed modum inscitiæ apud homines & leges misericordiam excusationemq; mereri: post huiusmodi scripta ad locum suppliciorum adducta intrepide caput carnifici cædendum obiecit, quod curauit ut compositis capillis comptum abscinderetur. atque huius innocentis virginis cædes non mediocrem crudelitatis notam apud omnes insulanos inussit Mariæ, & Britannicis magistratibus.

Ioannæ cõstantia usque ad ultimam supplicii cędé

NATALIS

NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER OCTAVVS.



VM fortunæ inconstantia rerumq; humanarum uolubilitas ita modo hos tollit ad summum dignitatis gradũ, modo illos ex altissimo ad imum præcipitat in insula Britannia; neque Italiæ quidem tranquillitatem patitur esse diuturnam. Nam Iacobus Marchio Marinianius, quem sub finem anni præteriti res ad bellum procurasse docuimus, ne ab hostibus præueniretur ad tertium idus Ianuarij, ubi tempus exeundi ad eam expeditionem opportunum uisum est, clam instructis nonnullis Hispanorum cohortibus cum portæ urbis Florentiæ per triduum fuissent clausæ, nihil noui accolis aut Senensibus propter iam inueteratam ut dixi consuetudinem suspicantibus, antequam illucesceret, dormientibus ac denique Florentinis quidem ciuibus quidquam sentientibus, exit cum ipsis copijs. Sed antequam ipse egrederetur præfectis earum cohortium septus milites singulatim cum centurionibus inspicit in limine ciuitatis, nequis exiret explorator pro milite. Neminem præter Hispanos ac suos familiares exire patitur. iubet per totum diem portas urbis esse clausas. imperat delectum agrestium Senam uersus iter capere. Rodulphus Baleonus qui summum habebat equitatus Imperium in ea expeditione egressis Hispanis præcedens cum expeditissimo agmine equitum omnes in itinere inuentos capit, nequis has copias accedere, aut conatus Cæsarianorum Senensibus significaret. Dum hi Senam difficillimis ac lubricis itineribus propter re-

Marinianii solertia in Senam inuadẽdam.

centes pluuias locaq; cænosa ægrè adproperant, aliæ conscriptorum Germanorum Italorumq; cohortes unà iter è diuersis præsidijs capiunt; quæ uno nuntio omnes ad statutum tempus ad Senam cum Marinianio adesse iussæ fuerant. circiter idus Ianuarij tertia ferè uigilia Cæsariani ex eà parte qua imperfecta erat aduersus urbem per fossas ipsius urbis munitionem ingrediuntur à paucis & satis negligenter custoditam: quare commisso leui prælio facile repulsis qui aderant, illa potiuntur. ingressus patuisset in urbem etiam eàdem nocte, atque una hora totum propè bellum fuisset absolutum, cardinalemq; nihil tale suspicantem Marinianius repente oppressisset, nisi Laurenti castilionei spectata uirtus & singularis uigilantia, qui pernoctabat in statione, portam occlusisset; quamuis difficultate itineris Cæsariani defessi essent & semianimes. audito leui certamine cum non plures triginta militibus munitionem Chamoliæ custodirent, Hispaniq; ducenti, aut certè non multo plures ad eam occupandam præcurrissent, magna orta est Senæ trepidatio, & ad arma ubique conclamatur. atqui nisi Cardinalis aliquam subesse coniurationem ac proditionem ratus Senensium animos atque impetum repressisset, uel ut uerius dicam, si fortuna urbis Senensis ita tulisset ut illa libertate diutius abuteretur, facillime Senenses eadem nocte armati paruas hostium copias, & diuturno labore difficilis itineris defatigatas intra ipsam munitionem cum ipso Marinianio oppressissent ac trucidassent, irritaq; fecissent omnia Cæsaris & Principis Hetruriæ consilia. Cæsariani partim Senensium negligentia freti; partim suis copijs semper succrescentibus confirmati, cum scirent omnem militarem præstantiam in perficiendi celeritate positam esse iure uideri quod consultatum rectè fuerit, nihilq; cunctandum rati, ubi primùm munitionem occuparunt animum adijciũt ad extollendam erigendamq; munitionis partem imperfectam, quæ urbem spectabat. rectis itaque uimineis corbibus, & ad staturam hominis gleba repletis, inter hos tormenta quædam campestria prius in inuasuros locant, ut pluteorum more operarij protegerentur, distributaq; sunt breui Ialis

Marinianius Senæ munitionem occupat, & ad diuerberationem instruit.

&

& Hispanis portiones regionesq́, munitionis defendendæ & extruendæ. tanta verò diligentia, tantoq́ studio Mariniani iussu res est agi cœpta, ut milites cum operis admisti nullum tempus amitterent, cum multi per diem ac noctem uicissim fasciculos lignorum, & Sarmenta, comportarent, & corbulos gleba plenos. Quæ dum apud urbem Senam aguntur Cepinius Vitellius cum suo equitatu ad oppidum ditionis Senensis Bonconuentum uocatum peruenerat, Rodulphus Baleonus cum equitatu & peditatu in oram maritimam, quas maremnas uulgo appellant, atque is prædabundus palabatur omnia ferro & igni populatus. per idem tempus nouæ cohortes quotidiæ peditum, nouæq́, equitum turmæ ueniebant in castra Cæsariana, quæ apud ipsam urbem uel extra munitionem fossis perpetuis & uallis atque aggeribus concludi cœperant. sic amissa prima opportunitate recuperandæ propè amissæ libertatis aucto Cæsarianorum numero Senenses non poterant iam nisi æquo marte aut etiam cum pluribus numero dimicare. Sic enim fit plerunque ut quæ malorum remedia facillima fuerant & utilissima si maturè adhibita sint, mox ubi morbus inualuerit, radicesq́, altius egerit, non possint nisi cum summo labore laborantisq́, periculo adhiberi. atque ne interim copiæ ociosæ sint quæ castra posuerant extra munitionem, cum multæ turres essent in agro Senensi priuatorum ciuium, quæ sine bellicis tormentis uix possent expugnari, Marinianius constituit has paulatim esse occupandas omnino, ne opportuna loca darentur hostibus ad impediendas cohortes, quæ uenirent in castra, & ad intercipiendos commeatus. Multas igitur harum turrium per præcones & tympanistas in deditionem accipit. at quæ noluissent parere præconum obtestationibus, tormentaq́, muralia expectassent, quibus attractis indictum erat bellum atrox, nisi se arbitrio victoris dedidissent, denique attractis tormentis acceptæ sunt per deditionem ad arbitrium Mariniani, captiui in castra adducti, & multi per noctem à carnifice Castrensi iussu Mariniani funibus circa collum contortis miserabiliter extra castra suffocati. Verumtamen hæc iure belli facta esse constat, ne adom

Vitellius & Baleonus agrum Senen. populantur.

nia uel nullius momenti loca cogerentur Cæsariani tormenta trahere; quoniam sunt illi in fidem uel post multas certaminum difficultates accipiendi qui loca munita, & quæ possent uiribus exercituum probabiliter resistere, defendant: tum quòd non est iniquum si quis honorem existimationemq; suam tueatur, munitionemq; suæ fidei à Principe commissam defendat, cum turpissimum sit militi ad omnes difficultates & pericula trepidum esse, neque conueniat nisi probabilibus rationibus coactum se dedere: tum etiam quòd ita multorum incolumitati ac sumptibus consulitur ubi parcitur viris præstantibus uirtute. neque sunt unquam viri fortes impellendi in desperationem; quod qui fecerit, eorum extremam fortitudinem non sine graui periculo & iactura denique experitur. Sed quoniam duæ erant turres intra mœnia Senensium, quæ castra Cæsarianorum despectabant, super his collocantur tormenta campestria à Senensibus non sine magno Cæsarianorum castrorum incommodo & molestia: idcirco illæ turres muralibus tormentis Cæsarianorum denique sunt deiectæ, atque ita paulatim ereptæ defensiones. illud fuit mirabile quod altera earum turrium tanta fuit duritie ut non multo pauciores septingentis in eam fuerint contorti: in quam magna facta est pulueris tormentarij & temporis iactura. sed tādem cum magno fragore intra ipsa mœnia colapsa conquassataq; est. nam Senēses ubi illa cæpta est globis rescindi saccis lana plenis humenti armauerunt aduersus uiolentos tormentorum ualidorum ictus. erecta est interea munitio chamolia summa diligentia, & ad tantam altitudinem aduersus urbem extructa ut præsidia Cæsariana inde eijci nullo pacto possent. Binis in locis confectæ sunt plateæ superiores ad capienda muralia tormenta, substrataq; tabulata ad facilitatem recedendi & impellendi. atque hæc ad arbitrium & iussa Gabrielis Serbellonis uiri impigri & in rebus militaribus exercitati tormentario negotio præfecti erecta sunt: aliæ rursus plateæ in Hispanorum regione, quæ fuit à sinistris ingredientibus munitionem; atque in his omnibus collocata sunt tormenta interea attracta florentia, & è finitimis urbibus ad prosternendas

Vrbs Sena muralibus quatiť tormentis.

Gabrielis Serbellonis tormētario negotio præfecti solertia.

prosternendas deijciendasq́ defensiones. Decisæ sunt omnes tum fructiferæ tum etiam steriles arbores castris propinquæ partim ad usum conficiendæ munitionis, partim ad ignes nocturnos, qui habentur in stationibus castrorum: partim etiam ad erigenda tuguria intra munitionem, quæ tegulis ereptis suburbanis domibus propinquis tecta fuerunt ad arcendas pluuias & æstus & frigora & omnes aeris iniurias. Atqui ne milites in castris ocio & desidia marcescant, mos est tribunorum militum ut nonnullis è suis concedant, ut prædabūdi per agrum hostilem uagentur, quibus reducibus alijs uicissim eadem facultas permissa est. Sed quoniam permulti tum Itali tum etiam Hispani mutatis crucibus & insignibus militaribus pro præsenti commodo tam in amicos quàm in hostes spe prædæ crassabantur obuios quosque trucidantes & spoliantes factum est edictum in castris Cæsarianis, per præconesq́ & tympanistas in omnes ordines promulgatum sub pœna suspendij ut ab omnibus crux rubra militaribus sagis assueretur, quod non mediocriter profuit ad omne latrociniorum genus reprimendum. Absoluta ac perfecta iam munitione Chamoliæ, quia peruetus agger præcelsus ad multum spatium extendebatur herbis multis obtectus cōiunctus cum ipsa munitione, atque ita ab ipsa uetustate condensatus ut nulla ui tormentorum uideretur penetrabilis, ubi illa cessabat è regione arcis à Mendocio ineptæ, Cæsariani aliam munitionem multò minorem, at sublimiorem erigunt. domunculam quæ ibi forte aderat ad medium excisam gleba replent. in superiore platea duo muralia tormenta locant. his magnificentiora urbis ædificia, quæ uideri poterant ad deterrendos Senenses prosternunt: quæ dum ita fierent à Cæsarianis flagitauit rerum Senensium opportunitas, & hostium apparatus in dies succrescentes, ut Strozza qui per eos dies, quibus Cæsariani munitionem ceperant modo Romæ abesset, modo in Gallia subalpina ad faciendos bellicos apparatus, quos statuerat, Senam citatis equis adproperaret: qui urbem ingressus omnibus necessarijs reparationibus illam instruit: ameius præsentia plurimum auctus & militum & uniuersi populi

Petrus Strozza Senam ingreditur.

populi Senensis animus & diligentia. optimis prӕterea, firmiſsimisq; prӕsidijs munitur Roſetum, cluſium, mons Alcinoi, reliquaq; Senenſis ditionis oppida, & commeatu omnis generis, & rebus omnibus diuturnӕ obſidioni neceſſarijs. per id tempus Strozzeani milites ſӕpius ex urbe ad leuia certamina egreſsi, ad ſubitariaq; prӕlia tanquam ad ludum quendam militarem Cӕſarianos prouocantes ſatis aptum tempus nacti ſunt extruendӕ ualidӕ prӕcelſӕq; munitionis extra mœnia ad portã Chamoliam, atque aggeris interius, ita ut urbs ipſa tuta redderetur à bellicorum tormentorum impetu. Sed quoniam hoſtes in dies augeri Strozza fiebat certior per captiuos & per exploratores, curauit ut quanta fieri poſſet celeritate cohortes multӕ quӕ paſsim in Italia conſcriptӕ collectӕq; fuerant Senam adproperarent; ne ullo conatu Cӕſariani urbe poſſent potiri. Aſcanius interea cum nonnullis cohortibus peditũ agrũ cluſinũ ferro igniq; deuaſtare, aſsiduis incurſionibus cũcta populari, omni conatu moliri ut Cluſio potiretur: quod cum uirtute fieri non poſſe intelligeret, animum ad fallacias & fraudes conuertit. Videbantur ad illud conſilium capiendum inuitare antiqua in Sanctacium quendam exulem Florentinum collata beneficia, qui vicario munere fungebatur in una è cohortibus Flamminij Stabiӕ cluſii. atque hic ampliſsimis liberaliſsimisq; pollicitationibus ab Aſcanio inuitatus ſtatuta nocte promittit ſe cluſinam quandam portam aperiturum; cum tamen contrà omnia Aſcanij dicta ad Flãminium uirum callidũ & ſtrenuũ deferret. Strozza ea de re per literas factus certior ad ſtatutã noctem cũ ſexcentis delectis peditibus Sena per noctem egreſſus cõtento paſſu Cluſium accedit. iubet ibi prӕſto eſſe expeditos manipulos peditum è finitimorum locorum prӕſidijs, & alas equitum; quam noctem ſanctacius delegerat ad ſimulatam proditionem. ad ſtatutam horam preſto eſt Aſcanius cum duobus millibus & quingentis peditibus Florentini delectus, ac nonnullis alis equitum, quibus prӕerat Rodulphus Baleonus. Rodulphus ubi rem ſubfrigidè gubernari ſenſit, nimisq; differri, uenit in ſuſpicionem dubitationemq; proditionis ſanctacij;

Aſcanius & Baleonus ſpe ſimulatӕ ꝓditionis fruſtrati ꝓfligantur.

cij;

cij. suum consilium cum Ascanio communicat. tamen hic ne timidus videri posset, ille magnitudine desiderij impulsus est: quia spes sit pro stimulo maximeq; impellat ad ea credenda, quæ uehementer optamus, ut uideret quò tenderent sanctacij promissa: quippe cum Vrbanis illis clusinis præsidijs se multò superiores esse arbitrarentur, ea dum spectarent, fit certior Ascanius per exploratorem patere portam. nullos esse custodes. suum aduentum expectari. non esse cunctandum. uti oportere præsenti opportunitate: quæ si nunc prætermissa sit, frustra postmodo expectabitur & desiderabitur. prætermittuntur cohortes duæ, quæ sine cõtrouersia Clusium ingrediuntur: reliquæ copiæ extra urbem in acie consistunt. ingressos ita frequentes Sclopettariorum procellæ utrinque inuadunt, ut multi Florentini fusim ceciderint; reliqui ad exitũ refugiẽtes partim ad Angustias portæ suffocati sint impetu recurrentis multitudinis, partim ab hostibus trucidati. Nam Clusini ita occultas reparationes in priuatis domibus extruxerant, ut hostem offendere, ipsi nec uideri quidem, nedum non offendi possent, nisi cum ex illis prodirent ad pugnam. Ascanius tardius quàm oportebat simulatam & insidiarum plenam proditionem atque promissionem illam esse cognouit; & quàm ut se in tutum posset recipere; quare suos pro angustia temporis breuiter ad sustinendos hostium impetus cohortatur. Sed eum à tergo circumuentum exeuntes Clusini à fronte quoque adoriuntur. cum res Ascanij eò esset deducta ut uel fortiter cadendum in pugna, uel turpiter ueniendum esset in potestatem hostium, uel strenuè dimicandum, uiamq; ferro per medios hostes facere sibi oporteret, pugnatur acerrimè utrinque, diuq; fuit anceps belli fortuna. Sed Cæsariani ob imparitatem numeri, & ob iniquitatem loci tandem terga uertere coguntur, & fuga salutẽ sibi quærere; cũ ita profligatos & fusos nullæ neq; ad hortationes neq; minæ ducũ, neq; liberalissimæ pollicitationes ad restaurandũ prœliũ possent reuocare. nam cum tumultuarij essent milites, & delectus agrestium rei bellicæ imperitus, neque mirum est si ad signa reuocari non poterat, quod illud solùm est munus ueteranorũ, & in

rebus

rebus militaribus exercitatorum; quorum uel paruus numerus magno imperitorum est anteferendus. idcirco omnium propè militum maximè gloria, obseruantia, uirtute rei militaris præstare putandi sunt Heluetij, quorum ordo ita facile resarcitur, quàm facilè reliqui milites profligantur, totiesq́; aciem restaurant, quoties labefactata uirtute hostium fuerit. cecidit in eo certamine Rodulphus Baleonus. atque comes Balnensis cum in tanto discrimine rem positam uideret uix in tutum locum suam alam equitum reduxit. Ascanius post diuturnum pugnandi laborem denique uenit in potestatem hostium; qui Senam adductus omnia maledictorum conuiciorumq́; genera in se à Senensibus audiuit. Deinde in custodias traditus non nullos è custodibus largitionibus corrumpens facile profugisset, nisi fortuna fuisset eius consilijs aduersata. finxerat enim seruus se ex altero oculo ægrotare, quòd unicum Ascanius haberet oculum cum alterum amisisset: atque ita statutum erat ut Ascanius seruilibus uestibus indutus elaberetur. ea res depreh ensa suspendij causa fuit custodibus, at Ascanio arctioris custodiæ. Senam reuersus Strozza accipit per nuntios Forqueum, qui Vicario munere pro Strozza ipso in castris fungebatur cum quatuor millibus italorum peditum, & magno numero equitum præfecto comite Mirandulensi per ualles Lucenses iter facere: quare cum præter necessaria Senensibus oppidis præsidia posset educere ex agro Senensi circiter sex millia peditum, & frequens agmen equitum, statuit Sena egredi ut uniuersum bellorum incendium in hostile territorium transferret: & cum aduenientibus auxilijs castra facilius coniungeret, donec accedente classe cum Aquitanis & Heluetijs, qui uehebantur, auctis magnopere uiribus totam uim belli ex agro Senensi abduceret. At enim Gallica classis cum in Cyrnum insulam appulisset casalum sinum oppidum sancti Florentij uocatum, syracusanumq́; portum, quem sanctum Bonifacium appellant commeatu, rebusq́; ad bellum necessarijs communiuit; quæ loca fuerant à Gallis occupata paulo ante cum Thermeus Regulus Sena discessisset, & ab eodem Thermeo

Baleonus cadit.

Ascanius Cornien. captiuus Senam ducitur.

Classis gallica Cyrni oppida à Termeo occupata munit.

in Galliam proficiscente munitionibus & reparationibus confirmata. Nam cum ille nonnullos menses in insula moratus esset, tota ferè insula, præter pauca castella uenerant in potestatē Gallorum. atque cum mare ligusticum Gallica classe plurimum infestaretur ob ingentia damna accepta compulsi sunt Genuenses arma inferre Gallis in Cyrnum insulam, atque ita ualidis præsidijs, sua castella, quæ reliqua erant, munire utnon repellendis modo, sed etiam infestandis hostibus essent idonea. Thermeus enim ut diximus, prius quam in Galliam abnauigaret frustra tentata eorum oppidorum expugnatione rebus Regijs in ea insula cum potestate proregia præfectum reliquit Iordanum Visinum uirum rei bellicæ peritissimum. Vbi commeatus, resq; necessariæ insulanis præsidijs fuissent expositæ, classis ad portum Herculis applicuit, cui classi præerat Leo Strozza Petri frater, ad quem captiuus Ascanius fuit missus: qui cum rursus elabi conaretur in arcem custodijs traditus est, donec ad Henricum regem missus ad gratiam Pontificis liber dimittitur. Per idem ferè tempus, Cæsar, quia meliore conditione in finibus Belgarum sibi esse uideretur censeretq; Henricum partim superioris anni acceptis detrimentis territum, partim assiduis sumptibus Cyrnensi, Senensisq; belli, & Belgici, & Galliæ subalpinæ inanitum nihil in finibus Belgarum innouaturum, cum ipse quoque plurimos sumptus fecisset, putabat satius esse in Belgio Gallum in suspicione tenere, quàm arma mouere: cum totus eius animus in principis Philippi filij matrimonio esset occupatus: quippe quod Britanni nullum externum Regem nisi coacti uidebantur esse accepturi, cuius etiam rei superius ut dictum est, arma sumpserant. At contrà Henricus cognitis omnibus Cæsarianis consilijs ut turbaret Britannica negotia, quæ sibi uidebantur plurimum incommodorum allatura, cum fortuna esset ad omnia Philippi uota propensa, intuitus Cæsarem ferè ociosum esse, qui omnem bellicarum rerum curam Mariæ Sorori Pannoniæ Reginæ commiserat rebus Belgicis præfectæ, quia iam tempus messis instaret coactum iustum exercitum in apertum educit: quarum copia-

Classis Gallica ad portum Herculis applicat.

Henricus copiis Cameracum in Belgis urbem cōtendit.

rum Dux summus cameracum uersus continuò infesta signa conuertit, quòd erat urbem illam per proditionem capturus. nam cum superiore anno Henricus ad triginta peditum, octo lectissimorum equitum millia collegisset ad impediendos Caesaris felices progressus sub finem anni, omnes illas copias in hyberna distribuerat, quas nunc eduxit. Caesar ubi Gallos castra mouisse Cameracũ uersus intelligit re insperata propè circunuentus quasi tumultuariò bellicos apparatus aggreditur, atque denuo summum Imperium copiarum Sabaudio duci defert, quem iubet cum Ioanne Baptista Castalio & Antonio Auria supremis consiliarijs eius belli sese regijs consilijs opponere. atqui ita Caesari inopinato ita fauit belli fortuna ut statim profectis ducibus Gallorum proditio sit patefacta; quare regiae copiae sese ad oppidum Marimburgum recipiunt, quod paulò ante à Maria Regina in loco paludoso naturaq́; munitissimo fuerat extructum, omnibusq́; praesidijs, & annona, & rebus muniendis oppidis necessaris communitum. Veruntamen Galli cum praefectum & gubernatores eius loci sibi conciliassent illo denique per deditionem potiuntur. Quò ingressis oppidum multis nouis reparationibus muniunt, & aliquot dies morantur, quòd amoenissimos hortos, & fontes suauissimos ad recreandos animos, & ad uoluptarios secessus locus haberet; quae omnia magnis sumptibus ac singulari diligentia ipsius Mariae fuerant affabre facta. erant res Belgicae in magna perturbatione, & Bruxellis praecipuè trepidatum est, ubi erat Caesar, quia uidebatur timendum ne Henrici exercitus eò contenderet quibus in castris iam circiter quadraginta peditum, decem equitum millia esse dicebantur. Dux Sabaudiensis coactis eductisq́; copijs, quae erant in hybernis cum essent quinque millia Germanorum, quingenti Hispani, duo millia & quingenti equites Cataphracti collecti è uarijs nationibus cum paucis leuis armaturae, ac nonnullis Hispanis Sclopettarijs equitibus, cum his uiribus se Valentienam recipit, atque inde ad loca magis finitima unde Caesari posset ferre suppetias. Caesar cum simularet se in castra iturum Bruxellis in locum tutiorem

Dux Sabaudiae, Castalius, & Ant. Auria Galli. cum exercitum diuertunt.

Marimburgo oppido Galli potiuntur & muniunt.

rem accedendum ratus, quòd urbs illa sine maioribus præsidijs tanto hostium exercitui non uideretur posse resistere, ex urbe proficiscitur. Galli non prius Marimburgo, è locisq; finitimis discedunt; quàm Henricus ipse uenisset in castra, qui iustis de causis ante cal. Quintilis accedere non potuit. at uerò dum Galli regem in castra præstolantur in Belgio, è classe, quæ ad portum Herculis applicuerat in Thusciam ad tertium idus Iunij quinque Aquitanorum Heluetiorumq; millia tanto silentio Senam ingrediuntur, ut nemo prorsus Cæsarianorum eius aduentum cognouerit aut senserit. eodem etiam die Strozza cum sex millibus peditum & quingentis expeditissimis equitibus multis comitantibus ciuibus per portam Brandam uocatam egressus fuerat, cuius exitus ignotus planè fuit hostibus. Sic igitur cū his copijs Casoli territorium, & Volaterras, & pontem Eræ, & Cascinam prætergressus ad pontem Morianæ peruenit, quod oppidum est ditionis lucensis, ut ibi cohortes è Subalpina Gallia aduenientes expectaret. est autem Luca urbs Italiæ ad montes lunæ uocatos nobilis, quæ probitate uirorum floret & ingeniorum præstātia, sed parum latos habet fines cum in reip. morem gubernetur. præcipuè uerò robore & uirtute rei militaris excellens. interim Florentinum agrum populabundus crebris incursionibus infestat, ferro igniq; deuastat, per uim capta Montis catini & montis Caroli oppida firmis præsidijs munit. quæ cum ad principem Hetruriæ essent delata ueritus nedum aliena sectaretur ipse in suorum periculum esset illapsus, multoq; plura uenirent in potestatem hostium, cum præsertim iam Subalpinæ Galliæ copiæ sese Strozzeanis adiunxissent, quibus nemo resisteret. & ne flauentes iam segetes ab hoste igni absumerentur ad inopiam rei frumentariæ in annum sequentem, Marinianium cum exercitu ab obsidione Senæ reuocat. ille munitionibus rebus omnibus necessarijs probè instructis cum septem millibus peditum contento passu quam potest longissimis itineribus Pisciam contendit; atque ita auctum esse intelligens hostium numerum ut par esse uiribus non posset, satius esse ducit sese intra mœnia conti-

Strozza auctis uiribus Florētinum agrum populabūdus deuastat.

Lucæ urbis descriptio.

Marinianius firmatis præsidiis Pisciā se recipit.

 nere

nere dum noua auxillia accederent, quæ à Camillo columnio ex Neapolitano regno, & à Ioanne Luna ducebantur ex insubria, quàm sese in aperto fortunæ inconstantiæ committere. Strozza decernit Pisciam repentino conatu tentare: sed res non potuit tam occultè decerni, ne Marinianius fieret certior per exploratores, qui uix credens ullis uel nuntijs uel amicorũ adhortationibus cum aduentus hostium propinquaret, mittit expeditas alas equitum, quæ ad leue prælium hostem prouocarent. dum ita leui pugna certatur Marinianius cepit consilium salubre, ut sese in tutiorem locum reciperet; quem cum persequi Strozza decreuisset, uti postea intellectum est, deinde mutauit consilium, quoniam copiæ essent iam defessæ; & Pistorium accessuris, quò se recipiebãt Cæsariani angustiæ quædam essent transeũdæ ad Serauallis oppidum. Recipiebant se Cæsarianæ acies tam conglobatæ, tam confusæ, tanto terrore plenæ. nemo ut propè esset è Cæsarianis quin ad fugam potius, quàm ad pugnam spectaret. Quare uel si fortuna fuisset Strozzæ benignior, uel si aliquantulum ad Cæsarianam fœlicitatem obdormiuisset, non Senensis quidem res amplius, sed Florentina posita erat in magno discrimine. Idcirco stultissimus & rerum humanarum imperitissimus merito is iudicari debet, qui nisi grauissimis, maximeq́ necessarijs causis compulsus, aut suæ defensionis gratia bellum susceperit: quia tam incerti sunt exitus bellorum, ut toties de suo imperio quisque periculum faciat, quoties exit ad pugnam; atque cum res uel prosperè uel contrà infeliciter alicui succedere cæperint tanquam rapidissimus fluuius omnia secum trahunt, solaq́ spes est in fortunæ uolubilitate. Sed ita fortunæ Senensi uisum est ut dum Strozzeanæ acies corpora curarent Cæsariani se in tutum reciperent. Pistorienses conglobatos Cæsarianos adproperare intuiti ueriti eos in fugam uersos mistim cum hostibus urbem ingressuros uix erant quenqnam in urbem admissuri. at ubi nuntiatum esset postea Pisciam à Strozza relictam esse, eumq́ se intra fines lucenses recepisse, omnes copiæ sunt admissæ, donec insubrum Neapolitanorumq́ auxilijs

Strozza Marinianium insectatur.

lijs accedentibus Cæsariani pares facti sunt vel etiam superiores uiribus Gallicis. dum ita Cæsariani suppetias Pistorij expectant Marcus Antonius Triuisanus Venetiarum princeps, qui anno superiore Dux creatus fuerat diem suum obijt, cuius in locum patrum consensu suffectus est Franciscus Venerius uir probitate & eloquentia clarus ad tertium idus Iunij. Sed quoniam Strozza in agro Lucensi frustra classica auxilia diu expectasset, grauiterq́; ferrent Lucensei sibi augeri inopiam annonæ ob multitudinem externorum hominum, cum præsertim ob agri angustiam alioquin non ualde abundent re frumentaria; Strozza conuentum suis ducibus indicit, in quo decernitur optimè consultum uideri suis rebus si sese in agrum Senensem reciperent, quia iam auctæ essent nimium Cæsarianorum uires, ibique auxilia expectarent. nam rex magnas copias ex Gallia promiserat se missurum in Italiam ut diximus superius. Senam Strozzeani adproperantes Arnum fluuium non ignobilem Hetruriæ, qui è montibus Lunæ uocatis ortus Florentiam urbem interluit, & per amplum agrorum spatium planitiemq́; deuolutus ad meridiem ingreditur in mare thyrrenum non procul ab urbe Pisis, nullis lintribus aut pontonibus, sed pedestri traiectu uadant, qui fluuius solet esse rapidus, & propter turbulentißimas aquas non satis sit tutus; quia uada non poßint ab altioribus profunditatibus discerni. Strozzeani vel mentum attingentibus aquis omnino fluuium trayciunt, quod iter difficillimũ tamen incredibili celeritate conficitur. Nam uerebatur Strozza ne circumueniretur à Cæsarianis, commeatusq́; intercluderentur, quare in neceßitatem induceretur collatis signis dimicandi, quoniam insubres, Neapolitanæq́; copiæ sese cum Mariniano adiunxerant. Strozza Senam profectus ne exercitus urbis annonam absumeret, suas copias in æstiua mittit in oram maritimam; atque duo millia peditum & trecentos equites cum comite Mirandulensi in urbem inducit. Leo Strozza Egrè ferens claßis Gallicæ tarditatem, ut aliquod uirtutis specimen & ipse ederet loca hostium maritima cum suis

Frã. Venerius creatur Dux Venetiarũ.

Arni fluuii descriptio.

Petrus Strozza Senam contẽdit.

Leo Strozza glande trãsfigitur apud Scarlinum.

suis triremibus infestare decernit ; quare naues nonnullas onerarias frumento Onustas, & commeatus, & alijs mercimonijs Genuensium captiuas ad portum Herculis deducit. atque ut aliquod oppidum Florentini agri ditionisq; occuparet, forte ad Scarlinũ fecit descensiones è triremibus, quod ad expugnationem explorans glande transfixus ab oppidanis præsidijs diem suum obijt . Petro Strozza statim Senam ingresso nuntiatur Leo frater cecidisse ex uulnere apud Scarlinum ignobile oppidum Tuschiæ atque Populonicæ ditionis, quem nuntium ille æquo animo tulisse uisus est, quamuis postea non mediocris mæroris signum ediderit. classis Leone Duce orbata tumultuari cæpit, & discordia crebrisq; contentioribus uexari, ut est genus illud hominum ad faciendas potius, quàm adferendas ullas iniurias propensum : donec Strozza ad res componendas profectus est cum magna peditum manu : quo etiam tempore tandiu ibi commoratur, ut Gallica classis, quam tanto cum desiderio expectarat Massilia applicuerit, qua uehebantur Aquitani & Germani. His exeuntibus ad Sex delectorum peditum Italorum millia, quos habebat Forqueus regulus in æstiuis, ad se accersit; quibus castris coniunctis ad iustum exercitus munerum accedebatur. erant enim in castris Gallicis Aquitanorum duo millia, totidem Heluetiorum. duo germanorum millia & quingenti, circiter sex millia Italorum. equites galeati ad mille. quibus copijs instructus Strozza non amplius intra mœnia cunctandum censuit, sed in apertum existimauit esse exeundum; & si res ita ferret, collatis signis de summa belli cum Cæsarianis copijs dimicandum, quamuis in castris Cæsarianis erant ad quatuordecim millia peditam ex Italis, Hispanis, ac Germanis collecta. equites mille & quingenti partim cataphracti, partim leuioris armaturæ. Marinianius cum his copijs sese ad munitionem quandam imperfectam adhuc, neque satis munitam recipit, quæ distabat ab urbe Sena circiter sex stadios, quam apud Sanctum Lazarum extruxerat. ibi tandiu manendum esse ratus ut uideret quid consilij hostis caperet. erat Gallos ad pugnam allecturus apud ipsam munitionem : sed

Exercitus Gallicus in agro Senẽsi.

Marinianij exercitus.

sed cum prima acies Strozzeana accederet sub meridiem, Marinianius relicta munitione acie propè confusa aut certè parum instructa se ad Collem quendam recipit, qui non procul aberat ab ea munitione è regione Cænobij Diui Antonij. ea re perspecta cum se ex inferiore loco pugnaturū esse Strozza animaduertisset, substitit cum omnibus copijs, mittitq́; delectam manum militum expugnatum Cænobium Sanctæ Bonda à Cæsarianis occupatum: quod denique post diuturnum certamen non sine utriusque exercitus clade occupatur à Gallis. Illud rursus postero die cum Cæsariani conarentur recuperare, restauratum est denuo leue certamen, sed tam acriter, tantaq́; contentione, ut pugna ab aurora ad noctem usque protracta plures octingentis ceciderint. cum reliquæ copiæ sub noctem Strozzæ accessissent, ille Sena pertransiens ad portam ouilem castrametatur collem quendam, qui Chamoliæ munitioni imminebat occupaturus: at Marinianius certior factus de illo consilio per exploratores primus eum collem occupat; qua re cognita Strozza ne urbi uicinus annonam urbanam frustra absumeret die tertio iter conuertit ad tentandam ciuitellam: oppidum sanè peraccommodatum ad occupandam uallem Arni, & ad infestanda multa oppida Imperij Florentini. hoc itaque consilio iter capiens Senæ relinquit Regulum Moluchium cum Imperio rerum militarium, quem regulum Hēricus cum classe & auxiliarijs copijs in Italiam miserat, cum uniuerso exercitu in uallem Glanicam iter facit, Martianum oppidum ui expugnat. præsidia ibi inuenta trucidat. locum ut ad comportandum commeatum opportunum firmis præsidijs munit. nec multo Sanè interiecto tempore Oliuetum per deditionem capit. ad oppidum ciuitellam bonam partem exercitus mittit cum duobus muralibus tormentis, cum reliqua pars copiarum ad pontem Glanicum fuisset castrametata. His acceptis detrimentis Marinianius commotus relictis munitionibus rebus omnibus necessarijs instructis iter capit Ciuitellam uersus; quòd illud oppidum erat in magno periculo ne ueniret in potestatem Gallorum, quia minime esset munitum uti oportebat, quamuis natura loci sit maximè

Certamen diuturnum inter Cæsa. & Gallicos.

Petrus Strozza Moluchio Senæ relicto ciuitatellam contēdit & diuerberat.

Marinianius Ciuitatellæ agri Flor. suppetias fert.

ximè accommodata ad muniendum. prima igitur castra posuit ad Pontem BonZonium, secunda ad Sanctum Cosmeum, tertia erat ad Lessam positurus, sed cum ciuitellam ualde premi intelligeret contentiore gradu properat difficili itinere usus, ne illa in potestatem hostium ueniret, non procul ab hostibus in loco sanè difficili & aspero castrametatur. Est autem ciuitella nō procul à Glame fluuio sita in loco edito, oppidum honorificum & frequens, ferax optimi uini cuius ager planus frumento, & omni genere fructiferarum arborum abundat. est autem tanquam porta ad multa alia Castella, & ad totum ferè Imperium Florentinum, quod ad eam partem spectat infestandum. at uerò non tam occultè accedunt Cæsariani, qui prima acies cognita sit ab hostibus; quare satis aptum tempus illis concessum est ad bellica tormenta, & ad omnes copias in tutum retrahendas. ceciderunt non pauciores trecentis è Gallis, qui palantes per agros fusim prædatum iuerant mox minutum prælium à Cæsariano Gallicoq; equitatu committitur, in quo plures desiderati sunt è Cæsarianis, quàm è Gallis. capti sunt in ea pugna Prior Lombardiæ, Marius Sanctiflorius, alijq; nonnulli insignes: quare Cæsariani apud ciuitellam, ut dictum est, in loco difficili castrametari ita coacti sunt, ut partes Castrorum ad mutuam defensionem & mutua subsidia prorsus essent inutilles. cum postridie illuxisset Cæsariani è castris egressi ut locum explorarent sentiunt hostem copias ductare secundum ripam Glauis fluminis, atque ibi castrametari, quare statuunt postero die Strozzā circumuenire, ut si hostis uti uellet pugnandi facultate sibi oblata, omnibus copijs dimicaretur. Hac sententia dum à Cæsarianis agitatur, nuntiatum est hostem Folianum uersus iter facere, quem Cæsariani è uestigio sequuntur, atque ex itinere oliuetum recuperant. Praerat Foliani Carlottus Vrsinus uir nauus & rei bellicæ peritus ac planè strenuus qui certiorem facit Marinianium se omnes hostium conatus per quatuor aut etiam sex dies sustentaturum; cum præsertim duo tantum muralia tormenta traherentur. huic responsum est præclarè actum iri si per biduum conatus sustinuisset. Verumtamen quo die primum

Ciuitatellæ oppidi descriptio

Prælium cruentum.

Prior Lōbardiæ, & Marius Sāctiflo. captiui.

Folianum urbs à Strozza expugnatū Carlotto Vrsino cæso.

mum Folianum obsidione cingitur paucis ictibus muro disru pto, casoq; Carlotto & multis alijs ex præsidijs urbs capitur, in qua tota sæuitum est ferro & direptionibus & incendijs. milites trucidati sunt intra mœnia, qui cum primum cæsum ducem senserunt ita conciderunt animis consternatiq; sunt, vt omnem spem salutis ac defensionis simul abiecerint. Ea re Marinianus incensus acies ad Martianum conuertit, ubi Strozza duodecim vexilla Italorum peditum inter urbem & exiguam quandam munitionem reliquerat. pugnatur minuto prælio: sed Strozzeana acies munitione à Cæsarianis capta turpiter funditur, atque pecudum more trucidatur. pauci fuga se lucianum recipiunt. atqui Marinianius cum Cæsariani nulla haberent tormenta Aretium mittit qui duo muralia attraherent, quæ cum haberi nequirent vnus semicannon attractus est sub noctem. etsi tunc mœnia continuo concuti cœpta sunt, tamen totum negotium in diem crastinum differtur: quia possent aliunde per noctem commodius trahi & in sequentem diem collocari. Quæ dum geruntur in finibus Thusciæ, Henricus in castra suorum, à quibus ut diximus expectabatur profectus ad Valencenas castra propè iungit quæ ad sexaginta millia armatorum aucta sunt cum Dinantum oppidum natura & arte munitum adoriri decreuisset, ut nullo hoste à tergo relicto expeditus urbem Namuri expugnaret; qua vrbe se facile potiturum arbitrabatur ut quæ foret debilis, & montibus circumdata, cum parua ibi esset manus Cæsarianorum, & imbecilla ad resistendum tanto exercitui: qua occupata postea Cæsarem inuasurus castra moturus erat Bruxellas. at Cæsari omnia regis consilia per exploratores aperiuntur, quæ etiam coniectura percipiebat suorum ducum quos habebat rerum militarium peritos. Dux Sabaudiensis idcirco castra mouens ad Sermoninum oppidum profectus non procul ab hostibus castrametatur: Sed quoniam uiribus valde esset inferior, singulari prudentia usus est occupandis aptioribus locis, atque ita rem protraxit, ne uel formidare uires hostium uideretur vel Cæsareæ dignitati deficere. cum eadem consilia regis, quæ

Martiano urbe Marinianius ui potitur & psidia trucidat.

Henricus cum LX. milibus armatorum Bruxellas contendit.

Cęsaris cõsilium ut ĩpetus Hẽrici retardaretur.

nuntiarant exploratores, consentirent cum captiuis, Cæsar primarios exercitus ad comitia Bruxellas conuocat, ut de toto negotio consultaretur. tum auditis singulorum sententijs cum alijs inuadenda loca regis, eumq́; reuocandum uideretur, alijs resistendum oppositione castrorum atque ita impetus hostium retardandus, denique in eam sententiam deuentum est, ut Cæsaris exercitus, qui iam ad decem & octo armatorum millia excreuerat ad urbem Namurium castrametaretur, eamq́; urbẽ tanquã aditũ in Ambiuaritos & Tongros & Belgarũ finitimas regiones tueretur; quia si Henricus illã urbẽ occupasset, potiretur flumine Mosa amplissimo eius regionis facilemq́; accessum habuisset Bruxellas sine ullo impedimento, & Mastrichium, Cæsarianosq́; facillime impediret ne castra cum Sabaudiensi coniungerent, qui expectabantur è regionibus Menapiorum. cum Cæsar igitur ad Namurium Castalium, & Benincortum castrorum magistrum præmisisset, ut locum tutum & commodum ad castra deligerent, Sabaudiensis & Antonius Auria cum exercitu procedunt non sine aliqua suspicione ne Gallicæ acies uenirent obuiam: quæ non plus aderant duodecim millibus passuum à Namurio. cum biduo iter Cæsariani confecissent expeditissimi, & ad castra parata uenissent; ibi auditur tormentorum bombus Gallicorum; nam octo muralibus tormentis Gallus Bouinas oppidum, ex ea parte, quæ fluuium Mosam spectat, concutiebat, cum haberet exercitum bipartitum. altera enim pars castrametata fuerat ad fluuium Sambram uocatum, altera ad Mosam, qui fluuij apud Namurium in unũ confluũt. cum satis amplum spatium mœniorum tormenta prostrauissent primo militum conatu Bouinæ ui capiuntur, ubi Henricus nonnullos è militibus suspendio necari iubet, alij partim trucidati, partim capti. Istud supplicij genus indecorum est militibus, neque nisi grauissimis de causis ita sunt puniendi, sed tamen iure belli creditum est factum fuisse ab Henrico, quòd obstinatè contra militarem disciplinam conarentur locum debilem tueri aduersus regias copias, quem nullo pacto possent defendere. sic pœnas dederunt suæ temeritatis. Atque

Gallus Bouinas oppidum ui capit, & sæuit in præsidia.

que eodem die Cæsari in castra profecto nũtiantur mille equites Galli nocturno tempore Mosam esse traiecturi, atque vicinos Cæsarianorum pagos incursionibus & incendijs populaturi. istud ne fieret, Cæsar prima uigilia Aloysium Abulensem virum impigrum uniuersis leuioribus equitibus præfectum obuiam mittit cum equitatu Belgico, & equitibus Sclopettarijs; quæ copiæ accedebant ad tria armatorum millia. Galli mutato postea consilio manserunt in castris. fuerant verò in altera parte Mosæ fluminis castrametati Conestablius & Niuersius, quò Henricus tumultuarijs pontibus excitatis cum exercitu traiecit, & castra coniunxit; Dinantumq; uersus signa conuertit, quæ urbs est in ripa Mosæ fluminis extructa. hac facile potitur cum tormentis aliquandiu diuerberasset, quia non esset satis munita, sed cum oppidulum aliquantulum resisteret postridie eius diei magno studio, magnoq; impetu oppidulum præmunitum & in præcelsa arce ædificatum di uerberare incipit. erant in eo oppidulo quingenti pedites inferioris Germaniæ, quò etiam Iulianus quidam cohortis præfectus cum trecentis peditibus conuenerat, ducentis Hispanis ac centum Germanis, quos Maria Regina istud ipsum uerita paulo ante præmiserat. atqui cũ ex altera parte Henricus, ex altera Niuersius magnam murorum partem ad ingressum aperuisset tormentis, Galliq; per minas murorum ingredi conarentur, repulsi sunt non sine multorum clade & iactura. Postridie tamen cum oblata fuisset oppidanis præsidijs exeundi facultas cum ensibus & quantum supellectilis altera manu possent auferre, Iulianus præfectus Hispanus non recusat omnino conditionem; sed addidit se nullo pacto nisi uexillis ad profectionem explicatis exiturum, atque seruatis armis, equis, & omnibus suorum militum impedimentis. Qui conditiones negotiantur denique persuadent Iuliano omnes eas conditiones facile posse obtineri si Iulianus ipse cum hostibus ad paciscendum exiret. atque à Conestablio perbenignè mox etiam inuitatur ad conuiuium. ille inter conuiuij oblectationem ab Andrea Maggio rogatur & liberius monetur ut oblatis conditionibus acquiesceret, at-

Conestablius traiecto Mosa fluuio Dinantum urbem ui ingreditur.

Dinãti oppidulũ post multas diuerberationes se dedit.

que oppidulum dederet, tam benignis & liberalibus hostibus, apud quos non minus humanitatis quàm apud suos experiretur: neque se implicaret tot difficultatibus, quæ è diuturna oppugnatione consequerentur. Ille ad suos reuersus omnes difficultates imminentes explicat. monet fieri non posse ut diutius tanti exercitus uiribus resistatur. difficilia esse auxilia & subsidia Cæsarianorũ, quæ sine magno periculo non possent accedere. quanta sit fortitudo Gallorum cognosci potuisse ex primo conatu, cui uix potuissent resistere. magnum periculum vitæ singulorum parari, si hostes oppidulo ui potirentur. vnum esse remedium tot malorum, quod nisi opportunè adhibeatur, frustra postmodo fortasse requiretur. nam ut tot difficultates deuitarent uno tempore id solùm fieri posse per deditionem. se procuraturum ut saluis impedimentis, quæ ipsi ferrè possent, & ensibus tutò excedere liceret. his conditionibus, quæ in tantis propositarum rerum difficultatibus honestissimæ uidebantur, præsidiarij milites assentiunt: quare iubet ut omnes subscriptione affirmarent, deinde conditiones ita subscriptas attulit ad Conestablium confirmandas. ille ubi stabilitæ sunt Cæsariani ex oppidulo excedunt. cum uerò Iulianus esset discessurus, Conestablius quia nihil de præfecto actum esset, fit captiuus; quod nonnulli à Gallo simulatum putarunt vel quia largitionibus fuisset corruptus, vel quia puderet illum redire ad Cæsarianos cum oppidum tam egregiè munitum non defendisset. Cæsar horum ignarus ut suppetias laborantibus oppidanis mitteret, iubet eodem die, quo se dediderunt Castalium cum duobus millibus equitum, & duobus millibus equitum, & duobus Reggimentis Germanorum quingentisq́; Sclopettarijs Hispanis præfecto principe Herantio & Ferrando Lanoio propinqua castra hostibus collocare, ne Cæsariani uiderentur non audere exire è reparationibus, aut pugnam detrectare, quamuis numero essent impares; & ut oppidanis animus augeretur quo alacrius se defenderent. Nam ea nocte quæ antecesserat iussit Cæsar circiter secundã vigiliam octo muralia tormenta displodi, quibus bombis significaretur se auxilia esse missurum. misit cum prædictis copijs

Iulianus fit captiuus cùm de se non pepigisset.

Castalius deditionis ignarus Dinanto fert suppetias.

pijs etiam Benincortum prò cuius consilio castra in loco tuto deligerentur, & quàm fieri posset hostibus maximè propinquo cum maximi sit ponderis & consilij non uulgaris electio castrorum. Sic enim futurum apparebat ut si Galli diutius oppidum obsiderent difficilius putarent conatibus experiri aut tentare, ne à Cæsarianis eodem tempore inuaderentur & infestarentur, oppidaniq; maiori audacia resisterent. Hi duces sub auroram iter capiunt, atque octo millia passuum à Castris distantes Germanos pedites, & quingentos Hispanos equites Sclopettarios collocant in insidijs in finitimis Syluis. deinde cum omni grauioris leuiorisq; armaturæ equitatu castris hostium circiter duo milia passuum propinquant. Benincorto tutiorem commoditatem à tergo relinquunt eligendi castra. enimuero cum ad Gallicana castra propinquarent, ubique ad arma conclamatum est; quod est eo consilio factum à Cæsarianis ut Gallos si exirent ad pugnam in insidias protraherent recedentes. Sed cum Cæsariani intelligerent Gallos in acie consistere intra aggeres, quod cognitum est per exploratores ratus Castalius se quantum ad existimationem Cæsaream spectaret, fecisse sine controuersia, credidit præstare ut suos incolumes ad delecta castra adduceret, quàm fortunæ uolubilitatem & inconstantiam cum multò inferioribus copijs experiri. Neque illud silentio inuoluendum duxerim hoc loco, quod Cæsariana castra tumultu non mediocriter replenit. nam cum Hispani liberius per agrum amicum crassarentur, ac non minus amicorum quàm hostium facultates diriperent, Vilvordius Antistes septem ex illis prædatoribus suspendio necari iubet, ad cæteros ab ijs latrocinijs deterrendos, & ab omni genere iniuriarum, quas in Incolas regionis inferebant, reprimendos. reliqui Hispani nonnullis Germanis sibi additis magnopere tumultuantur, omniaq; castra ira & indignatione replent. inde trecenti Sclopettarij Hispani relictis castris Namurium uersus iter capiunt, ubi Cæsar non satis ualebat. hi ui irrumpentes per Germanorum custodias Cæsarem adeunt. queruntur se non minus totius Hispaniæ, quàm propriam calamitatem dolere. nam cum tot hominum

Hispanorũ tumultus excitati.

millia

millia quotannis ex Hispania educantur ad omnia Cæsaris uota maximè propensa, pauci omnino ad domesticos lares quasi postliminio redeunt, cum omnes ferrè uel in bellis fortiter pugnantes cadant, vel morbo, vel diuturnis ac durissimis bellorum laboribus absumantur. neque tamen hoc sibi molestum uideri, sed potius gloriosum pro suo principe, & pro dilatanda gloria nominis Hispani, & finibus Imperij proferendis ista perpeti. Sed omnium calamitatum omniumq́ malorum illud vnum molestissimum accidere, quòd non solum armis hostium, vel arbitrio fortunæ, sed etiam immensæ Cæsarianorum ministrorum crudelitati ita sint impune expositi ut leuissimis de causis occidantur; & illud genus mortis præcipuè ferant quod plenum est ignominia, & non militibus, sed impuris latronibus debitum. istud se aliquandiu pertulisse æquo animo, sed cum non cesset ministorum crudelitas & sitis sanguinis Hispani, non uideri in immensum ferendum, cum septem sint suspendio leuissima de causa necati, tanquam perduellionis rei. Se petere suppliciter inquiunt à sua Cæsarea maiestate ut aliquo solatio à tanta ignominia, tantaq́ crudelitate subleuentur. iubet Cæsar illos ex urbe primum excedere, atque intra urbem & castra consistens respondit, se grauiter ferrè illorum imprudentiam & temeritatem qui contra disciplinam militarem omnemq́ reuerentiam Imperatori debitam ausi sint totum exercitum tumultu replere ut eius Imperatoris quasi ui iustitiam extorquerent, cuius fides & æquitas nulli unquam defuisset: cum multò magis decuisset pro ijs impetrandis, quæ optarentur, cohortiũ præfectos mittere, quorum oratio semper perhumaniter in eiusmodi opportunitatibus audita fuit. Atqui cum contra ius belli fecerint, totaq́ castra seditionibus repleuerint, etsi digniores sunt supplicio, quàm ulla humanitate, tamen pollicetur se causam cogniturum, ac neque illis, neque ulli iustitiam defuturam, quæ ad imperatoriam dignitatem spectet. iubet eos redire in castra. Hi partim intelligentes quãtum errorum comisissent quòd arma ita temerè sumpserint, partim læti abeunt propter Cæsaris promissa. Henricus capto Dinanto uires suorum

parmu

parumper refecit, qui annonæ penuria iam laborare cœperant. oppidum firmissimis præsidijs munit. omnia impedimenta in fines Galliæ transmittit. postea coniunctis duobus castris ad eam partem, qua Mosa fluuius labitur Namurium uersus Cæsarianis castris magis propinquat. Cæsar etsi per exploratores intelligit Gallum illud facere propter annonæ penuriam ut esset in loco ad excipiendum commeatum commodiore, tamen rebatur hostem eo consilio esse expeditum & sine impedimentis ut repente aliquam urbem adoriretur, ac uelle ita mutandis castris Cæsarianos è suis elicere, quo celeriter Namurio potirentur. idcirco Cæsar non solum aggeribus altioribus ac firmioribus, maioribusq; fossis castra curat munienda, sed etiam incæptum super colle munitionem perficiendã, quæ arci Namurij immineret. mittit ad quinque peditum millia Grandeo & Arembergensi regulis præfectis ad omnia finitima oppida munienda præsidijs, & diligenter custodienda; quo ad suam existimationem spectare Cæsar putabat, cum honorificum fore uideretur, ut ubicunque locorum hostes propinquarent, possent præsidia nonnullos ad minuta prælia emittere. nam Cæsari satis erat rem protrahere donec Germanæ, Busaterorũq; & aliorum populorum uires conuenirent, quæ uarijs è locis expectabantur: cum etiam Philippus princeps nõ paruam Hispanorum manum ad hoc bellum classe adueheret mox in Britanniam adnauigaturus. Sic igitur Cæsariani quid capturus consilij esset Henricus prospectabant rebus omnibus ad defensionem necessarijs comparatis. Gallus ad 14. Cal. Sextilis Dinanto castra mouit, quo die castra ponit circiter duodecim millia passuum à Cæsarianis distãtia, postridie ad quatuor miliaria, ita ut videretur omnino Gallus hostis ad Cæsarianos aduentare. Cæsar ad. 12. Cal. exit Namurio, totumq; exercitum in acie iubet cõsistere, cum ipse per alas equitum & peditũ agmina penetraret, omnesq; porrecta manu dextra perhumaniter hortaretur. Exorta est non mediocris lætitia ex eius præsentia, quòd eum nemo è militibus iam multos menses non uiderat, quare ingens salutatio facta est à sclopettarijs & qui fossas tuebantur, & qui constiterant

Henricus Namuriũ uersus castra mouet

Cæsar Namuriũ munit.

Cæsar Namurio exit in apertũ, & Henricum insectatur.

stiterant

Binsium oppidum côcussum Hérico se dedit.

stiterāt in acie. at uero paulo post nūtiatur Gallus castra mouisse Binsium uersus, ubi erant in præsidijs tria uexilla inferiores Germaniæ; quod oppidū die postera ut illuxit duodecim muralibus tormentis concuti cæptū est. illud quanuis satis erat munitum ad sustinendos hostium conatus, cum haberet regiū palatium cum amænissimis hortis à Maria Regina extructum Maritimontum uocatum. tamen oppidani non diuturna oppugnatione neque difficili expectata sese Henrico dediderūt seruatis hominibus & supellectile. quamuis Cæsar hostem sequeretur eo consilio vt suppetias mitteret Oppidanis sicuti per bombum significauerat tormentorum. Sed hoc idcirco euenerat, quia custodia rei militaris imperitis ac tyronibus concessa fuerat oppidorum & munitorum locorum; cum sæpe imperitis res huiusmodi soleant contingere. Henricus illo oppido potitus Regium palatium, totumq; pagum Folembriū flammis absumpsit, fructiferasq; arbores excidit memor eius loci, quem consimilis pulchritudinis Cæsariani in regione Morinorum igni deuastauerant. inde Binsio profectus Henricus longis itineribus ob rerum victui necessariarum inopiam, cum parum annonæ ibi, ut in oppido exiguo reperisset. ad Canoum igitur munitum oppidum omnibus rebus ad defensionem necessarijs in finibus Galliæ peruenit, cuius oppidi præsidia non magnopere Gallicos conatus formidarent. Gallum Cæsar Baueſium usque sequitur, quod oppidum distat à Canoo circiter duodecim millia passuum, quòd ab incolis relictum Galli flammis absumunt. Henricus ad Octauum Cal. Sextilis circiter tertias uigilias cum prima parte exercitus atque agmine ad tentandum traiectum contendit distantem a Canoo ad quatuor millia passuum, atque posterior agmen sub auroram sequi iubet. Istud consilium Cæsari die iam illucescente nuntiatur, & quòd postremum agmen inordinatum multis impedimentis ac tentorijs in via relictis procederet. Cæsar his cognitis ducem Sabaudiæ & Castalium & Antonium Auriā & Benincortum cum omni equitatu & quingentis sclopettarijs Hispanis equitibus extremum agmen hostium insequi iubet, ipse ad octauam horam noctis cum omnibus copijs castra relinquit,

Henricus Binsiū totumque pagū flāmis absumit.

Bauesio oppida concremato Henricus Canoum côtendit.

Dux Sabaudiæ, Castalius, & alii Henrici cum insequuntur.

relinquit, Canoumq́; sub meridiem peruenit, quod multi ex equitibus expeditioribus nuntiatum recurrunt, qui hostes minutis pralijs retardarant, postremum agmen hostium substitisse non procul ab eo difficili traiectu, & cum plurimum abesset prima pars copiarum atque instructa acies, quæ ob loci difficultatem suppetias ferre non possent, percommodum fore hanc partem exercitus fundere. At uero rerum militarium peritiores, prudentioresq́; non ita commodum neque tutum fore censebant ob iniquitatem loci hostem inuadere, cum multi tumultuarij põtes excitati fuissent, quo illi periculo, quod imminebat, se subducerent: quare etiam constiterant in acie inituri pugnam, si res ita postularet, qui tamen in tutum, cum uellent, se possent recipere. his accedebat quòd ob multitudinem situmq́; loci, quem occupauerant, Cæsariani non poterant eos conuenire, nisi per apertam planitiem, quod erat omnino periculosum. in tanta consiliorum uarietate anceps Dux Sabaudiensis vlterius processit. atque non procul à Canoo Duces ad consilium conuocauit; quod quidem consilium tardum fuit, quia non semel euenit, ut post euentum cosultetur, quia cum consultatur subterfugit rectè agendi opportunitas; & in uarietate ingeniorum magna plerunque differentia est sententiarum, cum omnes conentur ne uideantur nihil sciisse. nam profectò multa sunt ab ipso imperatore copiarum necessario decernenda uel si cum nemine consultarint, qui non minus prudẽtia & celeritate ingenij cæteros duces debet antecellere, quàm imperio & autoritate, & in ijs præcipuè rebus quæ spectant populorum regnorumq́; conseruationem. tunc enim male agitur cum opus est Imperatori multis consultoribus, qui certè tanquam testes optimorum consiliorum, at non ut adiutores plerunque debent adhiberi. Homerus idcirco non solum poetarum sed etiam hominum omnium diuinissimus & optimus imperator solum Iouem facit vigilare dijs reliquis omnibus dormientibus, atque solum secum perpendentem quo pacto res tractandæ sint. Aliquando enim accidit rei b-ne gerendæ opportunitas, in qua opus sit celeritate conficiendi, quæ nisi repente arripiatur, inter

consultandum tanquam nebula è manibus elabitur. Sic Sabaudiensis cum iuniores ut imperiti rei bellicæ & pugnæ aui di putarent se facile hostem superaturos, peritiores cognita rei difficultate censerent à pugna abstinendum ne totus equitatus fortunæ arbitrio committeretur, in quo tota vis Cæsaris consisteret: quia siquid aduersi contigisset, eodem prælio de tot regnis ac prouincijs dimicabatur, quæ omnia fuissent à Gallis uictoribus breui occupata. cum ita sententiæ uariarent, omnes tamen dimicandum omnino decernunt; sed rem prudentius esse protrahendam censebant, donec hostium copiæ fuissent diligentius exploratæ. atque cum in planitie situm sit Canoum, quæ porrigitur in duo millia passuum occasum uersus, in extrema parte eius planitiei locus est paulo editior in collis formam; super quo uisæ sunt à Cæsarianis quinque Gallorum equitum turmæ, cum duæ etiam parum ab illis distantes in humiliore parte visæ fuissent constitisse. omnes autem hæ ad septem millia equitum continebant, ut cognitum est è captiuis, cum quibus erant quatuor millia peditum. Galli propinquantibus Cæsarianis in eo loco consistunt, atque omnes in unum conglobati sese in edita parte ostentãt. Non procul ab eo colle alius erat collis eminentior, cuius pars decliuis ad difficilem fluminis traiectum attingebat; sed ad collis radices descensus erat equis asper & perdifficilis per quoddam spatium, quam difficultatem fluuius statim excipiebat, cuius amplitudo non erat maior decem passibus, profunditas unius cum dimidio. erant fluminis ripæ ex utraque parte ita sublimes, quanta erat ipsa latitudo, ut natura fossam militarem munitissimam fecisse in eo loco videretur. ubi vero traiectus fuisset fluuius uallis palustris excipiebat post stadij spatium, in qua collis erat editus, super quo, tanquam nubes Gallicæ acies procul aspicientibus apparebant, à quibus plurimum distans primum agmen uix concerni poterat. præfectus itaque extremo Gallorum agmini ubi vidisset Cæsarianos adaugeri, turmasq́. equitum, quæ accedebãt Canoum, ita se in tutum recipit. reliquit alam extremorum equitum conglobatam tantæ latitudinis, quantæ frons erat omnium turmarum,

Canoi descriptio, ubi uterq; exercitus castrametatur.

turmarum, ut idem aspectus Cæsarianis seruaretur, atque ita fit ut propinquum alterum collem ascendentes duplicatæ copiæ apparerent. Alarij qui in conspectu Cæsarianorum cō stiterant dum pugnaretur leuibus prælijs rariores fiebant, at que ita omnes sensim se prius ad eundem collem recipiunt, quàm Cæsariani sentirent. inde alas Cæsarianorum equitum despicientes, quæ non longe aberant, eodem ordine ad fluuium descendunt alas relinquentes quæ turmas equitum protegerent. Sic igitur à tergo alariorum descendentes mul tos sclopettarios collocant ad decliuem collis locum difficilem vt si res ista postularet suis opem ferrent, dum se in tutum reciperent. nam interea super pontibus qui subitarij iacti fuerant angusti copiæ paulatim traijciebant. Dux Sabaudiæ ubi alaribus copijs propinquasset, quæ adhuc super colle constiterant, ducit non amplius esse cunctandum, sed tentandum quo consilio, & quo ordine Galli uterentur. iubet ut equites & sclopettarij equestres in hos impetum faciant, ac reliquæ copiæ è vestigio subsequerentur. cum verò soli reliqui essent alarij, qui & ipsi cæperant descendere, ducenti equites Cæsariani in hos impetum faciunt, quos Galli strenuè pugnantes sustinent, seq; instructi ad subsidia sclopettariorum recipiunt; qui dum Cæsariani ardentius Gallos insectantur ex insidijs repente erumpentes, frequenti glandium plumbearum procella Cæsarianos diuerberantes tādiu illos retardarunt vt alarij & ipsi descenderint atque traiecto flumine alium in collem sese sensim receperint. Sed iam Gal licorum equitum turmæ in apertam planitiem profectæ non amplius vexari, nisi magno Cæsarianorum incommodo poterant, cum frequentes sclopettarij in proximis collibus constitissent, qui facile inuadentes Cæsarianos Gallicum equitatum & glandium procella, & omni tormentorum genere impeterent. Philibertus Sabaudiensis ubi illas inuadendi hostis difficultates uidit, suos reducit in castra. Nam profectò magna vis est copiarum in alio atque alio loco consistentium, quod nisi & à castrametantibus, & ab inuasuris spectetur, ductores copiarum in maximas difficultates inducit: cum

pauci propter opportunitatem loci multos sæpe profligarint: quod ipsum, spectādū est inuadendis urbibus aut extruendis quia locus est pro multis manibus strenuorum militum. cum nuntiatum esset Cæsari Gallos esse denuo Cameracum tentaturos castra posuit ad Canouum, deinde ad Buschiam pagum; qui ueritus ne ad ipsum Galli iter converterent iubet fossa castrensi profunda castra uallari, quæ alioquin erant in loco natura munitissimo delecta: ubi cum per triduum moratus esset, nuntiatum est rursus Gallum sese recepisse ad oppidum suorum finium quod chiatelum nominant. ea dum geruntur in finibus Belgarum, nullum tempus ac nullus propè dies sine prælijs in Thuscia transigebatur. nam ubi primum dies illuxisset ad tertium Cal. Sextilis, Cæsarianaq́ tormenta in opportunis locis collocarentur, quæ è uarijs oppidis finitimis attracta fuerant Strozzeanus exercitus fit propior. initur utrinque leue prælium ab equitatu & peditatu sanè atrox & cruentum, quod fermè iustæ pugnæ formam præ se ferebat. certatum est per spatium decem horarum. ceciderunt è Gallis plures mille & ducentis. è Cæsarianis paulo plures quadringentis desiderari. cum vero iam dies inclinaret, Strozza iubet cani receptui, suosq́ recipit in castra. atqui cum uterq́ exercitus propinqua inuicem castra posuisset, laborabatur aquarum inopia, pro quibus erat assidue dimicandū ubi uel homines uel iumenta opus haberent. nam & ob plurimas uictus difficultates, & propter quotidianos certaminum labores ob propinquitatem castrorum milites fatigati eius militiæ pertæsi cum etiam Gallica tormenta in edito loco sita Cæsarianos plurimum infestarent, paulatim è castris elabi, minui numerus cæpit, ambo exercitus debilitari. his difficultatibus ac periculis moti summi Duces liberalioribus stipendijs transfugas inuitāt. certatum est rursus leui certamine ad Cal. Sextilis, in quo tum equitatus tum etiam peditatus Cæsarianus superior non parum terroris Gallo iniecit. Marinianius ut liberius Gallicæ copiæ minuerentur proponi iubet edictum ut omnibus è Gallicis castris exeuntibus liber exitus & transitus daretur per agrum Florentinum; & si vellent

Prælium cruentum in Thusia iter Strozzeanum & Marinianium exercitum.

Stratagema militare.

vellent Cæsariana stipendia mereri, proponebantur Gallicis libentiora: quod ipsum pollicitationum genus etiam ampliatum est à Strozza. Enimuero cum nuntiatum esset Mariniano per exploratores Gallos noctu accessuros ad pontem Valiani Politianum montē versus, iubet copias in acie consistere ut hostem insequerentur. Sed cum Strozza mutasset sententiam, conceditur Cæsarianis ad tentoria recedere, & corpora curare. neque multum temporis intercedit cum è vicinis collibus apparent Gallica tormenta & impedimenta, quæ copiæ per debita interualla in singulis collibus consistētes sequuntur. nam Strozza multis Italis transfugientibus cum se hoste inferiorem uideret, sensim aciem in tutum deducere conatur: ita tamen ne fugere, sed etiam pugnandi facultatem hostibus ultro offerre videretur, quam putabat propter noctis propinquitatem deuitatum iri. at eius consilia à Cæsaranis cognita infringuntur, qui instructi nullo concesso propè temporis interuallo subsequebantur. Præmittuntur expediti sclopettarij qui terga & postremum agmen Gallorum infestarēt, ne iter liberum facerent, atque retardarentur donec equitatus Cæsarianus instruitur, qui ad Glanim fluuium aquatum iuerat. Strozza ut insequentes Cæsarianos retardaret, Italorum cohortem Martiani relinquit, ut dum hostis expugnando Martiano moratur liberum expeditumq́; iter haberet. atqui Strozza Folianum contendens præmissis tormentis semper editiores colles tenebat. præmittebat autem tormenta quo seruarentur si pugnare cogeretur. Sed absurdum est profectò sine bellicis tormentis iter facere cum præsertim hostis à tergo sequatur; cum illa plurimum possint non solum irruentes hostes retardare, sed etiam si audaciores fuerint ita prosternere & laniare ut liberius iter relinquatur. nam fugatis profligatisq́; copijs neque tormenta quidem seruantur, cum omnia facile ueniant in potestatem victoris. tormenta enim Gallica longo interuallo locorum præcedētia hostes à tergo insequentes infestare minime poterant; cum Cæsariani contrà duobus sagris, quod est inter campestria maius tormenti genus à frontibus collocatis plurimos è Gallis laniarent. deinde

de

de magnus globus sclopettariorum missus est ad vexanda terga Gallorum, contra quem etsi Cornelij Bentiuolij extremi agminis præfecti, militarisq; disciplinæ non ignari opera se Galli egregiè tuebantur, tamen plurimum molestiæ & damni capiunt. Marinianus cum ita præmissis sclopettarijs animos suorum confirmasset, qui nullo ordine hostem infestabant, aliũ ex alio collem occupans tormentorum opera tantum audaciæ suis auget, ut facile Gallos contemnerent, nihilq; magis cuperent quam collatis signis de summa belli dimicare. Sic enim plerunque fit in rebus bellicis, uti in cæteris fortunæ ludicris, ut cum quid vel parui ponderis ad res felices vel aduersas accesserit, facile immutet totum rei præsentis statum: quare nihil est tantopere formidabile amplissimis regnis, quàm principia infortuniorum, cum illa secum trahant postea rerum maximarum minam. ita verò Marinianus Gallum insequens suas acies instruxit, primos Germanos quadrata ferè figura locat. in sinistro cornu Hispanis præerat Ioannes Luna. in dextro erant Itali. at Sanctiflorius cum uniuerso equitatu in sinistro latere constiterat è regione Gallici equitatus ad radices collis uocati Muliebris. ita verò instructæ erant Gallicæ copiæ. Densum agmen italorum constiterat super colle Muliebri è regione Hispanorum, aliud Aquitanorũ & Gallorum, aliud Heluetiorum. equitatus in destra parte Cæsariano opponebatur, qui septingentorum sclopettariorum præsidio erat munitus. Habebat Strozza à fronte Martianum, Lucianum à tergo, à sinistra Folianum, à dextra alia oppida nonnulla. cum ita uterque exercitus in acie constitisset, essetq; animo dubio Marinianus an fortunam belli per eum diem experiretur, multis rationibus ab Hispanis præcipuè ducibus impellitur in eam sententiam, ut statueret pugnandum esse; quare dato signo pugnæ in extremum agmen Marinianus sese recipit. sic enim cum inuitus propè fortunam belli experiretur apparebat commodum fore siquid aduersi contingeret suæ saluti consuleret. sin res feliciter succederet, suos ad sequendam Victoriam hortaretur. accepto signo belli Sanctiflorius equitatum in Strozzeanos mouet, qui

bus

Ordo Mariniani exercitus Strozzam insequentis.

Instructus P. Strozzæ exercitus incedens.

Pugna atrox inter utrumque exercitũ.

bus praerat comes Mirandulensis fossam quandam productam per illam planitiem transiturus. Pugnatur acriter, sed Galli numero inferiores tum propter uim cataphractorum, etsi sclopettariorum praesidijs muniebantur, fugantur, funduntur q; quod accidit quia Bighettus cum pratorio vexillo statim inuadentibus hostibus terga uertit. illud cum celerius quàm credi posset accidisset, ueritus Sanctiflorius aliquas subesse insidias, non patitur primum ut sui sequerentur fugientes, uti Victoriae ratio postulabat. Sed cum deinde ueram, at non simulatam fugam comprehendisset, suis concedit hostem insequi. ea re cognita Strozza abiecta prorsus omni spe equitatus & pugnae restaurandae, cum Caesariani insequentes nullum firmandi cursus, aut consistendi locum concederent, cum intelligeret futurum, ut undique circunueniretur si in planitiem descenderet; sin consisteret, magnopere infestaretur tormentis hostium, atque obsideretur. decernit collatis signis fortunam belli necessariò experiri. Atque cum ita angustia loci postularet, tres suorum acies in una castra reducit cum nullus esset utrinque sclopettariorum vsus, qui in frequentibus praelijs leuioribus uniuersum puluerem sulphureum absumpserant, & uascula exinaniuerãt. consistunt Caesarianae acies aduentum & impetum Gallorum expectantes praesertim, cum Galli & Heluetij pedites intrepide & cum magna animi alacritate mouerentur. usi sunt fossae beneficio Caesariani, quae per ipsam planitiem satis profunda ducta fuerat, apud quam primum ordinem firmant. nam indicatum fuerat eos in magnas difficultates ituros, qui primi fossam pertransire conarentur, facilem q; uictoriam hosti concessuros propter ascensum & descensum. atqui cum maximae res propositae sint prudentibus ducibus exercituum gloria, imperium, salus subditorum, omnis q; humana felicitas, ij iure debent omnia quae spectant ad honorem suum, salutem q; populorum diligentissime circumspicere; & quae sibi utilia sint, si non possint assequi, ea certè neque hosti concedere; quippe cũ omnia hostiũ cõmoda in suas calamitates redundent. ad quam rem neccessario cognoscenda sunt suorum

&

& hostium ingenia, exploranda consilia, cognoscenda arma, spectanda ars instruendi exercitus et natura locorum; quorũ siquid parum cognitum neglectumq́; fuerit rem totam in maximum discrimen sæpius inducit. Nihil est enim tam periculosum quàm instructus aduersus hostem exercitus, quem res leuissima, & uel pertenuis inanisq́; rumor potest in fugã uertere. Sic igitur Galli, ut sunt pugnatia & prompta ad omnia pericula bellica pro gloria ingenia Gallorum, minime retardati fossæ difficultate, eò descendunt in Cæsarianos impetum facturi. primum agmen atque primus ordo præcipuè qui constabat è lectissima totius exercitus manu in fugam uertitur, quæ res uictoriam Cæsarianis cõcedit. nam sic postulante rei militaris ratione delecti & firmiores milites in fronte, & in extremo agmine collocantur, & ubi maius periculum extiterit; sicuti opportunitas insequentum copiarum, vel insidiarum, si quæ timeantur, ratio postulat. ubi collatis signis est dimicandum, nisi periculum instet à tergo firmiores in fronte constituuntur. eius fossæ difficultas Victoriam propè è Gallorum manibus ereptam Cæsarianis incruentam concedit, quamuis illi in Cæsarianos italos impetum facientes primum sinistrum cornu fuderunt. tum ueritus Marinianius ne eandem fortunam subirent uniuersæ acies conscenso equo in collem quẽdam editum à tergo totius exercitus se recipit, ut inde despiceret quo in loco res esset collocata. Mox intuitus aciem illam quæ sinistrum cornu profligarat hinc ab Hispanis, inde à Germanis, inde à Florentino delectu circumuentam, atque Hispanorum virtute præsertim impelli, qui eo die pugnarunt egregiè, redit ad suos ad prælium incitandos. sic Florentissimus Strozzæ exercitus paulo ante vniuersæ Hetruriæ formidabilis, qui mœnibus Florentinis imminebat, qui Florentinis oppidis stragem, captiuitatem, incendia minitabatur, ita breui fugientibus Italis fusoq́; equitatu eius fossæ causa afflictus & profligatus fuit, ut facile pateat quàm labili in loco sita sint res humanæ, quæ fortunæ arbitrio sunt obnoxiæ. Nam cum omnibus in rebus errores & deliria à viris in Imperio constitutis uitari conueniat

niat, tum multò magis in rebus bellicis; ubi vel paruus error imperatoris ruinas ciuitatum & populorum secum trahit. Cæsa sunt in ea pugna ad quatuor hominum millia. multi calore intolerabili absumpti, multi siti necatisq́ꝫ maiori ex parte Galli & Heluetij, nam ad quartum nonas Sextilis ea pugna commissa est. capta sunt circiter centum equitum peditumq́ꝫ vexilla: nonnulla campestria tormenta. uiui ex hostibus ad duo millia in potestatem Cæsarianorum uenerunt. ceciderũt insigniores Regulus Valeronus tribunus cum omnibus centurionibus & signiferis suis Heluetijs. Rouerocceus præfectus Germanorum qui erant cum Heluetijs. Ioannes Bentiuolius. duces Galli Tablasus, Combasus, Ioannes Villeus. multi ex Italis. omnes duces ac signiferi Germani. captus est Forqueus, Galeazzius Bentiuolius comes Galatinius, Paulus Vrsinus. duces Turchettus Brixianus, Agabitus Tudernitanus, Bartholameus Murena, & alij complures duces & signiferi. Post eam cladem acceptam Strozza & Aurelius Fregosus uir autoritate nobilitateq́ꝫ generis illustris glandibus uulnerati ægrè se ad montem Alcinoi recipiunt. at Cæsariani reliquias hostium insequentes sex muralia tormenta & nonnulla campestria capiunt ex itinere. atque istud prælium commissum est quarto nonas Sextilis. Cæsariani ea Victoria potiti confestim ad expugnandum Lucianum contendunt oppidum sanè munitissimum ac difficile, quod potuisset multos dies conatus hostium sustinere: sed oppidani fama recentis Victoriæ territi fortunam belli minime tentandam rati ultro se dedũt; quorũ exemplum secuta sunt alia oppida complura. atque hæc causa fuit cur Sena arctius obsessa facilius compelleretur ad deditionem. nam Sena urbs postea his difficultatibus est circumuenta; quod commeatus difficilius importabatur; quòd copiosius hosti suppeteret; quòd Cæsariani tutiùs obsiderent, qui nullum hostem reliquissent à tergo. His oppidis captis datum est tempus Cæsarianis ad curanda corpora, ad humandos mortuos, ad curandos uulneratos, ut expeditiores ad Senam obsidendam contenderent. Marinianus omnes captiuos quos habebat in ca-

Insigniores mortui in pugna.

Cæsariani per deditionem Luciano potiuntur, aliisque oppidis compluribus.

ſtris iurare voluit quòd intra annum arma Cæſarianis non inferrent: deinde liberali conſilio & humanitatis pleno, ut caſtra exoneraret, omnes liberos dimittit. dedit etiam præfectos qui ſingulas nationes ex agro Florẽtino inuiolatas & incolumes ad primos patriæ fines deducerent; edictoq; procurat ut tranſeuntibus commeatus ſuppeditaretur. Vix Strozza & Fregoſus ad montem Alcinoi peruenerunt, cum Altus comes præſidijs Luciani præfectus ibi præſto fuit poſt factam deditionem ſui facinoris ſubfrigidas & inſulſas afferens excuſationes, cur oppidum natura & arte munitum & rebus omnibus inſtructum turpiter deſeruiſſet, quod poſſet per multos dies defendere, atque impetus hoſtium honorifice ſuſtinere. Mox cũ Bighetto ſignifero prætorio equitatus cuſtodiæ traditus capitis condẽnatur. nã Bighettus uenit in ſuſpicionem occultæ proditionis, quia antequam ſuos cedere aut ſuperari uidiſſet, fugam arripuerit cum prætorio vexillo. Hoc autem iure factum uidetur, quia etſi carere potuit omni proditionis culpa illa certe nota carere non potuit quod ob timiditatem vniuerſum equitatum in fugam traxerit, quæ timiditas non ſolum turpis eſt, ſed etiam in præfectis & ſignferis calamitoſa, cum illorum munus ſit uel cæteros à turpitudine fugæ retrahere. ubi enim de ſumma, agitur, de ſalute populorum. de conſeruando imperio non ſatis honeſta eſt timiditatis aut inſcitiæ excuſatio: quòd illa æquè ac proditio multos in pernitiem trahat. ita fit, ut qui bellicis rebus imperitos præficiunt cum ſuarum rerum detrimento intelligant Gubernandi munus ſolis ſapientibus conuenire. at Alti comitis calamitatis cauſa fuit, quia illa impedimenta nonnulla ad montem Alcinoi portanda curauit; quòd ea re cognita uiſus eſt militibus iudicaſſe oppidũ non poſſe defendi, quare multi è mœnibus ſe demittentes ad fugam oppidum neceſſarijs præſidijs nudatum reliquerunt, vnde propè neceſſaria facta eſt deditio. ea dum agerentur inter Cæſarianos & Strozzeanos Ottomanica claßis perpetuus maris mediterranei ſtimulus ex Anguſtijs Byzantij egreſſa per Boſporum Thracium ad Chriſtiani nomis pernitiem primùm in appuliam, deinde ad ſinum

Altus comes, & Bighettus capitis condemnãtur.

Ottomanica claſsis Neapolitana oppida populatur, & Calabriæ littora.

Floræ

Florae uocatum applicuit, qui non multum distat à Neapoli oppidaq; agri Neapolitani uestam & Bestizzen uocata egressi turcae sub auroram inuadunt ac diripiunt, nihil neque sacrum, neque profanum relinquunt. ad unum oppidanos classe auehunt. mox ad Calabriae siue magnae Graeciae salentinorumq; littora adnauigantes, aliaq; loca mari adiacentia multos rursus capiunt, atque ante hyemem multa praeda, multisq; captiuis onusta Christianis sine sanguine & puluere classis Byzantium reuertit. Sub idem ferè tempus Franciscani Monachi Metis Aurelianae siue Diuoduri, cum eorum patria in potestatē Gallorum uenisset, ut diximus, illam in pristinam libertatem vendicare cupientes prouinciae comitiorum opportunitate freti, huiusmodi commentum excogitant. conueniunt cum Caesarianis ut ad statutum diem delectorum militum manus uestibus monachorum induatur, paulatim ingrediantur urbem ijs armis tecti, quae sub ipsis uestibus possent occultari. huius opportunitatis causa multa uasa vinaria sunt in vrbem introducta, quorum nonnulla erāt armis plena. ad statutum igitur diem Caesariani qui erant Theonuillae in loco non ualde distante, uenturi erant ad ferendum auxilium facinus ausuris. nam ubi ad arma conclamatum fuisset Diuoduri, existimabant futurum, ut Galli ad certamen exirent, quo tempore illi Caesariani, qui erant intra moenia, cum ijs qui Caesaris partes amplexarentur facile poterant eos excludere. tum caesis custodibus unius portae Hispani in insidijs collocati erant in urbem admittendi, sed res sub statutum tempus patefacta non parum molestiae monachis attulit, cum multis excidij causa postea illa res fuerit, atque hoc acciderat initio ferè mensis Iunij. Interea Philippus Hispaniarum princeps, quem diximus superius in matrimonium fuisse ducturum Caesaris iussu Mariam Britanniae reginam per stabilitas conditiones comparata classe octoginta onerariarū nauiū, & quadraginta nauigiorū praeterea uarij generis, quibus decem & octo Reginae, & totidem onerariae Belgicae accedebant, quae proxima maria percurrentes omnia litora tuta redditerūt. at uero in Ouictiam insulam, quae

Franciscanorum facinus Diuoduri ausum, et detectum.

Philippi ingens & speciosa classis ad Britānias nuptias nauigantis.

sita est è regione portus vuintoniæ, iam principes nonnulli consederant eius ordinis, quæ Grattiera uocatur, qui ordo est in Britannia primatum nobilissimus, ut is qui Cæsarianorum Tosorinius dictus est. ibi erant principem Hispaniarum excepturi, inter quos fuit Milordus Pagettus comes Rotolantius, Milorius Ponsquater regij arary magister, Milordus Prinsellus Randesius. Hi non solum preciosis uestibus usi sunt, sed etiam magnificentissimo nauigij ornatu, quippe quod & preciosis tapetibus & aureis textilibus ornatum cum Throno regio luxu apparato, agebant. illud à multis remigibus viridi candidoq; indutis impellebatur, quæ coloris uarietas peculiaris est reginæ. illud subsequebantur decem alia nauigia aulæis textilibus cooperta, quæ insignium thalamorum egregieq; interius paratorum præ se ferebant. eò cum Philippus applicuisset in nauigium speciem cum throno paratum ab illis principibus magna hilaritate accipitur, Vuintoniamq; nauigat. eò ubi uētum est ingens facta est salutatio displosis pluribus tormentis. atque egresso principi cum Regulo Albano, Antonio Toletano, Petro Padiliæ, Ruigomeoq; principibus, alijsq; multis insignibus proceribus, fit obuia magna Britannicorum procerum manus salutantium gratulantiumq; pro felici aduentu, quos paulo post subsequebatur Brunus regijs stabuli præfectus equum gradarium gemmis auroq; multo ornatissimum adducens niuei coloris cum regio operimento, eum conscendens Philippus templum Vuintoniense adit, gratias agit Deo quod se incolumen ad ea littora perduxisset: mox ad palatium preciosis eum auleis sericis multo auro intertexto ornatum deducitur, in quo plurimi erant thalami magnifice parati, sed præcipue Philippo assignatus regali splendore ac magnificentia. dum Philippus ibi moratur Hispani proceres exeunt è nauibus, inter quos primarij fuerunt opibus & nobilitate insignes dux Mediolì, comes Sardiniæ, & Agamontius, & Amiras castellæ, & Marchiones Valiæ & Aghillaræ, alijq; nonnulli. at verò ad lætitiæ signum multi ignes ubique accenduntur

sub

sub noctem ; displodantarq́ tormenta complura . postridie eius diei cum ad sacras ceremonias accederet Philippus , à multisq́ Britannis proceribus salutatus esset , aegerrimè ferri captum est , quia ad nullius salutationem capitis operimentum honoris gratia detraxisset , vt mos est Hispanorum Regum . quare nata est apud eos populos insignis superbiae Philippi opinio , & contemptus Britannorum procerum : quod maxime omnium debet à principibus deuitari . atque cum postridie Camalodunensis episcopus à Regina missus de rebus omnibus cum Philippo communicasset , mox missa sunt munera ad reginam gemmae nonnullae insignes infiniti propè precij . ea dum geruntur vuintoniae multi alij principes Britanni conueniunt ad Philippum principem salutandum , dum regina Camaloduni , quae urbs distat à vuintonia circiter decem millia passuum praestolatur . obuiam missi sunt duodecim gradarij equi mirae pulchritudinis , multoq́ auro & argento ornati , inter quos alter fuit candido colore purpureis ornamentis , auroq́ picturatis insignitus , gemmisq́ intertextis , qui Principi assignaretur . accessit ad Principem & Pembruchus regulus cum trecentis equitibus nobilibusq́ ciuibus eius insulae ; neque ullus dies uacuus praeteribat , quin nouae salutationes magnaq́ multitudo ad principem confluerет . ubi uerò postea iter captum est Camalodunum uersus , praecedunt centum arciferi equites , ac totidem pedites cum arcubus & pharetris , purpureo colore induti , argentoq́ in fibularum morem intertexto . his succedebant alabardiferi flauis induti purpureis limbis funiculis candidis assutis , atque hi peculiares erant principis colores . Philippus gradarium insigniorem ascendit , reliqui sunt proceribus primarijs concessi : tum processit Princeps ipse , quem innumerabilis propè principum & nobiliũ multitudo sequebatur . cũ ad mille passus distaret adhuc à Camaloduno, obuios habuit ad quingentos Britannos ; atque ad portã urbis progressus obuios habuit omnes regios magistratus purpureis togis talaribus indutos, qui urbem ingres-

Philippi regis pompa ad Mariam procedentis.

so iurarunt se fidelitatem illi seruaturos; atque in palatium non procul a regio distans deducitur. tum Philippus templũ urbis augustius accedit, cui episcopus sacerdotesq́ omnes cũ infulis fiunt obuij. eum sub umbella purpurea picturata argento fulcris ad altare maius adducunt. peractis precibus, gratijsq́; actis ad palatium reducitur, atque paulo post ad ui sendam Reginam profectus cum ea collocutus est aliquandiu, quod non semel fit. deinde statuit ut quatuor Hispanorum millia quos secum in eam insulam aduexerat abscederent, & in Belgicam regionem classe exponerentur ad Cæsarem, quod etiam Britannis pergratum fuit, cum tot exteros homines esse in suis urbibus agrè ferrent. interea tabulatum subli me ex asseribus construitur in augustiore templo, multisq́, & aulæis & preciosis tapetibus vestitur è regione maioris altaris, atque ibi duæ sedes cum regia magnificentia. ubi dies statutus ad sponsalia accessisset, qui fuit ad. VII. Cal. Sextilis prior accessit eò princeps cum Hispanis proceditur multis margaritis & gemmis conspicuus; & paulo post Regina templum petit cum regia pompa micãtibus undique uestibus preciosis lapillis insignibus, quam longo ordine stipantes Britanni episcopi & proceres subsequebantur: præcedebant uero ad viginti tubicines, atque post hos regia insignia præferentes. eò ubi uentum est, post preces ambo sedes paratas adeunt, à quibus per breue interuallum distabant Cæsaris, & Romanorum regis legationes, & venetorum, & principis Hetruriæ, & aliorum principum nonnullorum. Camalodunensis paulo post sacris uestibus indutus quinque comitantibus episcopis tabulatum ascendit, qui priusquam ad propria negotia regum veniretur contractas nuptias, quarum causa rex uenerat in Britaniam pronuntiauit. quare siquod legitimum impedimẽtum quis esse intelligeret, rogatur ut illud palam pronuntiet. vndique conclamatum est nullum videri. id vbi auditum esset, Figaroa regulus priuilegium Cæsaris obtulit Hispaniarũ principi, in quo Rex Neapolis declarabatur, cum multis alijs regnorum titulis & honoribus, quibus filius à patre donabatur. atque hoc iure factum est, ne regina illi principi

Dies statutus ad spõsalia.

nupsisse

nupsisse videretur, qui honore & dignitate titulorum esset inferior. ea cum publicè episcopus recitasset, mox subiunxit nuptias inter reges absentes contractas verbis, mox re ipsa confirmandas esse, atque hoc ab utrisque affirmatur. tunc autem ad regem conuersus eum rogat an Mariam sponsam habere, eam gubernare, in omnes fortunæ euentus protegere, ea sola muliere, quæ sese ac suum regnum in piam potestatem traderet, esset vsurus? qui respondit se ita facturum. rursus rogatur regina an eadem confirmaret, quæ se ita assentiri respondit. postea sacratis annulis manum reginæ vno è primariјs Britannis tenente annularis digitus à rege duobus præciosis annulis induitur. postea rex à sinistra, regina à dextra in suis sedibus residerunt dum sacra ab episcopo celebrantur, cum ad exosculationem pacisq; ceremonias uocatæ ventum est, rex ad reginæ sedem accedit, illi benedixit, atque exosculatur. peractis sacris denique uinum & panis bis coctus allatum est reginæ. quæ cum gustasset pro more Britannico ad regem mittit, qui & ipse gustauit. His ita actis quatuor Araldi ad altare accedunt, quorum vnus è sublimiore gradu ita pronuntiauit; Philippus & Maria dei gratia Britanniæ, Galliæ, Neapolis, Solymorum, Hiberniæ Rex & regina, fidei defensores, Hispaniarum & Siciliæ principes, Archiduces Austriæ, duces Mediolani, Burgundiæ, Brabantiæ. comites Hispurgiæ, Flandriæ & tyrolis, &c. testibus nobis apud Deum, annis regnorum nostrorum primo & secundo. his peractis receditur quo uentum erat ordine; atque Rex ad palatium peruenit, dum mensæ parantur. structa est autem regalis in amplissimo loco editior cæteris in loco sublimore cum aureis sedibus, iussus est honoris gratia & beneuolentiæ regiæ mensæ assidere & episcopus Camalodunensis. quæ verò erant in inferiore loco tres paratæ sunt mensæ magnificentissimæ, quarum uni assidebant legationes, alij proceres Hispani, tertiæ multi duces & matronæ Britannicæ. Philippus Rex sub finem prandij Britannos proceres honoris gratia poculo prouocauit, at Hispanos regina. deinde remotis mensis datur opera tripudijs & choreis, delectatiq; sunt

sunt proceres omnes, donec inter conuiuia & choreas dies celerrimè elapsus nocti locum dedit. Quæ dum celebrantur in Britannia parum animum Cæsaris attingunt grauibus bellorum curis implicatum: nam is pridie nonas Sextilis Cameracum se recipit, dum Henricus per Artesiam regionem ad urbes maritimas iter habet, ita vt non maiori spatio sexdecim millibus passuum à Cæsare distaret. atque dum Henricus ad tentandam expugnationem Rentini se accingit, Cæsar Lilar adit, quod inde ad uiginti & quatuor millia passuũ distat; postea iter faciẽs octo miliariorum non procul ab Era castrametatur, vnde ruinæ Teruannæ prospici poterant. cum illo die in acie constitissent Cæsariani; Cæsar mittit exploratum situm cuiusdam collis, ultra paruũ & ignobilem fluuiũ, qui neq; valde latus neque profundus Rẽtinũ præterlabitur. deinde sequenti die cum præmissi equites collem ascendissent, atque occupassent ex ea parte & Rentinum, & nonnulla prospectabantur Gallorum tentoria, qui cum primum illuxisset arcem uiginti & sex ingentibus tormentis cannonibus uocatis diuerberant incredibili strepitu & fragore. Cæsar super eo colle castra posuit, quem exploratum miserat. atqui cum Rentinum sit in quadam ualle situm tribus collibus cingitur. quorum duos gallicæ acies occupauerant; cum Henricus & Conestablius super colle ad occidentem spectante essent castra metati ultra fluuium cum maiore parte equitatus & peditatu: quod esset significatum Cæsarem misisse exploratum locum vltra flumen. neque enim passurus videbatur Rentinum sine prælio occupari, quare vel totum diem in ea parte constiterũt in acie. super altero colle cum Germanico Heluetioq́. peditatu castrametatus fuerat Vandomus. flectitur is collis in lunæ semiplenæ formam, sinistroq́. cornu oppidum complectitur ad meridiem, vbi tentoria erecta fuerant Heluetiorum, & Germanorum, & nonnulla bellica tormenta. dextrum cornu, cuius extrema pars est frequentibus ac proceris nemorum arboribus occupata, oppidum claudit inter meridiem & orientem; quo latus à quingentis sclopettarijs Gallis custodiebatur. Cæsar super colle inter orientem & septentrionale latus

Henricus Rentinum in Belgis diuerberat.

Gallicus instructus exercitus Rentinum obsidens.

tus castra posuerat, qui collis à tertio latere oppidum claudit, distatq́; circiter duo millia passuum, cum cæteri non plus inuicem distent quadringentis passibus, aut etiam minus. Erat hic collis valde incommodus ad ferendas suppetias, quia uallis esset angusta, per quam erat transeundum, arboribusq́; multis consita; ubi constiterat Gallicus equitatus, & equestres sclopettarij. colles præterea quamuis non erant ab utraque parte toti occupati à Gallis, tamen ubique custodiebantur diligenter, ubi multæ locatæ erant vigiliæ. Cæsar cum intelligeret nemus sibi necessariò esse occupandum quod erat à sinistra, alioquin nihil utile posse confici, frequentem manum peditum mittit ad illud occupandum. sed Gallus ob loci opportunitatem Cæsarianos facile repellit, qui infecto negotio redire coguntur. certatum est eo die leui prælio ad eum collem, & in ipsa valle & ultra fluuium, in quibus prælijs Gallus maiorem cladem passus est. At Gallus etsi Cæsarianos omnes in aciem instructos intuebatur, frequentiaq́; certamina, quibus sæpius commissis pugnabatur; tamen nihil de animi constantia remittit, sed multo etiam acrius quàm antea, maioriq́; impetu Rentinum concutit. atqui cum inclinatus iam esset dies tormentaq́; nimis incaluissent propter diligens uerberandi studium; (deuitandum est enim per æstatem præcipue ne disrumpantur propter assiduitatem uerberationis, quæ vel aceto exterius refrigeranda sunt, vel cessandum donec frigescant.) intermissa est verberatio, quare suspicatus est Cæsar Gallos esse oppidum inuasuros. inde cum iussisset exercitus hostium explorari, nullus uel armatorum vel sclopettariorum strepitus audiebatur. interea missæ sunt literæ ab oppidi ipsius præfecto clam ad Cæsarem, quibus significabatur ita propter minas murorum apertũ esse oppidum ui tormẽtorum, ut nemo tutò posset in eas ruinas accedere. cui difficultati accedebat etiam annonæ penuria. una tamen re se adiuuari quòd fossa ita esset profunda, ut neque fasciculis lignorum repleri, neque aqua auerti posset quin semper altissima relinqueretur. his accedebat quod laterum defensiones ita essent protectæ ut neque disrumpi possent, neque impediri: se ideo

Certamen inter Gallos & Cæsarianos.

defensurum esse donec aliquid superesset annonæ. erat autem
Rentini figura. *Rentinum figura quadrata, cuius in angulis erectæ sunt turres vel potius arces munitissimæ, quarum duæ lateritio muro uestiuntur, duæ & interius & exterius terra plenis. atqui turres casas habent terra repletas, quæ ita artificiosè proteguntur ut concuti non possint. fossa cum altissimis aquis amplissima est, quippe quæ ad triginta & amplius passus dilatetur: plateamq́ interiorem habet peramplam ad struendas reparationes si opus sit, aptam. Cæsar per obscuritatem noctis iubet mille Hispanos ac totidem Germanos cum expeditissimis equitibus auxiliarijs interulis indui supra arma; & ad occupandum nemus proficisci: qui cum adorti essent negotium denuo repelluntur paucis vulneratis: postridie eius diei cum primum illuxisset rursus cœptum est oppidum ingenti ui tormentorum concuti & prosterni. Cæsar nemus unde toties repulsus fuerat omnino occupandum ratus, primum tormenta dirigit; deinde instruit exercitum, atque præmittit omnem Hispanum peditatum ad prospectum hostium sub meridiem. præmittit & Reggimentum Germanorum, quibus præerat comes Megensis, ad id expugnandum. tantus verò ardor, tanta cupido, tantum fuit Hispanorum desiderium delendæ notæ, quam ex illis repulsis contraxisse sibi videbantur; tanta Germanorum contentio, ne celeritate, studio & arte pugnandi apparerent Hispanis inferiores, vt certatim in nemus irrumperent. atque quamuis Galli acerrimè diu restitissent, tamen denique cedere coacti sint, cum fuissent cæsi plures quingentis, è Cæsarianis paulo plures trecentis sunt desiderati. Henricus ubi suos se recipere sensit statuit ut omnis ferè exercitus in castra vandomi transiret, atque dum pugnaretur adhuc in extrema parte nemoris ad tentoria Helvetiorum ab ijs equitibus, qui se paulatim ab ipsa valle, in qua fuerant castrametati, recipiebant Galli consistunt in acie primo agmine paulatim nemori propinquantes. nuntiatur Cæsari nemus à suis esse occupatum, quòd Galli ad fugam prospectarent, quòd eo die regem captiuum haberent. tanta est uis adulationis, ut quæ libenter audiri à principibus quisque*

Prælium diuturnum & cruentum.

quę existimat sæpius tanquam somnians, vel nulla ratione suffultus effutire consueuerit. at Castalius cui nota esset uis Gallica, & qui bellorum euentus sæpius expertus esset tunc verè posse dici occupatum esse nemus respondit, cum Cæsariani perseuerassent eo defendendo. quòd exitus fuga Gallorum solus esset uerus testis. Ferrandus Gonzaga qui & ipse erat in castris persuadet Cæsaris vt sex campestria tormenta, quæ Smerilij uocantur, & duos uocatos Falconettos mitteret ad infestandos globos Gallorum, qui iam nemori propinquarent. his addidit, quòd nisi subsidia Hispanis & Germanis nemus defendentibus submitterentur, futurum erat breui ut funderentur. Cæsar iubet aduehi tormenta. mittit duodecim vexilla Germanorum Nansoi comitis, & trecentos Germanos eius ordinis, quos Ferrarolos uocant. Hi etsi primis conatibus formidabiles videntur propter breuium sclopettorum multitudinem, tamen si cum acie militum ordinaria congrediantur, breui & nullo propè negotio ostenduntur inutiles; cum incursionibus potius & prædationibus, & latrociniis quàm ulli gloriæ militari sint apti. Galli cum illi accederēt, qui mittebantur à Cæsare artificiose cedentes, permittebant vt turma & frons equitatus pluribus adiunctis condensaretur, quare cum trecenti illi cursores Germani ad Gallorum conspectum accessissent, in Cæsarianos impetum faciunt; quos cum cursores ob breuitatem sclopettorum sustinere non possent vt cæteri milites, sese ad radices nemoris recipiunt. Galli ueriti ne plenum esset nemus Hispanis sclopettariis, ubi propinquassent nemori consistunt. Germanicus equitatus ante omnem aciem consistens præstolatur quò tenderent Gallorum consilia, cum parum distantes & ipsi constitissent. at uero trecenti illi denique citatis equis cum breuibus sclopettis in Gallos impetum faciunt, in quo certamine propter iniquitatem loci quinque è nobilissimis Gallis cum equis præcipites ceciderunt; quos vt capere Cæsariani niterentur, Galli cum densissimo globo equitum irrumpunt in Cæsarianos. at cursores displosis breuibus sclopettis nullo alio telorum genere se defendentes cum nihil illis reliquum esset præter gladios inuti-

 les

les prorsus aduersus armatos equites, ita uertuntur in fugã, vt neque Gonzaga, neque Sabudiensis quidem Dux eos potuerit ad restaurandum bellum reuocare: cum omnes misti cum Gallis insequentibus & cadentibus pro viribus equorum recurrrerent. alia eorum pars ad nemus compulsa est, alia quæ iter tenuit inter nemus & vallem inferius ad extremum usque nemoris fugatur, ubi duodecim cohortes Nansoi constiterant: Illi ubi non solum milites in fugam uersos, sed etiam præfectos vident, & Gonzagam præsertim qui ipsos adduxerat, in fugam & ipsi vertuntur. id vbi cognitum est à Gallis, in hos etiam impressionem faciunt: ad trecentos trucidant, vexilla diripiunt, & quatuor tormenta abducunt. ita profecto res humanæ se habent, ut tanquam vetustate & senio dehiscentium ædificiorum totum pondus & onus in eam partem incumbat, quæ fuerit debilior. sic res bellicæ in utram partem declinauerint ob aliquem imperatorum errorẽ, facile secum trahunt vniuersam molem ac reliquos fortuna euentus. quare non solum in rebus physicis sed etiam in bellis illud vere dici potest, quod actionum semina & initia parua sunt magnitudine, virtute maxima. sic Cæsar cum fessos iam diuturna pugnã Hispanos & Germanos & trecentos equites assiduè nemus tueri non posse non prospiceret, cum Galli non illis solum sed nõnullis equitum millibus possent resistere, nisi ualida auxilia equitatus et peditatus mitterẽtur, in eã et iacturam & dedecus incidit. ea pugna ad tertium idus Sextilis commissa, uterque exercitus se victorem appellat: Cæsariani ꝙ nemus occuparant, quod prætoriũ vexillũ ceperant, ꝙ nobilissimi nõnulli Galli cecidissent. Galli ꝙ cepissent quatuor bellica tormenta reportassent nouẽ vexilla peditũ, ꝙ multos è Cæsarianis fudissent ac trucidassent. Postea Cæsar vel illorum ipsorum consilio qui captiuum futurum Henricũ eo die prædicauerant, castra fossis munire iubet. ita ab utroque exercitu biduum occiosum transigitur. tertio die Henricus ipse nemus & omnia loca castris Cæsarianis proxima recognoscit. inde nata est suspicio ne Galli à tergo transirent, quare sese ad extruendas omnes necessarias reparationes Cæsariani accingunt,

gum. tum Galli in vniuersam nallem, & secundum ripam fluminis, & ad latera nemoris magnum sclopettariorum numerum collocant: in vallis umbilico magnam equitum turmam ac peditum aciem hinc acies ostentare, ad pugnam ciere Caesarianos, segnitiem exprobrare, nonnulli propius ad munitiones accedere, prouocare ad leuia certamina. Sed cum Caesar decreuisset nequis è munitionibus exiret, nihil eo die actum. Idibus Sextilis fumus plurimus in castris Gallorum excitatur, nam Rex per noctem iter ceperat, quem sub auroram reliqua pars exercitus est subsecuta. cum enim fuisset maxima densitas nebularum, nullus Gallorum motus poterat à Caesarianis animaduerti. Caesar ubi hostem abscendere sensit, neminem mittit ad insequendum, quamuis non deerant qui istud faciendum curarant & consuluerant: sed cum duabus alis cataphractorum equitum, & Hispano peditatu Rentinum uisit. Henricus etsi vniuersum murum inter duas turres ad occasum prostrauerat, tamen cum difficiles ascensu essent ruinæ in turrim prealtam tormenta direxerat, quæ breui constrata fuisset, ac delapsa oppidi plateam & bonam partem propinquarum domorum oppreßisset, de spe negotij cecidit. neque illud etiam confirmauit quod ex alio latere Vandomus murum maioris turris prostrauerat, & eum murum qui inter utranque turrim intercurrebat, quia latus terra plenum munitionis tam erat sublime, ut sine scalis omnino conscendi non posset. huius oppidi præsidiarij erant ducenti Hispani, ac octingenti Belgæ. paulopost Caesar Bruxellas, & Henricus quia exercitus iam esset defatigatus diuturnitate bellorum, intra suos fines se recipit. in Italia vero res non ita frigide successerant; quippe quia Marinianus cum satis ocij ad curanda corpora, & ad reficiendas uires suis dedisset, mox ad deuastandas segetes Senensium animum adiecerat, quos breui ad extremam annonæ penuriam induxit, Florentinisq́ concesit tempus opportunum colligendi frumenti. Atqui si consilium Strozzæ altius perpendamus, optimè ac sapienter totum negotium ille perpenderat, uideratq́ acutissimè quid utilitatis posset illa expeditio Henrico regi afferre.

Marinianius deuastat Senensium segetes.

Strozzæ consilium.

Norat

Norat enim futuram Victoriam eius belli penes illum, qui messes colligeret, viribusq; præstaret præsertim messis tempore; quare ab Henrico Rege copias eas postulauerat quæ possent hostem per Iunium mẽsem & Quintilem superare; quia si impreßionem fecisset in agrum Florentinum, futurum erat ut is ager duos exercitus uno tempore alere cogeretur, cum necesse foret Marinianio soluere Senæ obsidionem, copias contrahere ac liberas messes Senensibus relinquere. cum verò per reliquos menses Cæsariani offensurum bellũ essent gesturi, necesse erat ut diuturnis sumptibus grauati populi, annonæq; penuria laborantes, atque ægrè ferentes tam diuturnas calamitates desiderio tranquillitatis & quietis ad defectionem denique aspirarent: cum essent nonnulli alioquin Cosmo principi Hetruriæ ob memoriã veteris libertatis infensi. Nã post absumptas messes, & subiugatos pagos aut oppida in apto situ, facile fore apparebat paruis sumptibus sese ad defensionem recipere; quæ omnia rerum prædictarum exemplis cognosci potuerunt. At enim claßis Gallica quo tempore in Hetruria esse oportebat in Prouincia morata uniuersa Strozzæ consilia subuertit. cum enim circiter Cal. Iunij ad portum Herculis adesse oporteret, uidebatur par esse cũ præcipuè tantæ res agerentur, vt vel ante Cal. appelleret; quoniam celeritas in rebus bellicis maximæ est utilitatis, nisi cum rem diutius protrahendo certißima proposita est Victoria. Si claßis opportunè acceßisset Pistorium facile capi poterat, atque res Florentina erat in magno discrimine fugato & profligato Marinianio. sed cum auctæ fuissent Cæsarianorum uires nemine impediente, non solum Florentini messes collegerunt, sed etiam impediuerunt Senenses ne meterent. coactus itaq; Strozza se in agrum Senensem recipere passus est ipse necessariò eadem incommoda, quæ fuerat hostibus illaturus. Nam cũ duo exercitus in agrum Senensem se recepissent, deuastatæ sunt segetes nouæ, & quæ reseruatæ fuerant in usum belli, necessariò absumptæ. Hisce de causis eò redacta est res Strozzeana ut exercitus solueretur propter rerum omnium inopiam, vel cogeretur fortunam belli experiri, & signa conferre

re

re nihil erat enim aliud exercitum diutius sustentare, quàm annonæ reliquias prorsus absumere. rursus copias sponte dimittere, se ad defensionem retrahere, liberum agrum consultò hosti dimittere, manifestum erat detrimentum amissis iam messibus; cum tamen ob exiguam copiarum differentiam neque prelium iure esset deuitandum. Vix enim fieri potest ut par exercitus inueniatur omnibus prorsus adæquatis partibus, cum parua differentia nihili sit omnino facienda. Quòd si exercitus pugnando profligaretur, nihil magis capiebatur detrimenti, quàm quòd Senenses erant intra mœnia includēdi, quod ipsum fiebat sponte dimissis copijs. cum omnia oppida firmissimis præsidijs essent munita. atqui si tam loci ratio habita esset vbi commissum est prælium, si debitum officium Strozzeani præstitissent, patuisset profectò quàm rectè rem consuluerat. His ita gestis Cæsarianus exercitus Senam urbem validiore arctioreq́; obsidione cingit. Senenses, ut mos est plerunque obsessarum ciuitatum quæ tanquam male affecta corpora uomitum patiuntur, inutiles rei militari pueros & Senes & fœminas ex urbe expellunt, ne annona inutiliter absumpta facilius compellerentur ad deditionem. sed hos Cæsariani conantur in urbem retrudere. verum cum porta ciuitatis iam esset clausa, plerique inedia miserabiliter in fossa moriuntur. crudelissimum erat spectaculum ob famem, & sitim, & rerum omnium inopiam lugentes pueros, eiulantes mulieres, humi prostratos Senes misericordiam modo à suis, modo ab hostibus implorantes, atque inter ipsum sermonem, ipsasq́; preces cadentes videre. tum aliam munitionem ad portam Romanam Marinianius excitandam curat, incluso intra vallos & fossas castrenses atque aggeres cænobio monachorum Carthusianorum: at eam debilem tamen, cum neque fasciculi lignorum è longinquis regionibus commodè importari possent, neque terra ita esset tenax ut operi conueniret, cum sabuli & arenæ more deflueret. at verò ea munitione quantulacunque esset excitata, quæ saltem irruentium hostium impetum in castra retardarēt, præberetq́; aliquam munitionis formam & suspicionem, Marinianius ad expugnandum

Senæ obsessæ miseriæ crudelissimæ.

Marinianus montem Aionē oppidū diuerberat. gnandum montem Aionem oppidum munitissimum cum magna parte exercitus, & quatuor muralibus tormentis contendit, relictis Germanis in castris & nonnullis Hispanis, ac paucis Italis. Interea Senenses circiter initium septembris audito tormentorum bombo Montem Aionem verberantium rati id quod erat, esse debilia castrorum Caesarianorum praesidia armati circiter mille & quingenti exeunt ex urbe, commissoq; leui praelio subitario fossas castrorum nullo propè negotio pertranseunt ac superant, & in castra penetrant. non enim plures quingentis erant in castris praeter Germanos: atque maior pars fugam iam arripuerant. Germani constiterunt in acie, quod genus hominum aptius est stationarijs quàm expeditis & leuibus certaminibus. Senenses facillitate victoriae territi, uel quòd insidias ab alia parte urbis formidarent, vel quòd ita ferebat eorum fortuna, uictoriam è manibus elabi passi sunt: quia si paruis illis copijs profligatis, quod erat facillimum, Caesarianas uires imminuissent, non erat ita tutum postea Mariniano ad obsidendam urbem redire. uix enim cum diutius tubae inflarentur sexdecim equites inuenti sunt qui hostem repellerent cum paucis sclopettarijs. Neque illud facinus unquam laudabile duxerim conantem potentissimam ciuitatē obsidere ita distrahere exercitum ut inferior aut par efficiatur urbanis uiribus. Marinianus audito periculo, in quo tota res bellica erat constituta, continuò nonnullas cohortes in castra remittit, ipse non prius destituit expugnationem, quàm oppidum per deditionem acceperit; quod tamen nonnulli deditum ex composito à Ioannettino Zeto dixerunt simulata expugnatione cum nonnulla tormenta sine globis disploderentur. Marinianus in castra reuersus alias subitarias munitiones excitat in aliis locis, ita ut nihil commeatus nisi per summam difficultatem summumq; importantium periculum ingredi posset. Qui dum struendis munitionibus, claudendisq; aditibus commeatui studet in Thuscia aduersus urbem Senam, Brisaccus regulus cum pro regia autoritate summoq; imperio rei militaris in subalpina Gallia praeter Hipporegiam quam ceperat anno

Senenses egressi trucidant obsidentes.

Mōtis Aionis deditio.

Brisaccus subalpinā galliam inuadit.

anno superiore collecta magna manu peditū qui erant in præsidijs additis etiā subitarijs copijs, quas ex Gallia secum adduxerat repente Bugiellā urbē frequentē & amplā occupat, et oppidū Sancti Iacobi, & alia multa castella nō parui momēti, quæ mox firmis præsidijs munita facultatem & aditum ad res cæteras italicas inuadendas concederent. Nam quædam sunt castella quæ per se nullius sunt rationis faciēda, at carissima sunt & plurimi fiunt quia aditus patefaciunt in hostium regionem. Ferrandus Gonzaga tantum autoritatis nactus apud Cæsarem, tantumque beneuolentiæ, quantum nulla ratione videretur posse labefactari, partim quod eius felicitati inuideretur, partim quod priuatæ vtilitati nimis accuratè uisus esset studere, in maximas nonnullorum illustrium uirorum offensiones & graues accusationes apud Cæsarem incurrit: qui hoc tempore citatis itineribus ad eas criminationes diluendas citatis equis se contulit Bruxellas. Atque cum in demortui Istoniensis marchionis locum Mediolani gubernator missus fuisset cum summo Cæsaris imperio Ioannem Figarolam præfectum insubrum reliquit. erant viri illustres in quorum offensiones Ferrandus incurrerat Franciscus Tauerna uir Cæsarei sigilli magister inter insubres; Frāciscus crassus uir primarius, & Magistratus uocati Mediolani præsidens; & Ioannes Luna Mediolanensis arcis præfectus; & ex aulicis ipsius Cæsaris Dux Sabaudiensis, propter iniurias nonnullas, quas ille in Sabaudienses à suis militibus impune inferri passus fuerat. alijs de causis infensum habebat & Baptistam Castaltum, & regulum Rigiacū, & alios nonnullos, qui omnes aduersus Ferrandum conspirantes ita egerunt, ut ad suam defensionem aduocaretur. at Brissaccus in subalpina Gallia nemine resistente proxima quæque incursionibus & prædationibus vexat. Interea Reginaldo Polo purpurato antistiti per literas Philippi Regis & Mariæ reginæ significatur sibi per gratum fore si is se in Britanniam reciperet, ut eam prouinciam, quæ per tot annos à Romana ecclesia dissenserat, ad sanctam religionem & obedientiam reuocaret. Polus his literis acceptis circiter

Ferrandi Gonzagæ criminatio, & emuli infensi.

Card. Poli iter honorificentiss. in Britanniam.

citer idus nouembris Bruxellis discedit comitantibus Milordo Pagetto & Edoardo Aslingesio, qui missi fuerant ab illis regibus & à consilio Britanniæ ad eum ex aula Cæsarea adducendum. ille comitatibus ad cētum & quinquaginta equitibus Bruxellis Gādaunum & Bruges & Nouum portum prætergressus Grauellingam accedit, atque cum ad eum fluuium perueniisset, qui è montibus proximis Fonchbergæ ortus per sinuosa spatia delatus per sancti Omari oppidum prætergressus agrum Calesium à Belgico disterminat, obuium habuit Calesium Marescialllum cum magno equitatu ac pompa totius urbis Icij, qui antistitem in urbem Icium munitissimum Britanniæ propugnaculum adduxit; in cuius urbis ingressu ab omnibus magistratibus urbanis perhumaniter excipitur cū ingenti lætitiæ significatione, multis displosis tormentis æris campani tinnitu, noctu accensis ignibus paratis magnificentissimis ac regijs conuiuijs. cum postea nauigationis tempus apparuisset idoneum. ab Icio enim promontorio Motinorum, cesoniacoq; nauali non difficilis est traiectus in Britanniam nisi vis tempestatis repugnet; nauim conscendit faciliq; nauigatione usus Doueram opppidum in littore situm Britanniæ applicuit, ubi obuium habuit Episcopum Heliensem qui cum centum equitibus regio nomine gratulatum pro aduentu felici concessit. Hunc episcopum comitabantur & alij proceres Britannici partim ueteri necessitudine, partim affinitate cum Polo coniuncti. inde, cum aliquantulum conquieuisset, Cantuariam peruenit pluribus quadringentis equitibus comitantibus atque perbenignè acceptus, ubi primum postero die illuxit, gratias regibus acturum nuntium misit pro acceptis honoribus. in de Septimburgū Rocestramq; profectus Grauesindam peruenit, quod oppidum situm est in ripa Tamesis fluuij, qui è duobus montibus non procul à Glocestriæ utrinque ortus post aliquod spatium coniunctis aquis Londinū præterfluens in mare Germanicum ad Cantium promontorium deuoluitur. Ibi præstò fuit episcopus Dunelmensis comes Scerosberus, uir inter Britannicos proceres & opibus & nobilitate præstans cum maximo comitatu, qui primum

mum legatum regio nomine salutauit; deinde literas maiori sigillo regni consignatas obtulit. in ijs delebatur Henrici regis octaui Britanniæ exilium, unà cum confirmatione Odoardi, per quod exilium omnibus bonis & reditu in Britanniam in perpetuum priuabatur: cui sententiæ promulgãdæ honoris gratia præter morem eius regni reges ipsi affuerant. Cardinalis pro ea regum tanta in se liberalitate & munificentia gratias agens nauiculas sibi paratas conscendens cum multis proceribus Londinum versus nauigat, atque crucem insigne pontificiæ legationis in prora erigit. vbi Londinum appulisset obuium habuit regem ad portam palatij, at regina apud superiorem portam aulæ pro consuetudine insulæ exosculatur. sic igitur rex ad dextram regina ad sinistram habẽtes in palatium comitantur. postea mensæ assidens nam tunc reges prandere cæperant, pontificias literas legationis obtulit, quibus lectis paulo post prandium deductus est in palatium archiepiscopi cantuariæ comitante Albano & episcopo camalodunensi, & alijs multis proceribus. inter illam lætitiam celebratur cannorum ludus ad oblectandum animum reginæ, multaq; fiunt ludicra, vt fieri solent inter regias nuptias. at verò cum rex post tertium diem Cardinalem conuenisset honoris gratia põtificium diploma utrisque regibus oblatum est, in quo continebatur, quòd Pontifex uniuerso omnium delictorum eius regni veniam concederet Britannis, eosq; obliterata omni erroris pristini memoria in fidem & misericordiam & complexum sanctæ matris ecclesiæ recipiebat. Card. Poli aduentus Lõdini ad reges.

His cognitis Rex vbi à Cardinali recessisset iubet in palatium comitia indici, quod illi Parlamentum appellant, ut Germani diætas. conueniunt ad ea comitia viri primarij eius insulæ opulentia & nobilitate præstantes, qui sunt laici principes & sacrati antistites, & populares duo è singulis comitatibus, regni qui ab ipsis populis publico nomine deliguntur ad ipsa comitia. omnia primum à nobilibus consultantur, & decernuntur separatim à popularibus, quod ipsum populares faciunt seorsum à nobilibus. neque tamen validum aut ratum habetur quidquam, nisi quod Comitia Lõdinũ indicta pro religione firmanda.

ab utrisque ordinibus statutum confirmatumq; fuerit, quod ipsum necesse est ut rex ratum faciat. cum ab utrisque his comitiys decretum esset ut ad obedientiã pontificiã rediretur, atq; è quadringẽtis et quadraginta suffragijs uix duo fuissẽt repugnantia; actum est inter Polũ Car. & episcopum Camalodunensem quo pacto exequi oporteret, quod esset statutum in comitijs, & qua ratione pontificio nomine obedientia Polo concederetur. uisum est denique per supplicationem pœnitentiam erroris & scismatis esse declarandam cum adpromitteretur antiquandas esse, delendas, & obliterandas omnes leges aduersus autoritatem pontificiam latas. leguntur itaque literæ primum in comitijs ab Episcopo Camalodunensi publicè regij scrinij magistro, qui alta uoce pronunciat Cardinal. missum esse legatum à Pontifice ad Reges, atque recitat legationis iura & autoritatem. profitetur Cardina. se eadem fungi uelle legatione apud grauissimum sapientissimorum hominum concilium. his gratias agit, quòd sit per eorum munificas liberalesq; sanctiones in patriam reuocatus: quibus addidit se uenisse illis patriam cælorum non minus aperiturum per Dei clementiam, quàm illi sibi exuli aditum in patriam patefecissent. sed ante quam cœlum aperiretur opus esse impijs ac nefarijs legibus abrogari pristinorum errorum. cognosci miserias in quas inciderant à reliquo cætu Christianorum alienati. incredibile Dei in se beneficium, quod accepturi essent: & quantum ipsi Britanni præcipuè debent apostolicæ sedi esse deuincti. hortatur illos ad præteritorum errorum pœnitentiam; ad imbibendam gratiam, quam Deus sibi offerebat per suam legationem à suo Vicario; hortatur denique ad omnem præterita hæreseos memoriam obliterandam. At Camalodunensis scrinij regijs magister regum nomine, totiusq; concilij Polo gratias agit; quæ dicta essent à legatione summatim repetit, hortatur ad accipiendum beneficium, quod omnibus offerretur. iubet postero die frequentes conuenire ad decernenda quæ per legationem proponebantur. conueniunt frequentes. decernitur omnium consensu ut ad Pontificiam obedientiam rediretur.

Decretum in comitiis obtentum.

tur. pridie Cal. Decembris Philippus Rex iubet sacra Tosony ordinis celebrari in templo Diui Petri Vasmestrensi, quò conuenerunt omnes ordinis Garattierae nobiles proceres cum omnibus propè Britanniae praestantioribus. ubi post prandium frequentia comitia conuenissent, iubet Philippus ut Arondelus ordinis Grattierae magister cum nonnullis equitibus legatum ad palatium deducerent, qui habitu Pontificio accessit & cum Pontificis insignibus. huic obuiam Rex, & paulopost Regina procedit, quam mediam res à sinistra, Polus à dextra claudentes tabulatum regali apparatu instructum ascendunt, sub umbellisq; sedent. Sic comitiorum proceribus locus est assignatus cuique pro dignitate. ubi assedissent omnes paratiq; ad audiendum assisterent, Camalodunensis, uti Scrinij regij magister, regibus assurgens & legato Britannico idiomate recitat quae fuerant statuta hesterna die in comitijs de obedientia Pontifici praestanda. percunctatur proceres comitiorum an nunc eadem confirmarent. an vellent ut ad petendam veniam commissorum procederetur, & an cuperent in fidem atque amplexum Sanctae Romanae ecclesiae admitti. cum ab omnibus conclamatum applausumq; esset; porrecta est Regibus supplicationis formula, ut ijs intercedentibus veniam consequerentur. in qua, uti diximus perscriptum erat, quòd eos poenitentiae scismatis; & quòd obedientiam Sanctae Romanae sedi denegassent. Quòd veniam suppliciter à Deo sibi per Romanum Pontificem suum Vicarium. Quòd promitterent & iam concederent ut omnes leges, statuta; decreta contra primariam autoritatem eius sedis antiquarentur, rescinderentur, abrogarentur, & omnino tollerentur. qua formula publicè lecta reges consurgentes veniam pro vniuersis hominibus eius regni impetrantes ad sedes suas redeunt. legatus formula concessae sibi autoritatis publicè recitata, mox perbenignè praesentes omnes breuiter consolatur, & in eadem sententia confirmat. quòd plurima sunt diuinae clementiae beneficia in Britannos, quibus non solum concessum est, vt primi omnium gentilium Christianam & catholicam fidem

Formula poenitētię. indicta Britannis.

Legati oratio, & formulae executio.

complexi

complexi sint, & idolorum impurorum cultum vanasq; ceremonias reliquerint, Deumq; verum, & viuum, & omnipotentem coluerint; verum etiam vt post adulterinas religiones ubique scatentes, primi omnium mortalium qui his temporibus in eas incidissent, errores recognouerint, neque diutius in illis perstiterint. Nam profectò vix esse humanæ facultatis non elabi aliquando vel in maximos errores, cum Petrus ille fidissimus Christi comes & Vicarius, ut cæteros diuinos homines prætermittamus, neque præsente quidem Deo, cuius rebus admirabilibus & sermone eruditus fuerat, incontaminatam innocentiam seruare potuerit. at eum uirum bonum posse iudicari, qui vbi collapsus sit, errores sentit paulopost, hos tanquam accerrimos hostes salutis animæ deuitat. certam legē in animo sibi proponit pro viribus continentiæ, & religionis incontaminatæ, & verè iustitiæ seruādæ. Iudicandū eum esse Dei amicum, qui eius misericordia & clementia & tantis tenebris errorū, quantis Britanni tenebantur & opprimebantur, sit reuocatus; cum eas tantas caligines dispellere non sit humanarum virium sine ope diuina. Quòd si tanta lætitia fit in cœlis pro una anima recuperata, quantum gaudium est existimandum pro recuperatis tot millibus animarum Britannarum? his rationibus præsentium animi non mediocri repleti sunt lætitia; quibus ita dictis reges in genua procidunt, quod factum est ab omnibus reliquis. tum legatus pro autoritate sibi à summo Pontifice Christi Vicario concessa vniuersos præsentes & absentes eius regni incolas absoluit, liberat, & redimit ab omni sententia, censura, & pœna in quam inciderant ecclesiæq; restituit; quod facit in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. his ita actis disceditur ad regis palatium, cum multis musicis instrumentis te Deum laudamus hymnus decantatur. quibus absolutis Philippus per literas facit certiorem Pontificem de rerum ipsarum successu. atque Polus Cardinalis literas & ipse huiusmodi dedit ad Pontificem.

Card. Poli litteræ ad Pōt. Max.

Quæ superioribus diebus ad S.V. scripsi de illa spe quam ceperam, fore breui vt hoc regnum ad ecclesiæ vnitatem,

&

& sedis apostolicæ obedientiam rediret, etsi non sine magna causa scripsi, non poteram tamen non in aliquo timore versari: non solum ob eam difficultatem, quam afferebat nostrorum hominum ab alienata sede apostolica uoluntas, & inueteratum tam per tot annos eius nomine odium. sed multò magis quòd verebar ne ingressus ipse in causam, aliqua minus honesta pactione interposita turbaretur: quod quidem ne accideret, vehementer egi cum Serenissi. regibus: sed nihil sanè id necesse erat. vicit eorum pietas, ac rei perficiendæ studium, omnem expectationem meam vel maximam. hodie vesperi, quo die Sancti Andreæ memoria colebatur, qui primus Petrum fratrem ad Christum adduxit, diuina prouidentia factum est, vt hoc regnum ad præstandam debitam Petri sedi & S. V. obedientiam reuocaretur: quo per illam Christo capiti, & eius corpori, quæ est ecclesia coniungerentur. acta verò & confecta res est in comitijs præsentibus regibus, tanto cum omnium consensu & applausu, vt cum ego perorassem post benedictionem statim ab omnibus cum mirifica lætitiæ significatione acclamatum sæpius sit, Amen. ex quo plane perspectum est in his Sanctum illud semen, etsi diu oppressum, non tamen extinctum fuisse, quod vel maxime nobilitas declarat. Hæc reuersus domum ad S. V. scripseram, vt ei de tanta re tanquam feliciter diuino consilio gesta subitò gratularer, cogitans has literas regio tabellario dare, qui paulopost discessurus dicebatur. Postea verò mutata sententia cum statuissem certum hominem ex meis mittere, hoc tantum his literis addere volui ad gratulationis cumulum, eiusq́ lætitiæ gratulationem, quam cum maximam cepi ex ipsius rei euentu, omnium maxime tam Sanctæ tam vtilis vniuersæ ecclesiæ, tam salubris huic patriæ, quæ me genuit, tam honorifica ei quæ me excepit, tum verò non minorem ex ipsis regibus, & quorum virtute pietateq́ id profectum est atque confectum. Quàm multa & quanta potest ecclesia sponsa Christi & mater nostra de his suis filijs sibi polliceri

liceri. nam verè vt dixit propheta, iſti ſunt ſemen, cui benedixit dominus. hæc plantatio domini ad gloriandum quàm S. V. ſanctè omni ſtudio & autoritate huic matrimonio fauit, quod ſanè videtur præ ſe ferre magnam ſummi illius regis ſimilitudinem, qui mundi hæres à regalibus ſedibus à patre dimiſſus eſt, ut eſſet virginis ſponſus & filius, & hac ratione uniuerſum genus humanum conſolaretur; ſic enim rex ipſe maximus omnium qui in terris ſunt hæres, patris relictis regnis, & illis quidem maximis in hoc paruum regnum ſe contulit, huius virginis ſponſus & filius eſt factus, (nam ſe & filium gerit) ut quod iam planè perfecit, ſequeſtrem ſe atque adiutorem ad reconciliandum Chriſto & eius corpori, quod eſt eccleſia, hunc populum præberet. quæ cum ita ſint, quid tandem non ipſi eccleſiæ matri ab eo expectandum eſt, qui id fecit ut conuertat corda patrum in filios; & incredulos ad prudentiam iuſtorum? atque hæc virtus ſanè elucet. Hæc verò Regina, quæ cum S. V. me ad eam legauit, tanquam virgula illa ſumi ex arboribus myrrhæ & thuris è deſerto aſcendebat, ipſa paulo ante ab omnibus derelicta, quàm nunc ſplendet? qualem iam myrrhæ & thuris odorem ſuis effundit? quæ, ut de Chriſti matre ait propheta, antequam parturiret, peperit, ante quam veniret partus eius, peperit maſculum. Quis unquam audiuit tale? quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra die una, aut parietur gens ſimul? Hæc verò gentem totam nunc peperit antequam eum partum ediderit, cuius in ſpe maxima ſumus. Quanta nobis gratulandi cauſa datur. quanta gratias agendi diuinæ miſericordiæ. S. V. & Cæſ. M. qui autores tam felicis, tamq́ pij coniugij fuiſtis, per quod nos Deo patri, & Chriſto eccleſiæ reconciliati coniungimur. hoc vnum reliquum eſt, ut S. V. gaudium & ſimul vniuerſæ eccleſiæ cumulari precemur, quæ deum pro ſuis filijs orare non deſinit. Deus Opti. Maxi. S. V. diu eccleſiæ ſuæ conſeruet. Londini pridie Calend. Decembris. 1554. S. V. humilli-

humillimus seruus Regi. Cardinal. Polus. His literis Romam allatis ad Pontificem, omnes incredibili lætitia capiuntur. edita sunt vbique ingentis lætitiæ signa; siquidem inaudita ignium multitudo accensa est, displosa tormenta complura, decretæ supplicationes pro actione gratiarum. Pontifex ipse die proximo sacra celebrauit ad altare diui Petri; & cum rediretur in Palatium multa proiecta est pecunia, nemoq́; erat quin summopere gauderet tot animas quæ perierant, ad ueram salutem diuina misericordia fuisse reuocatas. Sub idem tempus Sigismundus rex Sarmatarum cum Ferdinandi Romanorum regis filiam in matrimonium accipere recusasset, cuiusdam nobilis matronæ subditæ amore captus contra Bonæ matris non modo consilium, sed etiam voluntatem, eam ducit vxorem, ac sponsalia celebrat. quare mater diuturnam indignationem aduersus illum seruauit, quod etiam proceres eius regni indignißimè tulerunt. at cum grauißimus morbus non sine aliqua veneni suspicione nouam reginam repente inuasisset, ex quo suum diem obijt, omnes eius regni discordiæ & contentiones & odia deferbuerunt.

Sigism. Sarmatarum rex subditam ducit vxoré, quę repente obiit.

NATALIS COMITIS
HISTORIARVM
SVI TEMPORIS

LIBER NONVS.

Historia quid sit.



RAECLARVM *sanè dictum est illud antiquorum sapientum, qui historiam quasi viuam quandam picturam esse tradiderunt; quòd ambæ res gestas ad imitandum ante oculos posterorum proponere nitantur. est enim Historia fulcimentum lapsuræ memoriæ insignium uirtutum; nuntia fortitudinis, & temperantiæ; iustitiæ præconium eorum, qui pro religione, pro patria, pro virorum bonorum salute se deuouerunt, hostium armis intrepidè se pro æquitate obtulerunt; pro amicis, pro liberis, pro coniunctis omnia pericula fortiter sustinuerunt; qua dempta, quasi lumen ex humana vita ereptum iure videri posset. Quid enim esset in vita hominum magnopere expetendum, si laus & gloria, quod solum est præmium uirtutis, statim post hominum præsentium memoria de medio tollatur? tamen hoc habet difficultatis historia, quòd ea paulatim res dispersas seruans temporum & rerum gestarum seriem paulatim explicat; at pictura omnia vno tempore sub oculis subijcit, mirificeq; non solum conspectu ipsarum rerum gestarum, verum etiam varietate colorum, & vultu, & fluuiorum montiumq; mirabilitate & situ in quo res gestæ esse dicantur, delectat. has igitur ambas facultates meritò quis dixerit tanquam sorores uno eodemq; fonte gigni, cum idem etiam ambarum sit finis, posteros ad imitationem maiorum propositis gloriæ & virtu-*

tum

tum exẽplis adhortari & inuitare. quare qui neque historiæ neq; picturæ admiratione aut studio legendæ delectatur, hũc planè rusticũ, & uirtutum hostem rectè iudicaueris, & tanquam sepultum inter viuos errantem. Sed iam ad institutum nostrum redeamus. Inierat iam annus à partu virginis quinquagesimus quintus supra mille & quingentos cum Io. Figarola insubrum præfectus vt diximus in vrbe Casali, quæ metropolis est montis ferrati conuiuijs & comessationibus & tripudijs indulgens, vt solet vulgus sub finem carnispriuij, ita ociosus erat, ac si priuatus esset, neque tantis rebus sibi esset inuigilandum. nam qui propinquos habeat hostes, quo pacto somniculosus sine suspicione ignauiæ esse poßit non video, præsertim si omnium negotiorum cura eius humeris vnius incumbat. Atqui quanta sit virtus egregiorum ducum, & militum solertia Figarola non intelligens vix fieri posse arbitrabatur vt Brisaccus vir singulari fortitudine & industria, multaq; peritia rei militaris tam difficile negotium aggrederetur, ut repentino conatu urbem illam Casale munitißimam & amplam adoriretur, quare neque comes Valentianus urbis præfectus præsente ipso Figarola eas custodias, eamq; vigilantiam adhibebat, quæ tantæ urbi tam opportuno loco, tam propinquis, tamq; potentibus hostibus erant necessariæ. Brisaccus vel ab ipsis Casalensibus certior factus de ijs omnibus quæ in urbe agebantur, & de negligentia præfectorum propterea quòd cuperent grauitate tributorum liberari, quæ in aßiduos vsus sumptusq; bellorum tot annos iam in tam diuersa Cæsaris bella erogare cogebantur; quorum mallorum nullus etiam futurus, nisi desolatis & spoliatis prorsus omnibus bonis apparebat finis, ad quartum Calend. Martij cum sexaginta lectißimis ex omni numero peditibus Biragos & Vimercatos eò mittit. Illi circiter quintam horam noctis Casale profecti sentiunt non minus vigilias quàm ipsos Duces & cæteros milites vino, ac somno profundo sepultos opportunitatem hostibus quæ cuperent faciendi reliquisse. Galli eorum auxilio, qui Gallicis partibus studebant clam per fossas urbis profecti scala-

1555

Brisaccus Casalẽ urbem capit

rum tumultuariò factarum beneficio nemine prorsus sentiente mœnia conscendunt, atque vigilijs destinatos primum trucidant. sed quoniam non ea nocte tantum, sed multos iam dies cognita esse cœperat hostibus præfectorum Cæsarianorum negligentia, Galli ita rem iam pridem intexuerant vt nonnulli milites, qui erant non pauciores sexcentis, agresti habitu induti clam per diem vrbem ingressi paulatim intra domos quasdam se reciperent ea de causa a nonnullis ciuibus conductas; vt ibi clam laterent expectantes aduentum cæterarum copiarum, & opportunitatem rei aggrediendæ. illi qui nuper ingressi fuerant per noctem domos latentium militum adeunt, paratos ad inuadendam vrbem excient, per vniuersam vrbem discurrunt, Cæsarianis tantam trepidationem inijciunt, vt cũ ijs non auderent vrbani sese coniungere, cum interea obuij quique armati trucidarentur. vbi primum acceptum est signum aduentus Gallorum, porta illa vrbis, quæ aptior est visa ad intromittenda subsidia, occupatur: tũ à discurrẽtibus Gallis per vrbẽ Gallico nomine cõclamato cuncta repleta sunt trepidatione & metu. Figarolæ & vrbis præfecto vix satis temporis fuit ut possent in arcẽ se recipere; quia Brisaccus cum multo equitatu ac peditatu accedens omnem defensionis spem Cæsarianis ademit. Germani, qui erant in præsidijs ingenti strepitu ac trepidatione experrecti sese in forum recipiunt, ibi plateam tueri conantur, strenuè se defendunt: nam profecto Ioannes Baptista Lodronius eorum præfectus, quia intelligeret per quantam incuriam & socordiam & cum quanta infamia vrbs illa amitteretur, quæ munitissimum erat Mediolanensis principatus propugnaculum, decreuerat satius sibi esse fortiter cadere, si Gallos eijcere non posset; quàm tantæ negligentiæ posse argui, aut cum tanta infamia inter milites in posterum versari. ibi diutius cum impetum Gallorum sustinuisset, grauiter vulneratur, quo mortuo omnibus Germanis spes salutis prorsus excidit; q eò magis efficiebatur, quia semper succresceret hostiũ numerus, ac suorũ minueretur. idcirco coacti sunt in arcẽ se recipere, atq; vrbẽ Gallis uictoribus relinquere

Io. Baptistæ Lodronii mors.

re Galli nullū tēpus amittendum rati captis vrbanis tormentis & additis suis quæ fuerant noctu attracta hoc ipso consilio arcem acerrimè concutiunt, atque ita vt disrupta sint mœnia, murusq; tanto hiatu apertus ad ingressum vt Figarola & præfectus vrbis Valentianus nulla subsidia sperantes, & de propria salute dubij ex ea parte, qua Padum prospectat sese per noctis obscuritatem è mœnibus dimiserint, atque in Astum vrbem seruarint, atque inde in Alexandriam Paleariā. Galli, cū nemo opē ferre posset Cæsarianorū tā repente Germanis obsessis intra octo dierū spatiū arce ēt potisiti sunt. eam iacturam tam turpē fertur grauissimè tulisse Cæsar, quare decernit ut Albanus cum summo rerum Cæsarianarum imperio in Italiam veniret, vel hac vna de causa, vt Casale tam negligenter amissam, & cætera castella atque vrbes, quæ in potestatem Gallorum uenissent in subalpina Gallia, singulari diligentia & fortitudine recuperaret. tanta, tamq; ampla potestas & autoritas concessa est Albano Duci, quanta nulli unquam ante id tempus summo Cæsaris Duci concedi consueuerat. Albanus ut primum designatus est Cæsaris Dux in Italia mittit literas ad tribunos militum. iubet nouos haberi vbique delectus, colligi nouum equitum ac peditum numerum, instrui tormenta bellica, siquid vetustate labefactatum esset. illa igitur passim Mediolani videbantur in vijs super rotis nuper instructa. quotidie censebantur nouæ cohortes, conueniebant equitum vexilla. tanta erat tormentorum copia, tanti, tam diligentes, tam incredibiles ubique bellici apparatus, vt Galli his auditis mirificè trepidare viderentur, locumq; iam prospectare ad fugam. Nam profectò tanta erat, tam celebris, tam formidabilis horum apparatum fama ut omnia Brisacci præsidia non mediocri trepidatione sint repleta & perterrita, atque Brissaccus ipse nonnihil aduentū Albani pertimescens sese in oppida munitissima receperit, omnes suos eò contaxerit, & tanquam ad sacram anchorā confugiens extrema oppida munierit in suis finibus, vt ibi se aduersus tantas uires protegeret. inter oppida quæ munitissima & defensioni opportunissima visa sunt

Casalis arcem Galli ui expugnant.

Albani in Italiā cum summo imperio missi apparatus.

Brisaccus suos cōtrahit in munitissima oppida.

ſunt.fuit oppidum Sanctià vocatum non procul ab urbe caſali & vercellis, in quo oppido duo millia peditum lectiſſimorum collocat in præſidijs præfecto Bernardino vimercato, & Ludouico Birago ſtrenuis & intrepidis ducibus, egregieq; rerum bellicarum peritis. Quæ dum vtrinque parantur in Gallia ſubalpina in Albani aduentum, Sena multiplicatis munitionibus magis magisq; quotidie ſic obſidione premebatur, ut mira eſſet omnium rerum uictui neceſſariarum penuria. Sollicitabantur autem Senenſes, monebanturq; literis principis Hetruriæ ut ſe Cæſari dederent. ne expectarẽt acerbitatem Victoriæ, quæ vel moderatiſſima eſſe ſolet inſolens. præſtare ſe arbitrio legum & temperatiſſimi clementiſſimiq; principis committere, quàm in poteſtatem immanium militum victorum deuenire. tantus erat tamen conſeruandæ liberatis amor, vt, quamuis vel ipſæ Senenſium legationes ad hoc ipſum eos hortarentur, quæ miſſæ fuerant in Britanniam, & quæ erant apud Pontificem, cum nihil placidum ſentirent aut pacatum Senenſibus, nihil proficerent: cum mallent omnem prorſus calamitatem, omniaq; grauiſſima perferre; quàm libertatem quam tantis, tam aſperis, tam diuturnis laboribus defenderant, ſponte per deditionem amittere. Marinianus cum tam obſtinatos eſſe defenſores intelligeret, noua tormenta imperat adduci Florentia; atque ad eam partem murorum trahit quam Pius ſecundus Pontifex reficiendam curauerat, quòd eam putaret debiliorem. ſed cum tanta eſſet Senenſium diligentia inſtaurandis reparationibus aduerſus ruinas, quantũ eſſet ſtudium muris deijciendis adhibitum, omnem operam ſe ludere breui ſentit: quare neceſſe ſit ab incepto deſiſtere. videbat enim futurum ſi ex ea parte vrbem expugnare tentaſſet vt cum parua clade Senenſium, & cum maxima ſuorum iactura à ciuibus, præſidijsq; Senenſibus repelleretur. eſt enim difficillima urbs expugnatu, quæ diutius bello ſit aſſueta; quod ciues fortitudini aſſueſcunt, & ordinibus militaribus, neque ita facile implentur trepidatione, ut faciunt tyrones, & populi qui nulla bella ſenſerunt. cum eſſet perſpectum Senam iam propè

Sena arctiſſime obſidetur, & quatit.

pè uictam nulla ui armorum vinci posse, Marinianius omnia sua consilia ad aliam pugnandi rationem, eamq́; multò sibi tutiorẽ cõuertit. Quos.n.virtute rei militaris & armis insuperabiles esse cognouerat ut diuturna obsidione necaret, aut in deditionẽ cõpelleret; pluribus, ac tã crebris munitionibus obstringere cogitat, ut nulla prorsus annonæ aut eduliorum copia urbem ingredi posset. Strozza cum animaduerteret Marinianij consilia quò spectarent, urbemq́; cognosceret non multis præsidijs indigere; quippe quam popularia arma & possent & consueuissent defendere, iubet regulum Moluchium & Cornelium Bentiuolium septingentos Germanos, & multos è Senensibus rebus bellicis inutiles ad montem Alcinoi ad se mittere, quo vrbs etiam multò magis leuaretur, neque absumeretur tanta annonæ copia. Hi quamuis magno silentio per obscurissimam noctem iter capiunt, tamen Cæsarianas vigilias latere non potuerunt: quæ hos in acie procedentes inuadunt. Germani, ac Senenses ne omnia in periculo uno tempore essent posita, præstare duxerunt impedimenta relinquere, quo expeditiores pugnarent; quare ad uroram usque ex itinere semper certantes per multos trucidarunt è Cæsarianis, at ex ipsis pauci sunt desiderati. ad montem Alcinoi denique profecti liberaliter à Strozza excipiuntur, atque alij ibi manserunt è Senensibus, alij Clusium, alij Posetum sunt missi. Sena etsi uidebatur aliquantulum respirasse horum discessu, atque posse diutius obsidionem perferre; tamen cum annonæ penuria paulo post in dies succresceret, efficiebatur ut maximum esset precium rerum singularum, quare agrestes homines partim obsessorum misericordia commoti, partim lucri allecti, (nullus est enim stimulus accutior auro ad pericula,) vel per omnes difficultates capitisq́; discrimen ad commeatum in urbem importandum penetrant. Marinianius ut erat feroci ingenio, singulariq́; crudelitate uniuersam rabiem belli, indignationemq́; suam in hos conuertit. atque ut probabilem habere videretur causam in eos animaduertendi, proponit edictum per præconem sub pœna suspendij, nequis commeatum, aut aliquod eduliorum

Corn. Bentiuolius Sena egressus ad mon. Alcinoi certando proficiscitur.

Mariniani innata feritas.

liorum genus ad Senenses in urbem comportaret. His tot difficultatibus Sena circumuenta obsidionem denique diutius ferre non potest; quippe cum Marinianus plures quinque millibus hominum agrestium cuiusuis ætatis pro sua innata feritate suspendi de proximis arboribus iussisset, ita ut nulla prope esset arbor homicidij nescia; multos etiam ipse sua manu trucidasset, aut malleo quem gestabat confodisset. istud etsi ratio bellica pati quodammodo apparebat, tamen uir plane barbara immanitate, & plus quam ferat nobilitas Itala animorum, aliqua ratione moderari potuit. quæ feritas cum in nemine laudanda sit, tum multò magis est execranda in excellentibus ingenijs, nisi ita non modo ferat, sed cogat etiam ius bellorum. Nam tametsi ita postulat ratio rei militaris aliquando ut ad cæteros deterrendos sæuiatur in eos, qui commeatus ferunt hostibus, & obsessis; tamen nulla ratio cogit summum ducem & imperatorem ipsum vt ipse suis manibus homines trucidet, humanoq́ sanguine suas manus polluat; nisi cum in pugna illud contigerit, aut cum in itinere ordo ab aliquo deseritur, in quem nullæ apud Italos leges latæ sunt, ad reliquos metu suppliciorum deterrendos ut in acie consistant. Dum ita sæuiter in agrestes in Thuscia, Senaq́ arctius obsidetur, comitia indicta fuerant Augustæ Cæsaris iussu; quibus cum propter ualetudinem ipse adesse non posset, ubi conuenissent proceres Germani, iubet Ferdinandum accedere. eò profectus Ferdinandus, quia Cæsaris consilium desideriumq́ cognouerat, proponit quanta in omnem non modo Germaniam, sed etiam Christianum nomen utilitatis & lætitiæ esset redundaturum si Germania ecclesiæ reconciliatur; sibi enim nihil gratius posse contingere. ad pacem autem & quietem & tranquilitatem nihil magis spectare, quàm si omnes de religione controuersiæ ad uniuersam gentium Christiani nominis Synodum deferatur, quæ indicta fuerat Tridenti à Paulo tertio Pontifice Max. & à Iulio tertio confirmata: quæ propter iniquitatem temporum, uariarumq́ molestiarum perturbationes haberi nõ potuerat. Vnam autem, eamque maximam fuisse causam rei turbande

Comitia Augustæ indicũt pro Germania Ecclesiæ reconciliãda.

dæ, quòd ipsi noluissent conuenire: atque hoc iure ab ipsis desiderari debere, ut tot, tam variæ, tam inter se contrariæ & repugnantes sententiæ tollerentur. decretum est in ijs comitijs præsente sacro antistite purpurato Morone, quem Iulius Pontifex ad esse uoluit legatum, nequis religionis causa aduersus quempiam bellum susciperet. neve catholici aut Augustanæ confessionis obseruatores vllam vim sibi inuicem inferrent, sed omnibus sua relinqueretur opinio, donec in uniuersa Synodo decretum fuerit. ne Cæsar aut Ferdinandus quempiam infestent huius cōfessionis causa. vt omnes hæreses quæ cum neutra religione consentiant, exterminentur, penitusq; euellantur. ut si quis antistes suam religionem deserens in alteram sese receperit pristinam dignitatem pristinæ ecclesiæ relinquat cum omnibus vtilitatibus & prouentibus, cuius in locum uir bonus à sacerdotibus eligatur. nequis in alteram religionem quempiam cogat, aut alterius potestati subditum protegat, sed sua libera vtrisque relinquantur. his ita rebus institutis nuntiatum est Iulium Tertium Pont. Maximum ad nonum Calendas Aprilis fatis concessisse, quare comitia post ea decreta soluta sunt. Romæ per multas patrum purpuratorum diuersasq; sententias quinquaginta, & septem dies fuit interregnum. at Strozza, quia Pontifex vnus fuisset ex ijs qui & annona & copijs & omni auxiliorum genere Cæsarem & Cosmum iuuisse putarentur, in magnam spem uenit Senæ liberandæ per mortem Pontificis; quare literas ad Henricum regem plenas spei & fiduciæ dedit, se liberaturum esse Senam si sibi data sit facultas conscribendi septem millia peditum ac mille equites. sic enim videbatur consecuturus vt Sena liberaretur, & ut antistites purpurati excitarentur ad eligendū nouū Pontificē, quē maxime velle regē arbitrarētur. Hēricus cū magna inopia rei pecuniariæ laboraret ob diuturna bella in agro Senensi, in Gallia subalpina, in finibus Belgarum, essetq; regium ærarium plurimum inanitum ac propè exhaustum; cum hostes etiam haberet præpotentes & abundantes omnibus rebus necessarijs; cum princeps Hetruriæ non solùm multum haberet equitatum ac peditatum, sed

Decreta i comitiis obiecta.

Iulii III. Pōt. Max. mors.

Strozzæ noua fiducia Senæ liberandæ.

etiam tantūdem posset augere copias, quantum ipse auxisset, Strozzæ consilium vt uanum & illi negotio inutile reiecit. Erat enim Henricus non solum humanitate & clementia singulari, sed vir planè sapiens, nullius magni negotij ignarus, in rebus agendis perspicax & impiger. vt tamen aliquo pacto animos hostium suspensos teneret, quia decessisset Pontifex Principi Hetruriæ coniunctus, iubet duo millia peditum conscribi, ut negotium ad nouum Pontificem usque protraheretur. denique post multas controuersias ad 13. Cal. Iunij Marcellus ceruinæ familiæ Card. Sanctæ crucis ciuis montis Politiani præter omnium expectationem Pōtifex creatur, vocaturq́ Marcellus secundus. Vir Sanctitate vitæ, integritate, prudentia, disciplinarum cognitione præstans, cum incredibili omnium eorum sui probitatem hominis nouerant, lætitia. non enim per affinitates, aut pollicitationes, aut ambitum, ad tantum dignitatis fuerat prouectus; sed cum humili loco natus esset, per singularem innocentiam, & spem reformandi ecclesiastici ordinis; cum deprauata tempora nihil aliud, quàm morum censorem moderatum & sapientem requirerent. Hic vbi coronaretur, noluit pompas ullas fieri in oppidulo Diui angeli, sed vniuersos sumptus inopibus vtilius distribuendos censuit. Cæsariani tamen nihil remittebant de obsidione. Senensium præsidia in dies fieri debiliora. non solum milites, sed etiam ciues victus inopia fuga sibi salutem quærere. missæ sunt ad nouum Pontificem legationes Senensium, quæ tantarum calamitatum aliquem exitum procurarent: sed potius misericordiæ, quàm auxilij plenum responsum tulerunt, cum Pontifex nouus esset adhuc, & nondum satis stabilitus. idcirco missæ sunt legationes ad principem Hetruriæ, cum res protraheretur, neque Senenses possent diuturniorem obsidionem inediamq́ perferre, multiq́ ob famen profugerent, vt his conditionibus urbs Cæsari dederetur; ut illis libertas inuiolata seruaretur. ut eodem die commeatus in vrbem mitteretur. vt ciuium facultates essent tutæ, neque urbs pateret militum direptionibus & rapinis. atque cum honorificentissimas conditiones paulo

Marcelli II Pont. creatio, & fortuna.

Conditiones Senæ dedendæ

ante

ante contempsissent, nunc denique in liberam facultatem arbitriumq; hostium veniunt. Cosmus enim quarto non. aprilis Hieronymo Bandinelo, Hieronymmo Maleuolto, Alexandro Gulielmo, Scipioni Ghiso legationibus Senensibus huiusmodi conditiones obtulerat. Quod Cæsar protegendam urbem atque remp. Senensem acciperet sub tutelam sacri Romani Imperij: ac denuo vrbi eidem ac reip. libertatem antiquam confirmaret. Quòd veniam omnibus Cæsar concederet qui pro defensione arma sumpsissent, præterquam rebellibus Neapolitanis, aut regnorum & principatum Cæsaris, Regis Britanniæ, & principis Hetruriæ. quod Senensibus vel perduellionis crimem condonaretur, quibus intelligerentur seruata dignitates, honores, facultates, & bona mobilia & stabilia, iura, & rationes. præter ea quæ hactenus direpta fuissent à militibus. Vt liceret ciuibus & colonis cum familijs discedere & redire pro arbitrio, à quibus nulli bellorum sumptus exigi aut peti possent: captiuis verò maxime redemptionum precium minueretur. vt resp. præsidia accipiat quanta & cuius nationis Cæsari placuerit, opportunumq; videbitur ad urbis conseruationem. ne oppidulum fiat sine Senensium consensu & reip: sed potius munitiones absoluto bello, vel ante finem destruantur & euertantur. ut Cæsar ad quietem tranquillitatemq; reip. seruata tamen autoritate, libertate ciuitatis possit in eam formam illam administrationis, quæ aptior uisa fuerit: ita tamen vt magistratus Senenses stabiles ac immutabiles participes sint illorũ magistratuum, ordinumq; nouorum, ut in ea reformatione & populi princeps, & magistratus uocatus Dominorum persistat, habeaturq; ratio priuilegiorum, prouentuum, castellorumq; ipsius reip. ut conferre videbitur, saluis semper rationibus sacri Imperij Romani. vt omnes duces, magistratus, milites cuiusuis nationis Henrici regis exire liberè possint, præter rebelles prædictorum regnorum, vexillis ad profectionem explicatis cum armis, pecunia, impedimentis. quibus liber transitus & tutus ubique concederetur. ut confirmatis conditionibus fœderatio componatur inter eam remp. & Hetruriæ principem

pro ratione temporum, sicuti vtrisque visum fuerit atque hæ conditiones si intra octo dierum spatium stabilirentur ab ipsa rep. ratæ, firmæ, & stabiles esse intelligerentur. at ipso temporis spatio frustra elapso, neque factæ, neque oblatæ intelligantur, quæ datæ sunt quarto nonas aprilis. hæ cum tantum esset conseruandæ integræ libertatis desiderium minime sunt acceptæ, at paulo post ad eas, quas diximus deteriores deuenire necesse fuit. Nam illis sese in potestatem Cæsaris denique dediderunt, cum tot labores pro libertate pertulissent, quam primùm neque tantilli quidem faciendam esse cognouerant. sic enim fit plerunque, vt quæ nobis adsunt faciamus parui; at cum erepta sunt, miro teneamur eorum desiderio. Senenses postea cum intellexissent id, quod minime voluissent, urbem in potestatem principis Hetruriæ uenire, ita sunt animo perculsi & consternati, vt omnis ætatis homines relicta patria, & paternis domibus, auitisq; focis cum Gallicis præsidijs exiuerint; quippe quòd natiua quædam æmulatio & maleuolentia esset inter Senenses & Florentinos. Enimuero miserrimum est ubi aliquis patriæ honores gustauerit in eam fortunam incidere, vt honores magistratusq; omnes in perpetuum amittat; cum præsertim dulcissimum libertatis fructum à maioribus in manus traditæ gustauerit; tamen multò miserius est sapientia, quæ sola est vera libertas, & inexpugnabile aduersus omnes fortunæ iniurias carere: cum illa faciat ut omnia prospera, & omnes fortunæ mutationes æquo animo ferantur. præclarè igitur dictum est ab antiquis sapientibus præsentium rerum statum esse aleæ similē; fortunam iacere talos; esse prudentiæ sapientiæq; mortalium ut eius iactu quàm utilissimè sapientissimeq; vtantur. nam profectò multa fuerunt, quæ potuerunt Senenses cohortari ut eam calamitatem leniter perferrent, sed illa in primis, quòd illud malum non redundaret in filios, qui ubi non gustarint honores patriæ, multò facilius ferrent exterorum imperium. quòd apud quosque principes manet quædam reip. forma necessario, quia non antiquioribus aut recentioribus familijs, sed præstantioribus virtute ciuibus magistratus abijs deferuntur;

runtur; cum principes ipsi non minus quàm resp. viris bonis & peritis qui præsint ciuitatibus & militaribus rebus indigeant. atqui tunc præclarè agitur, cũ sapientiores imperãt, & cũ imperiti cogũtur melioribus parere. quare si Senẽses sapiẽtioribus & viris bonis & spectata virtutis magistratus detulissent, nulla vel certè parua habita ratione familiarum aut affinitatum, plusq; apud illos æquitatis iura quàm res priuata ualuisset, & patriam, & honores, & libertatem, & facultates uno tempore seruassent, quando nemo fit inimicus aut hostis viro bono & sapienti. Sed cum multa iniuria impune committerentur, multaq; inde succrescerent inimicitiæ, ad ea vel consultò conniuentes Senensium magistratus, vel legum & iudicationum imperiti, & Dei omnipotentis odium, & arma mortalium denique in seipsos conuerterunt. Illud tamen solatium in tantis molestijs occurrebat prudentioribus hominibus, quòd futuri essent sub eius principis tutela, cuius neque prudentiam, neque iustitiam in publicis priuatisq; rebus vel eius hostes reprehendere aut desiderare ausi sunt: Has tantas Senensium calamitates quidam quasi per iocum attingentes, ita carminibus breuiter explicarunt.

Leno Diegus erat Senæ. sed Cæsar amator.
Hanc ad amatorem dum uiolentus agit,
Fugit ad Henrici virgo indignata potentis
Blanditias, Galli deinde fouetur ope.
Hãc cupit, hãc perit, impatiẽs fit Cæsar amoris,
Mittit ad hanc Medicen protinus ille ducẽ.
Nititur is ferro morbum depellere & igni,
At Medica multò plus ualet arte malum.
Additur huic uictus ratio, tenuisque diæta,
Pallida & exanguis & macilenta fit hæc.
Deformem sensit Cæsar, pertæsus amorum
Hanc donat Cosmo, reddidit ille decus.

Illud tamen non facile dixerim, an Cæsar ipse omni prorsus accusatione liber esse posit; qui cum initio tantarum contentionum facillima remedia posset adhibere auditis Senensium

pro ratione temporum, sicuti vtrisque visum fuerit atque hæ conditiones si intra octo dierum spatium stabilirentur ab ipsa rep. ratæ, firmæ, & stabiles esse intelligerentur. at ipso temporis spatio frustra elapso, neque factæ, neque oblatæ intelligantur, quæ datæ sunt quarto nonas aprilis. hæ cum tantum esset conseruandæ integræ libertatis desiderium minime sunt acceptæ, at paulo post ad eas, quas diximus deteriores deuenire necesse fuit. Nam illis sese in potestatem Cæsaris denique dediderunt, cum tot labores pro libertate pertulissent, quam primùm neque tantilli quidem faciendam esse cognouerant. sic enim fit plerunque, vt quæ nobis adsunt faciamus parui; at cum erepta sunt, miro teneamur eorum desiderio. Senenses postea cum intellexissent id, quod minime voluissent, urbem in potestatem principis Hetruriæ uenire, ita sunt animo perculsi & consternati, vt omnis ætatis homines relicta patria, & paternis domibus, auitisq; focis cum Gallicis præsidijs exiuerint; quippe quòd natiua quædam æmulatio & maleuolentia esset inter Senenses & Florentinos. Enimuero miserrimum est ubi aliquis patriæ honores gustauerit in eam fortunam incidere, vt honores magistratusq; omnes in perpetuum amittat; cum præsertim dulcissimum libertatis fructum à maioribus in manus traditæ gustauerit; tamen multò miserius est sapientia, quæ sola est vera libertas, & inexpugnabile aduersus omnes fortunæ iniurias carere: cum illa faciat ut omnia prospera, & omnes fortunæ mutationes æquo animo ferantur. præclarè igitur dictum est ab antiquis sapientibus præsentium rerum statum esse aleæ similẽ; fortunam iacere talos; esse prudentiæ sapientiæq; mortalium ut eius iactu quàm utilissimè sapientissimeq; vtantur. nam profectò multa fuerunt, quæ potuerunt Senenses cohortari ut eam calamitatem leniter perferrent, sed illa in primis, quòd illud malum non redundaret in filios, qui ubi non gustarint honores patriæ, multò facilius ferrent exterorum imperium. quòd apud quosque principes manet quædam reip. forma necessariò, quia non antiquioribus aut recentioribus familijs, sed præstantioribus virtute ciuibus magistratus abijs deferuntur;

runtur; cum principes ipsi non minus quàm resp. viris bonis & peritis qui præsint ciuitatibus & militaribus rebus indigeant. atqui tunc præclarè agitur, cũ sapientiores imperãt, & cũ imperiti cogũtur melioribus parere. quare si Senẽses sapiẽtioribus & viris bonis & spectatæ virtutis magistratus detulissent, nulla vel certè parua habita ratione familiarum aut affinitatum, plusq; apud illos æquitatis iura quàm res priuata ualuisset, & patriam, & honores, & libertatem, & facultates uno tempore seruassent, quando nemo fit inimicus aut hostis viro bono & sapienti. Sed cum multa iniuria impune committerentur, multaq; inde succrescerent inimicitiæ, ad ea vel consultò conniuentes Senensium magistratus, vel legum & iudicationum imperiti, & Dei omnipotentis odium, & arma mortalium denique in seipsos conuerterunt. Illud tamen solatium in tantis molestijs occurrebat prudentioribus hominibus, quòd futuri essent sub eius principis tutela, cuius neque prudentiam, neque iustitiam in publicis priuatisq; rebus vel eius hostes reprehendere aut desiderare ausi sunt: Has tantas Senensium calamitates quidam quasi per iocum attingentes, ita carminibus breuiter explicarunt.

Leno Diegus erat Senæ. sed Cæsar amator.
Hanc ad amatorem dum uiolentus agit,
Fugit ad Henrici virgo indignata potentis
Blanditias, Galli deinde fouetur ope.
Hãc cupit, hãc perit, impatiẽs fit Cæsar amoris,
Mittit ad hanc Medicen protinus ille ducẽ.
Nititur is ferro morbum depellere & igni,
At Medica multò plus ualet arte malum.
Additur huic uictus ratio, tenuisque diæta,
Pallida & exanguis & macilenta fit hæc.
Deformem sensit Cæsar, pertæsus amorum
Hanc donat Cosmo, reddidit ille decus.

Illud tamen non facile dixerim, an Cæsar ipse omni prorsus accusatione liber esse possit; qui cum initio tantarum contentionum facillima remedia posset adhibere auditis Senensium

sium legationibus & querelis, maluerit eò rem deduci, ut cum totius Hetruriæ periculo omnibus Italis & uariarum nationum armis confligeretur. multæq; urbes Italæ ferro igniq; uastarentur, oppida florentissima funditus euerterentur, quàm tot malorum succrescentia semina supprimere. Nobiliores igitur Senenses cum præfecto populari imperio Mario Bandino ad montem Alcinoi profecti perbenignè à Strozza excipiuntur, quorum alij rursus Clusium sunt missi, alij Rosetum. manserunt tamen præstantiores in oppido montis Alcinoi, ubi noua resp. cum omnibus prioribus ministris & insignibus magistratuum & magistratibus creata est, & cum institutis, priuilegijs, autoritate, & gradibus honorum, quibus Sena utebantur. Hanc ueterem Baliam quasi uetus imperium nominarunt, cum Senæ remp. nouam nominarent, cui omnem autoritatem & titulos pro uiribus adimunt. Pontifex nouus interea, quem cum tanta omnium populorum expectatione & lætitia ad summum dignitatis gradum diuina potius, quàm humana opera prouectum fuisse ostendimus, breui cœpit ualetudine laborare. atque cum principes nonnulli gratulatum, & ad pedes exosculandos accessissent, inter quos fuit Vrbinus Dux, & Ferrariensis, & Cardinales nonnulli, Pontifex veritus ne paruifacere eos videretur, si non admisisset, & gratulationes hilari vultu accepit, & breui oratione respondit. at paulo post Syncope correptus, decidente grauissimo catarrho, uisus est primum dormire uel ipsis medicis. at cum nimis diuturna quies videretur, excitantibus, immobilis & propè sine sensu inuentus est. at paulo post cum summo omnium mærore & lacrymis naturæ concessit, quod accidit Calendis Maij. erat autem non vana eius principis expectatio, quòd uir eximiæ integritatis & innocentiæ vel à teneris extitisset. erga iniquè oppressos misericors, in supplices clemens & liberalis. neque ulla erat uirtus Regia, aut uiri boni officium, quod in eo cumulatissime non inueniretur. Intantum sanè spei auxerat Romanis animos huius Pontificis bonitas, ut quasi in tranquillissimum portum, & ad auream verè ætatem se per eius bonitatem venturos

Sena dedita nobiliores ad Strozzam proficiscũtur.

Marcell. Põt. Max. mors.

turos sperarent, putarentq; se liberatum iri grauissimis tributis, quibus crebrò à superioribus pontificibus fuissent oppressi. habetur purpuratorum patrum antistitum cõuentus. decernitur Duci Vrbinati comitiorũ protectio tanquam summum imperium habenti rerum militarium Ecclesiæ. tum Cæteri iustitiæ magistratus Romanis ciuibus confirmantur. accedunt denuo purpurati antistites ad eligendum nouum pontificem. nonnulli ex itinere reuocantur, plures nondum erât ad iter parati, cum uix. 22. dies vixisset. conueniunt frequentes dum celebrantur exequiæ ad comitia. includuntur breui in conclaue vocatum. Quæ dum aguntur Romæ, Marius Sanctiflorius cum magna manu militum Sateano signa tulit infesta. oppidum crebris conatibus & verberationibus inuadit. post multas oppugnationes denique compellit ad deditionem. Marius Sāctiflorius Sateanum oppidũ inuadit. *Marinianus contendit cum reliquis copijs ad expugnandum portum Herculis, quòd esset accipiendis classibus accommodatus; qui dum esset in potestate hostium, posset Hetruriam plurimum infestare. nam profectò illustris est Homeri sententia, maximeq; rebus bellicis potest & vtilissime accommodari, quæ iubet insigni aliqua ciuitate potitum, neque oppida quidem eius ciuitatis libera relinquere, vnde possit vindictam vllo tempore expectare; cum inquiat.* Portus Herculis à Mariniano expugnato.

Demens, qui natos occiso patre relinquit.

Habebat Herculis portus tres munitiones egregiè factas è gleba Strozzæ industria extra ipsum oppidum, uti à Thermeo primum fuerat institutum, ante quam ex Italia abnauigaret. vni harum præerat Alexander centurio Terinensis vir strenuus & vigil; quam tormentis diuerberare, & repetitis conatibus expugnare magna vi adortus Marinianus propter singularem virtutem defensorum cum magna suorũ iactura repellitur; in quibus conatibus plures quingentis Hispanis & Germanis ceciderunt. verumtamen cum aquæ inopia intra munitionem vehementer laboraretur, necesse fuit illam in Cæsarianorum potestatem denique per deditionem venire. ea iactura omnis spes excidit ex animo Strozzæ defendendi

fendendi portus Herculis, nisi nouum supplementum, nouaq; auxilia in Italia conscriberentur. eo consilio cum Carolo Carafa Pyrgos triremi applicuit. Romam inde ad colligendas nouas cohortes aduolaturus. Sed prementibus hostibus arctiusq; quotidie obstringentibus & obsidentibus denique & portus Herculis nullis acceptis subsidijs cum omnibus locis finitimis venit in potestatem Caesarianorum. post multas disceptationes maturè habitas de creando nouo Pontifice Romae in comitijs, cum tẽporum corrup torumq; morum iniquitas sapientissimi pontificis iudicio & censura indigere videretur, deligitur patrum purpuratorum consensu Petrus Carafa, Neapolitanus Card. Nono Cal. Iunij, vocaturq; Paulus quartus. Hic ad quintum calendas omnia Pontificia insignia accepit; & cum esset ex nobilissima familia, mira expectatione animos Romanorum ad honorificentissima quaeque, quod nihil humile ab eo expectabatur, extulit. nam visus erat in omnibus negotijs uir elato ingenio, non vulgari prudentia, & aequitatis maximè studiosus. atque dum Roma exultat laetitia occasione noui pontificis obliterato moerore, quem ceperat è morte Marcelli, Marinianus multis, magnificentissimisq; auctus muneribus ab Hetruriae principe Mediolanũ in patriam redijt. sic ea ciuitas, quae opibus, antiquitate, nobilitate praestabat caeteris Thusciae ciuitatibus, cum per tot annorum seriem uixisset libera, Florentissimaq; fuisset aliquandiu & potentissima disciplinarum armorumq; studijs, mox relictis studijs sapientiae, ob intestina odia, impunitatemq; iniuriarum, & gubernandi resp inscitiam conquassata, deformata & desolata in potestatem hostium venit; ubi prius sua Castella ferro igniq; absumpta uidisset, villas & pagos solo aequatos. amoenissimas arbores succisas, regionem deuastatam, ciues & amicos hostium manu ante oculos iugulatos & trucidatos. atque cum imperiorum omnium maximè fragilis & caduca sit respublica, quae vel viuens quasi distracta est in multorum sibi inuicem inuidentium dominationem; patet nihil esse tam formidabile liberis ciuitatibus, quàm intestina odia ciuium ex iniurijs, & iniustitia, & impunitate

Paul. IIII. Carafa. Põt. deligitur.

Senae deuastatio.

punitate scelerum inueterata, quæ nisi per optimarum legum obseruantiam noua & nascentia restinguantur, tanquam occultus ignis latendo vires assumunt; & cum erumpendi facultas conceditur rapidissimum consurgit incendiũ, quod cum magno fragore fumo flammisq́; inuolutam patriã in cineres altissimos denique conuertit. Sena ita compulsa ad deditionem cum Cæsaris res compositæ fuissent in Thuscia, non tamen reliquæ Italiæ partes fuerunt, quoniam hæc prouincia mater & altrix multorum bellorum propter amœnitatem opulentiamq́; regionis penè incredibilem semper inuidiosa extitit finitimis regibus, quæ ubi ipsa non contendit de orbis imperio, pro tuenda libertate ab exteris nationibus pugnare coacta est. Nam quamuis eam aduersus exterorum irruptiones natura ab altera parte mari Adriatico siue supero Hellespontoq́; muniuit, ab altera mari infero ac Tyrrheno seclusit ad meridiem; ad orientem mari Ionio per eam lineam quæ ab Hydrunte ad Zephyrium vsque promontorium extenditur separauit, ad septentrionale latus & occasum versus alpes altissimas perpetuas collocauit, montes asperrimos scilicet ac difficiles, quibus tanquam mœnibus ac propugnaculis protegeretur: quæ incipiunt ab ijs locis, quæ in Cyrnum, Sardiniæq́; sinum prospiciunt, & in sinistri cubiti morem occasum septentrionemq́; versus extenduntur à Sutrijs propè incipientes per Segusianos, mox per Cotiam regionem flexi oriẽtem versus procedenti à sinistra relinquuntur ad septentrionem. non enim tanta naturæ diligentia muniendæ separandæq́; Italiæ à reliquis orbis partibus satis valida visa est, quoniam vti diximus ob fertilitatem opulentiamq́; regionis Italia multis præclaris ducibus abundans multoq́; peditatu lectissimo & equitatu, ac ingenijs hominum propè diuinis eam sui opinionem concitauit, quòd is facile futurus sit totius orbis Dominus, qui totam Italiam subiugasset. idcirco aliarum quidem rerum simulatione, at re ipsa de Imperio Italiæ iam multos annos certabatur à duobus potentissimis regibus; quorum animus sublimis & magnificentissimus ad maiora semper aspirabat. cum igitur Gallis res succederent feliciter in

Senensis prouinciæ descriptio.

Albani aduentus Mediolanum.

subalpina Gallia, Cæsar abdicato Ferrando Gonzaga ad insubrum præfectura, statuit, ut diximus, ut Albanus ad ea pericula diuertenda, quæ videbantur imminere, ad recuperanda occupata iam à Gallis castella, ad liberandam insubriam tanto Gallorum metu cum maximo rerum omnium bellicarum apparatu adproperaret, & ad ferendas suppetias vulpiano oppido, quod extrema annonæ penuria laboraret, cuius præerat præsidijs Cęsar Neapolitanus, atque summa diligentia & vigilantia & fortitudine tuebatur. Albanus quãta potest celeritate Bruxellis denique Cassianum peruenit, quod oppidum situm est in ripa Adduæ fluminis in ea parte quæ in vlteriorem ripam Carracam prospectat: distatq́; ab vrbe Mediolano circiter viginti millia passuum. ibi obuios habuit multos Mediolanenses è primarijs urbis, qui honoris gratia obuiam illi processerunt. quippe quòd illa vrbs eximia bonitate morum, & humanitate in omnes exteros, & in ipsos præfectos obseruantia & amore, si sint præfecti viri boni nulla Itala ciuitate sit inferior. neque illud dico, quòd inde sim paruulus infans Venetias per bellorum metum deportatus cum maiores nostri sint Roma oriundi, atque ego natus sim Mediolani; sed quia res ipsa docet ita esse, cuius testes sunt omnes qui periculum fecerunt. Albanus itaque in vrbem ingressus cum magna totius ciuitatis lætitia paucos dies ibi moratur, atque tantam rerum omnium perturbationem inuenit, quanta vix explicari posit. Nam Hispani qui erant in præsidijs subalpinis territi assiduis cladibus, quas acceperant, cum Galli multorum castellorum præsidia trucidassent, multosq́; in leuibus prælijs interemissent, Genuam è pręsidijs profugiebant in Hispaniam mox traiecturi. Idcirco necesse fuit Albano custodias mittere, quæ atrocissimè in profugientes animaduerterent, eosq́; afficerent extremis supplicijs: quod vnum remedium visum est opportunum ad ipsos Hispanos ad vetera signa reuocandos. curauit ut quatuor Germanorum millia in Italiam adducerentur, & mille atque quingenti Ferraroli uocati. ferox sanè hominum genus, at incursionibus & prædationibus magis, quàm conferendis signis & prælijs

prælijs æquo marte committendis vt diximus aptum, cum strepitu tantum sint formidabiles, at sclopettis propter breuitatem in armatos nullam propè impreßionem faciant. multas Italas cohortes conscribit. militaria omnia diligenter parat. cum iusto exercitu prodit in apertum. sub idem tempus Castalius & Marinianius cum vxore Albani Mediolanum concedunt. Albanus cum vxore Mediolani aliquãtulum commoratur, quod tempus non aspernandum prorsus opportunitatẽ Gallis conceßit instruendis munitionibus, reparationibusq; excitãdis. Interea Salarais nobilis archipirata cum nonnullis rostratis biremibus ac myoparonibus vniuersa litora maris mediterranei deuastare cæpit, atque Adriaticũ & siculum mare infestat. proxima quæque litoribus prædationibus & incendijs replet. multa castella Christiani nominis acerrime populatur colonis ad transtra cathenatis. quibus rapinis non mediocris terror Italiæ litoribus est iniectus. at Veneti ijs prædationibus commoti præfectum Venetæ classi quæ erat ad custodiam sinus Adriatici mittunt ad tantam audaciam & incursiones piratarum reprimendas, restringendaq; tanta calamitatum incendia.

Salarais archipirata mare siculũ infestat.

Singulari virtute ac fortitudine vsus ita fecit ut piratæ fuga sese in sinum Adrumenti seruauerint, omnesq; Adriatici litoris oras tutas colonis reliquerint. Sed quoniam non leuis est semper ferrè inter eiusdem artis opifices æmulatio & inuidia, cum quisque inferiorem sibi adiungi, at non superiorem vel parem contendat; accidit per id tempus vt Marinianius & castalius viri laude bellicæ artis clari & exercitatißimi ab omni rei militaris consideratione & ab Albani cõsuetudine se retraherent, quoniam Garzias Toletanus Italicæ gloriæ æmulus Vicarius ipsius Albani pro suo arbitrio & consilio, sine alterius vllius iudicio dispensaret, neque cuiusquã ingenio uteretur. Sed quoniam tarditas omnis & mora & comperendinatio, vt diximus, acerrimum est venenum omnis rei bellicæ, nisi quid tardè consulto fieri res ipsa postulet; non habuit tantam vim Cæsarianorum apparatus, quantum vniuersa Gallia subalpina, uel potius uniuersa Italia habitu

Marinianius & Castalio ab Albano se retrahunt.

Garzias Albani Vicarius.

rum crediderat; quæ tota in immensam admirationem fuerat conuersa. sed multa sunt auditu & uisa horrenda & formidabilia, quæ tempus mansueta facit & placida. Nam Garzias Cæsarianarum copiarum discessum atque profectionem & tormentorum & omnium apparatuum protraxit tan diu, vt terror ille in animo Gallorum iam diu conceptus aliquantulum refrigesceret dum plaustra parantur, & iumenta ad trahenda tormenta & plaustra imperantur: quamuis Albanus bonam partem exercitus ad castellum Merulinum uocatum promouit, ipse Mediolano discessit circiter nonas sextilis cum insignibus ducibus Marchione Pescoliensi, Vespasiano Gonzaga præfecto Italis cohortibus, Cæsare Neapolitano castrorum magistro, Raymundo Cardona præfecto tormentario negotio, Nicolao Zido quæstore, alijsq́; nonnullis. erant in castris Albani duodecim Germanorum, octo Italorum, sex Hispanorum millia; equites cataphracti octingenti. leuis armaturæ equites circiter mille, muralia tormenta quadraginta, & inter hæc nonnulla insignis magnitudinis: quæ ex oppidulo Mediolani, & ticino, & Cremona, & alliorum locorum oppidulis fuerant aduecta. Albanus liuernam profectus fit certior per exploratores Gallos duobus in locis Cæsarianorum conatus & impetum esse excepturos ad ripam Duriæ fluminis, ubi fluuius ipse posset vadari. Brisaccus tamen percepto numero hostilium copiarum, cum ipse haberet in castris uix septem peditum millia, equites ad septingentos, at pauca tormenta bellica, consilium mutauit, animumq́; conuertit ad munienda castella in suis finibus summo studio, singulariq́; diligentia. Albanus ad uada Duriæ fluminis profectus, quæ Galli aduersus traiecturos munierant, munitiones nactus sine præsidijs ac desertus iubet tumultuarios pontes eò aduectos de more castrorum super fluuium iaci, per quos plaustra commeatum Vulpiano conuehentia traijciunt cum custodijs mille sclopettariorum, & quadringentorum equitum. Galli horum aduentu deserunt munitiones, quas obsidionis causa excitauerant, seq́; ad Augustam Tauricam recipiunt, in quos exeunt præsidia Vulpiani, postremaq́; terga

Albani exercitus, duces, & tormenta.

Albanus Vulpiano suppetias fert, & commeatum.

Galli ad Augustam Tauricā se recipiunt.

ga

ga hostium leui certamine infestant. Sic igitur Vulpianum diu à Gallis obsessum, & ad extremum prope redactum, discedentibus ijs qui arctè diuq́ obsederant sine controuersia subsidia accipit, ac tandem sibi liberius respirare uisum est. Vulpiano itaque commeatu ex præsidijs, & rebus omnibus necessarijs munito Albanus laudata fide, constantia, & uirtute oppidanorum præsidiorum, qui egregiè se tutati essent, diuturnamq́ obsidionem sustinuissent, concilium indicit, ut decernatur communi consilio quid primum in tantis rebus esset agendum. non enim uidebatur tempus frustra amittendum anni utile, neque in expugnandis locis nullius momenti consumendum, quare cum ad comitia Aluarus Sandæus Vespasianus Gonzaga, Franciscus ybarra, Garzias Toletanus, Raymondus Cardona, Ioannnes Gueuara, Cæsar Neapolitanus, Marchio Pescoliensis, Nicolaus Zidus, multiq́ alij Itali proceres & Hispani, visum est nonnullis Augustam Tauricam, aut Casale, aut Hipporegiam, aut loca huiusmodi esse expugnanda. neque enim conuenire magnis apparatibus, qui raro fiunt, & non sine maximo populorum incommodo, loca inuadere nullius aut certè parui momenti; cum illud fuerit consilium hostium, ut non solum Hipporegiam & Casale & Verruuam oppidum & Sanctià, muniuerint egregiè, verum etiam alia loca nonnulla quibus Albani vires debilitari, aut certè retardari possent. nam vt acutissima acies cultrorum si primum hebes fias rebus inutilibus incidendis, fit inhabilis postea cædendis vtilibus: sic potentissimi exercitus, & maximorum apparatuum si primus impetus sustineatur ac retardetur, statim cadit omnis arrogantia & animi magnitudo. non esse contemnendam totius Italiæ expectationem, neque rem in obscuro geri, quoniam fama eorum quæ aguntur in castris, non continetur intra fossas vallosq́ militares, sed latè per uniuersos populos Italiæ, vniuersasq́ nationes exteras peruolitat. ridiculos fore qui pro tantis copijs, tantis sumptibus, tantis apparatibus tantis insubrum incommodis, nihil memorabile fecerint; quippe cum agricultura artesq́ omnes prope urbibus necessarias reliquissent insubres

Vlpiani Albanus ad concilium proceres conuocat.

insubres cum iumenta in castra ad usum tormentorum & annonæ conuehendæ, homines ad excauandas fossas, erigendasq́; munitiones, & ad cæteros usus militares in castra uenerunt. alij contrà istud non esse è disciplina militari, neque laudabile inquiunt in regionem hostium ita prorumpere: cum minime conueniat munitissima loca, & in quibus præsertim ualidissima insint præsidia à tergo relinquere: quibus non minus obsideri quàm obsidere alios possent: cum nemini tutum iter in castra relinqueretur; aut semper maximus numerus militum ad accedentium & discedentium è castris custodias esset distrahendus. sic enim fiebat ut florentissimum oppidum Sanctià à tergo relinqueretur. in quo erant tria lectissimorum peditum millia cum præfectis ducibus Birago & Vimercato uiris in rebus bellicis exercitatissimis ac strenuis, qui possent terga extrema infestare, commeatus intercipere, & omnia Cæsarianorum consilia subuertere aut debilitare. censebatur igitur primum omnium oppidum Sanctià expugnari oportere, quod se breui facturos existimabant; postea cum eius fama Victoriæ, nouaq́; accessione uirium aliquam prædictarum ciuitatum utiliter posse inuadi. Sic enim debilitatis uiribus Gallorum ipsi potentiores formidabilioresq́; hostibus effici uidebantur: cum magnam habeant uim ad reliquas res bellicas primi vel prosperi vel aduersi rerum successus. hoc consilio comprobato, quod magis è peritia rei militaris procedere uideretur, præmittit qui oppidum explorarent ad expugnationem. diriguntur triginta Cannones & quatuor calubrinæ ingentes postero die inter corbes terra oppletos. oppidum ingenti strepitu & impetu concutitur. sed quoniam oppidani ita muros interius aggeribus & terra communierant, locumq́; ad quadratam formam cum quatuor firmissimis propugnaculis produxerant; intra quorum spatia erant superiores plateæ nonnullæ & totidem è gleba munitiones, ut nihil prorsus ab hostibus esset timendum, fit vanus & inutilis omnis tormentorum impetus ac labor Cæsarianorum. post diuturnam igitur diuerberationem cum omnis Cæsarianorum conatus esset irritus oppidum adorientium,

Sanctià oppidum ab Albano cõcutitur.

adorientium, non magno negotio intrepidè à Gallis repelluntur. Dum Albanus modo obstinatissimè oppido concutiendo modo renouandis conatibus est intentus, nihil sentientibus Cæsarianis octingenti sclopettarij equites trecenti sub meridiem in oppidum admittuntur, quare effectum est postea ut obsessi ad leuia subitariaq́; prælia frequẽtius exirent. eos rerũ Cæsarianarum parum prosperos successus, neque tantæ expectationi hominum respondentes, non ferunt æquo animo duces insignes Marinianius & Castalius; quòd non res Toletani sed Cæsaris in magno discrimine positas esse viderent. veniunt in castra. Albanus hos consulit. docent quo in periculo res constituta sit. nimis difficile susceptum esse negotium. oppidum illud tantum diuturna obsidione, at non armis vinci posse. frustra ibi tempus absumi cum ob loci eximiè muniti præstantiam, tum ob illud, quòd Cæsarianæ copiæ possent ab hostibus circumueniri, atque cogi ut tormenta relinquerent: cum Brisacci copiæ succrescerent in dies nouis subsidijs è Gallia transalpina clam accedentibus. Albanus cum ita percepisset se munitionum & copiarum & apparatuum & existimationis, quæ præcipue seruanda est integra iacturam uno tempore facere posse, satius esse iudicauit ut copijs in tutiorem locum contractis omnia conseruaret, quàm ut ita fortunæ arbitrio committeret: quare ad pontem Asturæ fluminis se contulit. locum ibi muniuit, vnde poterat Casale, & Augustam Tauricam, & cætera Gallorum oppida infestare. nam interclusa Padi nauigatione Galli non poterant commeatum ad sua præsidia demittere. his ita statutis, dum opus differtur nuntiatur Brisaccus cum validis copijs aduentare. eo nuntio accepto Cæsariani ne interciperentur atque intercluderentur, tam citi ab obsidione discedunt, ut multa tentoria & impedimenta relinquerent, quæ statim ab exeuntibus oppidanis direpta sunt, & in oppidum comportata, cum neque mercatores quidem moniti fuissent de more castrorum ut uasa colligerent ad profectionem, suasq́; sarcinulas ad iter compararent. Est enim non solum calamitosum ipsis mercatoribus, sed etiam indecorum Imperatori siquid in ma-

Marininij & Castalij prudens consilium.

Albanus cum exercitu ad põtem Asturæ se confert.

Brisacci aduentu Cæsariani repẽtine discedunt.

nus

nus hostium venire patiatur, quod vel negligentiam vel trepidationem arguere possit. Idcirco plerunque comburendi sunt commeatus, & munitiones & ædificia quæ futura sint hostibus vtilia, ubi imminet eorum aduentus, si prius auehi non possint. ita cædendæ sunt arbores & urendæ, fundenda vina, corrumpendæ aquæ, tormentis claui infigendi, omniq; ratione nitendum vt omnia commoda hostibus eripiantur. Albanus illa obsidione relicta ad pontem Asturæ castra mouet. ibi tandiu fuit, ut locus ad munitionis formam instrueretur. postea conuulsis inde uexillis ad oppidum Sancti Lazari castrametatur. Castalius omnibus copijs præfectus Alexandriam properat, utinde Astam, & ad cætera loca indigentia opportuna subsidia posset mittere, et si opus esset uiribus hostiũ resistere. Albanus Mediolanum reuertit. è copijs Cæsarianis aliæ dimissæ, aliæ relictæ Alexandriæ apud Castalium, ubi Pescoliensis mansit cum omnibus leuioribus equitibus. Cum Albanus ad pontem Astruæ adhuc moraretur Vmalius regulus Guisij frater cum magna peditum manu & ingenti equitatu è Gallia Narbonẽsi profectus, superatisq; Cottijs alpibus cum Brisacco castris coniunctis plurimum auxerat uires Gallicas; quare post discessum ac prope fugam Cæsarianorum ad Vulpianum castrametatur, exploratoq; loco ad verberationem muralia tormenta magno studio ac diligentia singulari tam acriter locus concutitur; tãta procella insigniũ globorũ, tãtoq; strepitu urbs uerberatur, ut nulli Vrbani possent ad defensiones exire, aut mœnia ascẽdere ob crebritatẽ ictuũ, aut siquis istud facere conaretur continuo trucidaretur. urbani defensionibus destituti, quas nulla diligentia præseruare potuerunt Gallis ob multitudinem diligentiamq; tormentorum iuncta prosternentibus, & præsertim propugnaculum, quod plurimum faciebat ad urbis defensionem, tam acriter tamq; strenuè locum tutantur vt Gallos sæpius ab oppugnatione reiecerint; quamuis missæ operæ muros in inferiore parte ligonibus effoderent, & in fossas deuoluerent. verumtamen post repetitos ac renouatos sæpius conatus, cum & urbs assiduis uerberationibus, & præsidia crebris prælijs

iam

Castalii diligentia.

Albanus Mediolanum reuertit.

Vmalius Guisij frater Vulpianum acriter diuerberat.

iam essent debilitata, Vulpianum venit in potestatem Gallorum, sed magna accepta prius vtrinque clade. Galli Vulpiano potiti muros statim deyciunt, munitiones solo ad quant, ne illam molestiam in posterum haberent aduersus Augustã Tauricam, quòd propugnaculum illud tot annos egregia Cæsaris Neapolitani industria cum multis Gallorum difficultatibus fuisset defensum. Galli per eam Victoriam non solum multiplicibus sumptibus liberati sunt cum facile minui possent Augustæ Tauricæ præsidia; quæ semper valida esse oportebat propter illud propugnaculum; sed etiam insigni molestia & multorum malorum metu, quæ inde Augustæ Tauricæ imminere videbantur. sic Albani exercitus vel ipso nomine vniuersis Gallis formidabilis ridiculum propè finem sortitus est, cum nihil tanta expectatione dignum aut memorabile fecerit. Galli contra, qui latebras ad fugam iam prospectare videbantur, vbi vires satis idoneas ad res gerendas sumpserunt, nihil frustra aggrediuntur; & res potius, quàm rumores excitant. Sic enim fit plerumque, ut primi bellorum conatus, si frustra suscipiantur, infringant inconsideratorum vires, audaciamq; præbeant hostibus, qui vt contra ignauos & imprudentes fiunt alacriores. Dum ea geruntur in Gallia subalpina, Ferrandus Gonzaga ÿs accusationibus, quas superius diximus, oneratus multis eius ministris captis Mediolani, & in vincula coniectis, absoluitur; cum nollet Cæsar diutius in eum inquiri propter hominis dignitatem, & præclara multa in Imperatoriam maiestatem merita. voluit præterea omnes accusationes deleri, obliterari, & in perpetuum ex omni hominum memoria tolli, quas in accusatores ipsos acerrimè conuertit. Multa eaq; honorifica præmia, & insignes remunerationes illi propter superiores labores, singularemq; in rebus Cæsarianis industriam, decernuntur; quos labores pro Cæsaris dignitate domi forisq; pertulerat. pro magnitudine pecuniæ, quæ sibi debebatur à Cæsare, Sancti Seuerini oppidum, & castella nonnulla in Italia & in regno Neapolitano conceduntur, quibus acceptis ille in Italiam contendit. Galli ita Vulpiano potiti per insci-

Vulpianũ urbs à Gallis capitur.

Ferrandus Gonzaga à Cæsare absoluitur & remuneratur.

Galli montem Caluum ad deditionem cōpellunt.

tiam Cæsarianorum, qui ubi commeatum importarunt infirmos milites educere, & pro illis noua supplementa relinqui oportere non cognouerunt, mox eadem ratione Montem Caluum ad deditionem compellunt. eius opppidi præsidia minime tutum armis decertare, fortunæq; belli se committere arbitrata, ne in Vulpiani fortunam incurrerent, ubi ad vnū trucidata fuerant præsidia, Gallis hisce conditionibus se dedunt, ut integra esset libertas, atque præter vitam & arma, cuncta victorum Gallorum arbitrio concedunt. His felicibus rerum successibus Galli elati nullum tempus amittunt, sed modo pollicitationibus & largitionibus, modo minis & insidijs, modo uirtute militari noua oppida in subalpina Gallia occupare nitebantur: qui etiam Ayquam & Ancisam oppida dum Castalius Alexandriæ paleariæ moratur per proditionem capere tentarum: quæ sita sunt in finibus Galliæ subalpinæ meridiem versus & mare ligusticum. ea proditione patefacta Pescoliensem mittit Castalius cum cohortibus peditū & equitum turmis nonnullis, curatq; ut anceps explorator per eam facultatem simulatæ proditionis Gallos ad statutum locum deduceret. res ita composita est, ut optarat Pescoliensis, collocatæ sunt in Gallos nocturnæ insidiæ. Brissaccus ubi eò per noctem misisset magnam manum peditum, & equitum turmas, præparatarum insidiarum ignarus, existimabat se ita Ancisam capturum. Sed Galli ad locum insidiarum sub gallicinium profecti ab inuadentibus Cæsarianis repentino adortu in fugam vertuntur. ad septuaginta equites capti sunt. Vasconum cohortes nonnullæ labefactatæ alij fuga sibi salutem quæsiuerunt. Hæc Gallorum cædes, quia iamdiu nihil aduersi illis euenerat, nonnihil animos eorum repressit, & retardauit, fecitq; ut aliquantulum de illa incredibili animi alacritate remiserint. at Carafa qui potifex creatus, tanta, tam præclara, tam inaudita initia sui imperij ac pontificatus edidit, ut omnes homines non solum ad mirificam spem pacis & tranquillitatis, sed etiam insignis felicitatis erexerit; quare incredibilem in se omnium populorum & gentium beneuolentiam, & Romanorum præsertim excitauit.

Gallorum cædes per simulatam proditionem.

Induciæ à Pōt. Max. cōponuntur inter Cæsa. & Henr per quinquē.

excitauit. is dum audiendis regationibus regum ac populorum & omnium gentium quæ gratulatum undique confluebant esset intentus, post multas controuersias & mutationes conditionum inter Cæsaris & Gallorum Regis Henrici negotiatores, componuntur induciæ in quinquennium, quæ ab ipsis principibus confirmatæ, postea in omnibus Italiæ, Galliæ, Belgarumq; finibus indicuntur, publiceq; pronuntiatur. Pontifex amplissimum Iubileum Christianis omnibus concedit, qui pro horum principum concordia, & pro omnium Christianorum tranquillitate Deũ suppliciter pieq; precarentur. legationes decernit ad Cæsarem & in Galliam Mottolam & Carafam antistites purpuratos, quæ gratulatum pro rebus compositis accederent. veniunt gatulatum sub idem tempus Guidobaldus Dux Vrbinas, & Ferrariensis, ac Parmensis cum magna nobilium ciuium pompa & magnificentia. Pont. præclara gesta in Vrbe. *Pontifex Vrbinati Duci Romæ præfecturam concedit, summumq; imperium in uniuersum ecclesiæ principatum post ipsum pontificem. deinde tria instituta pronunciat, quæ vulgo bullæ uocantur, in quorum vno decernitur vt pro pace omnium Christianorum ab uniuersis Christianis Deus suppliciter pieq; oraretur. aliud decernebat ut reformarentur Romæ res Hebræorum. in tertio continebatur ut erepti, abalienatiq; illegitimè redditus omnes ecclesiastici recuperarentur. præterea iubet omnes copias censeri, quæ essent Romæ exercendis armis idoneæ, quas ipse videre voluit. censa sunt decem egregiè auratis loricis & cæteris armis armatorum millia, & quos aspectus ipse bellicosissimos homines posset ostentare, nisi imperitia & imbecillitas animi & armatorum ornamentis, & toruis vultibus repugnaret. sed tanta fuit põtificis oblectatio his uidendis, vt omnes voluerit instructos in acie in plateam diui Petri accedere: centum & uiginti nobiles viros Romanos equestri dignitate insigniuit, quos Fidei equites uocari voluit; quibus perpetua Pontificis ipsius custodia commissa est. oportebat duodecim horum equitum singulis noctibus esse in Pontificio palatio militari officio perfungentes, cum diuisis vigiliarum horis singulatim ad thalamũ*

Tybur urbs restituitur Romanis.

pontificis excubarent : atque ita alijs quotidie succedentibus mutabantur in gyrum. Restituit Romanis Tybur urbem, quæ multos iam annos ab illis defecerat; confirmauitq́, omnia illorum iura, rationes, & priuilegia quibus usi fuerāt ad eam usque diem. Hisce rebus effectum est cum tantum liberalitatis & magnificentiæ præ se tulisset, ut mirificis laudibus tolleretur in cælum ab omnibus Romanis, coleretur q́, non sicuti cæteri pontifices consueuerunt, sed tanquam Pontifex pater patriæ, & tanquam Deus aliquis beneficus & propitius urbi Romæ. Romani contra ne tot tantorumq́, beneficiorum acceptorum immemores aut ingrati uideri possent; illi è pulcherrimo lapide magnificentissimam statuam in capitolio erexerunt, tanquam inusitatæ bonitatis & liberalitatis Pontificiæ perpetuum monumentum ad omnem posterorum memoriam transmissuri. Sed tantis, tamq́, præclaris initijs cætera non responderunt, ut suo loco narrabimus; quia cum idem Pontifex autor fuisset ob implacabile ingenium multorum atrocissimorum bellorum, insigniumq́, calamitatum Romanis & uniuersæ Italiæ, ea uniuersi populi Romani concursu impetu facto deuastata est, & non minore odio infringitur & comminuitur, quàm lætitia fuerat posita. Quæ dū Romæ geruntur, Cæsar vel honorum pertæsus, cum rerum omnium denique sit satietas, vel cupiens iam exautorari post infinitos bellorum labores; vel quòd factus esset ualetudinarius, cum grauiter laboraret è pedibus Bruxellis, statuit ad tranquilliorem uitæ rationem se conferre, omniumq́, regnorum, & imperiorum amplitudinem & magnificentiam paruifacere, ut quæ vulgo & imperitæ multitudini grandia, admirabilia, ac propè diuina appareant; sed re ipsa nihil continent egregium; quorum tota amplitudo est in opinione uulgi constituta, cum neque corpus verè neque animum iuuent. istud aucupandæ quietis consilium ac desiderium cum Maria pannoniæ, & Eleonora Galliæ reginis sororibus communicatum, non solum probatur; sed etiam fratrem ambæ communi consensu cohortātur, ut quod reliquum uitæ diuina clementia sibi concederetur, quàm fieri posset tranquillius atque

Romani statuā Pōt. erigunt.

Cæsar imperij pertæsus exautorari cupit.

que placatius transigeret; putaretq́. solam felicitatem in rebus humanis merito posse iudicari animi quietem. Quare Cæsar Philippum filium ad se accersiri iubet, per publicam stipulationem Siciliæ Neapolisq́. regna, Sequanorumq́., & insubrum, & Belgarum principatus assignat. missus est Aloysius cordubensis Regulus ad possessionem Siciliæ regni & principatus Mediolani Philippi nomine capiendam; Pescoliensis ad regnum Neapolitanum; ibi iussus est Albanus habere domicilium, ubi res insubrum Mediolanensisq́. principatus compositæ fuissent. ea dum tractantur in Gallia subalpina, quoniã Thermeus cum Turcica Gallicaq́. classe vt diximus, ac principe Salernitano Cyrni insulæ maiorem partem occupauerat, Genuenses per hoc tempus Gallis in uarijs bellorũ fluctibus occupatis insulam ipsam recuperare nituntur. Auria itaque magna militũ manu collecta Casalum sinum obsidet, acriterq́. diuerberat; quæ præsidia cum omni subsidiorum spe essent destituta, in eam denique conditionem ueniunt ut liberi cum armis & impedimentis excederent. ea munitione Auria potitus deinde Sinum Syracusanũ inuadit: sed cum propter egregiam defensorum virtutem se operam ludere intelligeret, ab oppugnatione recedit. Nec multum sanè intercesserat tempus, cum insignis cometa in Italia apparuit nuntius futurarum calamitatum; qui interius turbidus pallensq́. videbatur; cuius tamen radij erant clarissimi, auroq́. persimiles. is à meridie ad septentrionem paulatim percurrens cũ ipso cœlo tanquam vera stella conuoluebatur, variatoq́. cursu & apparendi tempore per mensis spatium ferè perdurauit, mox paulatim euanuit. Secuti sunt paulopost insignes calores, & deinde ingentes pluuiæ in Noricis verò finibus & in regionibus Sueuorum ac Bohemorum tanta, tamq́. formidabilis exorta est tempestas, & ventorum tanti turbines, ut multa ædificia prostrata sint, & solo æquata, conuulsæ arbores radicitus, assiduus propè fulgurum splendor, tanquam nictus oculorum interposito interuallo; ignesq́. crebri in aere nisi per quoddam spatium perdurare. Pontifex qui tam beneficus extiterat erga Romanos ciues, iam ad suos etiam locuple-

Cæsar Philippo regna consignat.

Auria Casalum finũ obsidet.

Cometa ĩ Italia qualis apparuerit.

Vis uentorum exorta in regionibus Sueu. & Bohem.

Romanorū magnificentia in Pont. fratrem & affines.

cupletandos animum conuertit, & honoribus insigniendos; atq; cum animus eius nescio quid bellicum videretur diuinare, Ioannem Carafam fratrem rebus militaribus cum summo imperio præficit, qui magna cum pompa, & inusitata propè solennitate ad eam dignitatem fuit assumptus. Nam aurea ueste indutus, habensq; capitis integumentum multis gemmis & margaritis ornatum adductus est cum magno procerum comitatu in capitolium. fuit ibi solenne, magnificentissimumq; conuiuium paratum à Romanis, ubi nobiliores ciues Romani erant complures, ac matronæ Romanæ; ad quod conuiuium omnes Pontificis coniuncti & affines fuerant inuitati. multa aderant acroamatum genera, & comœdiæ nonnullæ sunt recitatæ; ita ut nulla conuiuij suauitas sit desiderata, & acroamata ipsa ad auroram usque perdurauerint. Nullum prætermissum est humanitatis magnificētiæq; genus à Romanis, quo non cumulatissimè ac liberalissimè in affines Pontificis non sint usi, cum omnes arbitrarentur se ad summam tranquillitatem per eum pontificem peruenisse, atque ad felicissimum uiuendi genus; & ad aureum verè illud seculum, quod ab antiquis tantopere fuit celebratum. omnes Romani lætari, exultare, alas concutere: pontificem miris laudibus tum publicè tum priuatim extollere, nihilq; tantopere precari quàm ut illi quam maximè diuturnis & felix uitæ decursus concederetur. Philippus per id tempus Bernardinum MendoZzam Neapolitanæ administrationi præficit, qui fuit in ea præfectura post Cardinalem Pacceum usque ad Albani aduentum. Sed antequam induciarum fama in Belgas aut in Britanniam penetrasset, vel potius etiam ante quam componerentur, bellum quoddam Nauale commissum est inter Mercatoria militariaq; nauigia propter atrocitatem memorabile. Nam cum prætoria nauis in mari Oceano cum uiginti & duobus nauigijs, Batauis mercimonijs onustis nauigaret ex Hispania, Galli rem per exploratores docti, decem & nouem naues onerarias, & minora sex nauigia egregiè bellicis apparatibus & præsidijs instruunt, atque in opportuno loco præstolantur non procul à Douera Britāniæ portu, qui

Bellum nauale memorabile in mari Oceano.

fere

ferè per lineam rectam è regione respicit Icium. ea prætoria nauis cum apparuisset, ad eam inuadendam spe prædæ incredibili impetu feruntur Galli. Batavi propter belli suspicionem etsi mercimonia conueherent ad defensionem minime imparati, non territi sunt repentino Gallorum adorientium conatu sed strenuè se accingunt ad defensionem. Galli quoniam militum bonitate præstarent, quanta fieri potest celeritate tormentorum impetum deuitantes, quærunt cominus pugnare. Iacta sunt ferrea instrumenta, quibus naues inter se colligantur, fiuntq́; ad mutuam pugnam stabiles; atque post multum tormentorum fragorem Galli denique circiter quindecim nauigia Batauorum vncis ferreis cathenant ad expugnationem. Bataui Belgæq́; resistentes atque tuentes ipsa nauigia tam atrox tamq́; cruentum prælium committunt, multi ut vtrinque caderent, & non minus victi quàm victores Galli apparerent. Istud autem fiebat non solum Batauorum virtute, qui Gallis minime cedebant, sed etiam nauigiorum bonitate, quæ multò erant Gallicis editiora, imminebantq́; Gallis, multisq́; tormentis, varijsq́; armorum generibus erāt instructa. cum uerò diu certatum esset, Galli iam defessi diuturno labore, ac vi tormentorū conquassati è bello erant excessuri, sed cum id facere nō liceret, decernunt Batauis nauibus ignem inijcere, ut hostes territi cogerentur accurrere ad restringuēdum incendium, sibiq́; fugæ tempus concederent. Sed res aliter euenit. nam cum repētina uis uētorum insurgeret, neque possent naues ita repente solui, tanta uis ignis sublata est, tantusq́; flammarū impetus, ut nō minus in amicas quàm in hostiles naues penetrarit; quo incendio dimissa pugna neccessariò ad extinguendum ignem omnes sunt conuersi. nulla tamen tam uelox mortalium fuit diligētia, quo minus multa nauigia eo incendio conflagarint; atque milites ignem afugientes natatu salutem requirentes ad proxima quæq́; nauigia refugiebant. ceciderunt è Gallis ad mille homines, è Batauis quadringenti: quæ pugna cum diutius perdurasset, concrematæq́; fuissent se naues Gallicæ ac totidem Batauæ denique Galli uictoria potiuntur, captiuasq́; faciunt quinque nauigia Batauorum,

Bonæ Poloniæ reginæ aduẽtus Venetias.

tanorum, & multos insignes homines. Per idem ferè tẽpus Bona Poloniæ Regina, Ioannis regis & Isabellæ reginæ Transyluaniæ mater uix a Cæsare & Ferdinando, & Ioanne filio impetrat ut in Italiam penetraret, atque quod reliquum esset uitæ ibi degeret. traiecit igitur primum Venetias, ubi magnificentißime à Venetis in Talamagum excepta multis comitantibus Venetis matronis ad palatium ducis Ferrariẽsis regiè ornatum apparatumq́ deducitur; in quam omni officij, magnificentiæ, & liberalitatis genere usi sunt Veneti. Posteà datæ sunt illi triremes, quæ tanta ab omni piratarum iniuria maritima litora infestantium, quò vellet, exponerent: quæ felici faciliq́ nauigatione ac benignitate uentorum usa Barrium appellit, atque ibi parum uixit. hæredem testamento reliquit eorum omnium quæ preciosa secum habebat seruum quendam, propter quem etiam male audiebat, quòd post habita filiorum regum maiestate & amplitudine, seruo ad concubitum uteretur. in finibus verò Belgarum cohortes nonnullæ Germanorum Atuacuti insignem tumultum excitarunt stipendiorum causa, atque portis & turribus nonnullis occupatis pulsis & eiectis custodibus videbantur urbem breui direpturi, nisi Maria regina nouis accitis auxilijs eorum audaciam refrænasset, autoresq́ seditionis capitali supplicio multasset. quo tempore Henricus rex Cantabrorum è regno eiectus à Ferdinando Rege Aragone anno 1512. cui successit Vandomus, naturæ concessit: nam Vandomus unicam filiam eius regni hæredem in matrimonio habebat. Pontifex interea ad reformandos nonnullos ecclesiasticos magistratus animum conuertit, quos Datariatum, Pænitentiatam, & Auditoratum uocant; ad eximendos abusus, qui sensim in hos magistratus irrepserant; & ad reformandos sacerdotes, omnemq́ conditionem ecclesiasticam tam in ijs quæ ad uestitum, quam quæ ad mores & ad omne uitæ institutum pertinerent. statuit in posterum ne rerum sacrarum munia ignaris rerum necessariarum committerentur, nevè prouentus & commoda concederentur indignis & imperitis sacerdotibus; quia non laborantes in ijs quæ diligentiam requirunt,

Bonæ reginæ mors & testamẽtum.

Tumultus in finibus Belgarum exorti.

Henrici Cantab. regis mors.

Pont. reformationes salutares.

runt, & negligentes homines, non paria præmia viris bonis & diligentibus iure videntur posse referre: cum ubi nulla sit virtutum & scientiæ atque imperitiæ differentia ibi certissimum est ignauiæ domicilium, & omnium denique calamitatum hospitium. concessit igitur pontifex ecclesiasticos prouentus illis tantum, qui à viris bonis & prudentibus & doctis antistitibus fuissent comprobati. cooptauit primum in sacrorum antistitũ purpuratorũ cõcilũ Carolũ Carafam, cui suum ipsius galerum concessit. Moritur Mediolani per id fere tempus Marinianius nuper è Gallia subalpina reuersus; qui repentino propè morbo correptus vno temporis momento vniuersam rerum gestarum gloriam conclusit: qui propter singularem felicitatem ac benignitatem fortunæ, nõnihil suo tamen ingenio adiutus ex infimo & pene sordido fortunæ gradu ad summos amplißimosq; honores peruenerat, omnesq; ætatis suæ tempus in castris Cæsaris cum multis insignibus præfecturis militaribus absumpserat. Sepultus est Mediolani quàm honorificentißimè; quem & Albanus, & omnis nobilitas Mediolanensis ad sepulturam cum magno totius ciuitatis mœrore & lacrymis prosecuta est. eius corpus positum fuit in amplißimo magnificentißimoq; templo maiore in marmoreo sepulchro multis cupreis statuis & uariegatis columnis ornato; quæ columnæ comportatæ fuerant Roma Mediolanum è monte Cælio magnis sumptibus. Interea Pontifex Romæ præ se fert incredibilem humanitatem erga omnes, & liberalitatem ac singularem memoriam erga illos, à quibus aliquo beneficio unquam fuisset affectus. sed tamen tam mirabilis, tam felix, tam inaudita Romanæ vrbis & vniuersæ Italiæ expectatio futuræ segetis vel in ipso primo florescendi tempore corrupta est vel ipsa Pontificis natura, vel consultorum perfidia & scelere, & uana cupiditate rerum nouarum. nam cum persuasissent affines siue consultores vt arma inferret Philippo maximo Hispaniarum potentißimoq; Regi, non solius latij, sed vniuersæ Italiæ & Galliæ & Hispaniæ tranquillitatẽ in maximas calamitates et ærumnas, & perturbationes conuertit: atque ita rem ecclesiasti-

Mariniãnii mors, & fortuna.

Italiæ nouarum perturbationum mitia

Sss *cam*

Albanus Neapolim contendit ut bello occurreret,

cam afflixit, ut vix per multos felices annos ad priorem statum posset reuerti. Quo tempore Albanus qui erat adhuc Mediolani Neapolim decedere statuerat, ut occultis Pontificis apparatibus occurreret, cum paulatim, ut dicetur postea instrueretur aduersus Philippum Regem. Sed quia Mediolanensis praefectura insigni aliquo viro ad eius vrbis administrationem videbatur indigere, Christophorus Madruccius Card. Tridentinus ad illud munus deligitur, qui magna cum laetitia à Mediolanensibus acceptus est. at verò ad duodecimum Calendas Ianuarij Pontifex post Carolum Carafam, de quo superius mentionem fecimus, in purpuratorum numerum cooptauit Antonium Capizuccam Romanum, Ioannem Groperum Germanum, Ioannem Reumanum Gallum, Scipionem Rehibbam Siculum, Ioannem Saliceum Hispanum, Diomedem Carafam, & Bernardinum Scotum Sabinensem. Neque illud sanè praetermittendum videtur, quod attinet ad nauigationem Reguli Villagagnij equitis militiae Rhodiae viri Galli. nam cum in portu Hablae, quae ciuitas est Celtarum naues onerarias praesidijs bellicisq. apparatibus, & rebus omnibus necessarijs diuturnae nauigationi instruxisset nouarum terrarum ac rerum nouarum desiderio impulsus vela in ventos explicat, atque per fretum Herculeum Calpen montem columnasq. Herculis praeteruectus in oceanum occiduum ad sinistram aequinoctialem versus nauigat, & ad insulas fortunatas, quae vulgo cannariae appellantur, peruenit. distant illae insulae ad viginti gradus ab aequatore contra extremam Mauritaniae partem, ad quam partem etiam Hispaniae occiduus terminus concurrit. dictae sunt cannariae quoniam una illarum cannaria antiquitus fuit appellata, alia Niuariae, duae Innoniae, una Capraria, una Ombrios. alij mallunt esse dictas cannarias propter cãnarum copiam quae saccarum producunt. has omnium orbis terrae regionum tum ob fertilitatem pecudum, & frugum, tum ẽt ob tẽperiem aeris antiqui felicissimas esse fabulati sint cum omnino fieri non possit ut tanta sit tẽperies in locis cursui solis & aequatori tam propinquis, quibus Polus non eleuatur supra

Madruccius Car. Mediol. praefectura insignitur.

Pont. Max. nouos Car. creat.

Villogagnii nauigatio ad insulas fortunatas, & Ameriam.

pra oriZontem plus viginti gradibus, cum sit illis dies tredecim horarum longißimus in initio ferè paralleli per Syenen. inde soluens oram Aethiopicam & Nigritæ Niaq; fluuiorum ostia præteruectus, & regnum vocatum Senegæ quod distat ab æquatore circiter ad altitudinem Poli quindecim gradus, ad insulas Hesperidum applicuit, quæ distant à fortunatis ad octingenta millia passuum tropicum antarcticum versus. earum duæ habitantur à lusitanis, qui primi omnium recentiorum illas inuenerunt; altera Sancti Nicolai, Sancti Iacobi altera uocatur. reliquæ Syluestribus capreis, uarijsq; animalibus feris tantum, at à nullis hominibus habitantur hinc longa nauigatione vsus ad insulam ignis uocatam propter multitudinem flammarum ibi scatentium applicuit, Ichthyophagos & Aethiopiam interiorē præteruectus. tum æquatorem felici itinere pertransiens, & sinum Bonæ spei vocatum Americis insulis propinquat. Inde altißimos Cristmouræ montes prospiciens, qui nō procul distant ab Americis, tandiu nauigauit ut ad montes ipsos peruenerit. ab incolis benignè accipitur, unde ad Friæ promontorium uectus aquarum penuria cum salsum fluuium inuenisset tantum coactus est abnauigare per longum tractum donec ad Ganabram nominatum fluuium peruentum est. tum aduerso cursu fluminis, sed non uiolento propter amplitudinem profunditatemq; aquarum, inuectus in insulam, Galliam antarcticam nominauit. ea terræ pars uocata est America à Gallis, quoniam Americus Vespuccius primus eam deprehendit. atque postea antarctica Gallia vocata est, quia possessa sit à Gallis. est autem sita inter duos tropicos sub æquatore pars nonnulla Americæ regionis, eaq; non parua ultra tropicum Capricorni porrigitur: quæ ab oriente & septentrione vel potius tropico cancri terminatur mari Oceano; at ad meridiem fretum angustiasq; habet magellanicum, ad occidentem CuZcum & Perù, & mare pacificum uocatum. nascitur in America terra nonnulla palmarum copia, & mira est piscium abundantia qui frequentes sunt in proximo mari, quibus incolæ uescuntur. eorum tamen cibus est fructus multarum

arborum præter dactylos, quos terra sine ullo mortalium cultu aut industria producit. uescuntur tamen etiam radicibus nonnulli, quas indigenæ Hetichas uocant, quæ similimæ sunt raphanis; & humana carne eorum qui ceciderint pugnando, cum hostes comedant cæsos. solebant hi populi solem & lunam & sidera adorare tanquam Dei ministros, cũ tamen omnes in eam sententiam conuenirent ut vnus sit Deus qui pluuias & tonitrua & fulmina excitet, quem illi Tonpanum uocant, quasi tonantem. homines eius regionis sunt rubicundi vel potius fului. fluuij Sardis prægrandibus ac longis, & crocodillis abundare dicuntur. huius telluris Villagagnius regulus magnam partem huius regionis patefecit, quæ iacet sub tropico Capricorni. atque illa habitabatur ab hominibus impijs, perfidis, inurbanis, exlegibus, eximiæ turpitudinis, qui nudi tam incedunt, quàm producti sunt ab ipsa natura. tamen eximiam liberalitatem exercent in omnes amicos; qui cum maximè uenatibus assueti sint, atque viuant plerunque è præda, multi enim cerui & capreli, & apri nascuntur in regione, amicis & Christianis præcipue vel prædam impertiuntur, vel ad conuiuia inuitant. at uero coloribus vtuntur nonnullis, quibus magnopere delectantur. ut enim ethiopes oleo libenter unguntur ut nitentes appareant; Turcæ cæruleos ungues faciunt, & crura pingunt, sic hi fructus cuiusdam succo utuntur persico persimilis, qui ibi Genipatum nuncupatur, qui cæruleum colorem prope refert, atque illo tinguntur. Abouaum rursus fructus est Iuglandis persimilis, cuius venenum est acutissimum, atque repente interimit. glans tamen interior ubi aruerit ita sonora est ut tinnitum prope tintinabulorum emittat, quo plurimum utuntur Americi brachijs & cruribus alligantes. hoc genus hominum bellicosissimum est, summaq́ laudis existimatur qui plures inimicos occiderit, utunturq́ saggitis & baculis & ligneis ensibus sed præduris & acutis. utuntur lintribus ex cortilibus arborum; qui si hostem quempiam captiuum fecerint in bello, eum domum adducunt, oppipareq́ nutrientes ad id usque tempus quod uisum fuerit asseruant. postea mactantes

ctantes omnes amicos conuocant ad conuiuium, atque ita humanis carnibus uescuntur : cum mulier captiuæ seruire cogantur. Matrimonia fiunt promiscua nulla habita sanguinis aut affinitatis reuerentia ; atque nubiles uirgines, antequam nubant, cuiuis prostituuntur, quæ tamen nuptæ fidem seruant maritis, atque in adulterio deprehensæ vel necantur, vel cum magna infamia repudiantur. atque consuetudinem illam prostituendi & inter coniunctos nubendi Villagagnius perpetua lege sustulit. multa ridicula faciunt in funere defunctorum, quippe cum tympana pulsent in eorum honorem, multisq́ plumis & pellibus uarijs induantur. nascuntur in Americorum prouincia multa cedri, & mali Mediçæ, quæ fructus plurimos producunt & miræ suauitatis, atque regio ipsa & ventis & aere fruitur perbenigno, est enim amplißima regio, multis montibus amœnißimis & Syluis abundans & ampla planitie, in qua domicilia multa uisuntur è paleis algaq́ confecta, & arborum frondibus ; atque omnes hi nunc Gallico parent imperio. atque tot breuiter qua si per transennam de regione & moribus americorum populorum, qui hoc anno primum cogniti fuerunt à Gallis, dicta sint. Sed iam annus à partu virginis quinquageßimus sextus inierat post mille & quingentos, cum Albanus per ea quæ ad M. Antonium columniam spectabant, & ad regnum Neapolitanum intelligens consilia Pontificia Neapolim conuolat citatis equis Tridentino Card. uti diximus in Mediolanensem præfecturam substituto. excipitur Albanus multa cum lætitiæ significatione à Neapolitanis & pompa ac magnificentia ; atque Ascanius columnius præcipuè eius aduentum mira cum letitia expectabat ; quia fore putabat ut per illam opportunitatem se ab ijs accusationibus posset expurgare, quibus ab aduersarijs oneratus fuerat, quòd prauitate hereseos esset contaminatus, & quòd cum Gallis conspiraßet aduersus Cæsaris maiestatem. Sed tamen nihil inde reportauit aliud, quàm commodum audientiam, & mirificam quandam lenitatem uerborum. nam cum esset Ascanius vir amplißimæ autoritatis ; uideretúrq́ ob maximum odium in

1556

Albani aduetus Neapolim.

M. Anto-

M. Antonium quacunque posset ratione animaduersurus, à quo priuatus fuerat imperio & principatu omnium castellorum, quæ habebat in latio, & maxima etiam parte eorum quæ habebat in regno Neapolitano, verebatur Albanus ne si absolutus fuisset, aliquid noui moliretur in eo regno; quare ad conseruandam quietem populorum, partim lenitate orationis animum Ascanij mitigabat, partim rem differebat. nam sunt cognatorum & coniunctorum odia acerrima: & maxime omnium molesta & grauia; sed ea præsertim atrociora sunt quæ sunt inter coniunctissimos, cum omnes vel leuissimæ iniuriæ ab ijs profectæ grauissimæ molestissimæq; appareant. Albanus Neapolim profectus statim ad omnia eius regni munia iustitiæ, & ad magistratus reformandos aut etiam mutandos animum adiecit; quorum alios abdicat, alios subrogat, alios in melius reformat; quod quidem utiliter fit, quia omnes diuturni magistratus in tyrannidem denique prolabuntur, & conuertuntur ad subditos compilandos, nisi aliquam vel mutationem timeant, vel ne ratio gestarum à se rerum aliquando superiori magistratui reddenda sit. Hæc dum ab Albano Neapoli aguntur, paulatim in animo Pontificis non optime erga Philippum Hispaniarum Regem affecto semina iræ & bellorum quotidie succrescere, nouas indignationis causas uel leuissimas aucupari, quæ leuissima viderentur cæteris ipse maximi ducere ponderis cæpit. & quæ nullam haberent suspicionem maleuolentiæ, ipse grauissima putabat, cum omnia dicta, facta, uisa, audita illi molesta viderentur, cuius animus ad nihil aliud quam ad bellum & discordias & contentiones spectabat. nam ut partes corporis sanas multi vel graues ictus non offendunt aliquando, at male affectus vel quiuis leuissimus tactus; sic male affectum animum omnia possunt ad suspicionem impellere, quæ cæteris omnino carere suspicione possent uideri. accidit per id tempus non leuis occasio, qua animus Pontificis dignosceretur; quippe cum duæ triremes in portum Pyrgorum appulissent Prioris Longobardiæ fratris purpurati antistitis Sanctiflorij Gallica stipenda merentis, qui Regis iussu his

Pont. animus infensus in Philippum regem.

bis Nicolaum Alemannum præfecerat, ac sibi substituerat. Ille postea quàm Martiani captus, liberatus fuit, in Galliã proficiscitur, atque siue quòd Rex eius constantiæ diffideret, quoniam exploratum haberet eum Cardinalis opera à Gallica factione defecturum, siue alijs occultis de causis, iussus est Regio mandato comprehendi, nisi fuga sibi salutem quæsiuisset; cuius triremes in portu Massiliensi fiunt captiuæ. ut igitur hæ recuperarentur tum Prioris opera, tum etiam Car. Sanctiflorij, inuestigabatur quo pacto commode ad Cæsariana conueniret stipēdia per aliquam opportunam occasionem. accidit igitur ut triremes illæ Farnesiam familiam uehentes ad portum Centum cellarum appulerint, de quarum aduentu purpuratus antistes & Alexander Sanctiflorius fit certiora qui putant fieri posse ut sine aliqua Pontificis indignatione has triremes recuperarent, ad ducentos pedites colligunt, qui Cētum cellas ad Alexandro mittuntur. Hi repente nemine præscio triremes ingreßi illas occupant. dum Alemannus pro illata sibi iniuria quereretur incassum, tenduntur etiam cathenæ ne quis exiret è Portu. De quibus omnibus certior factus Pontifex, cum postea Sanctiflorius impetrasset ut illæ Neapolim appellerent, multa grauia comminatus est Cardinali nisi triremes statim Romam reducerentur; quæ postea Gallis ducibus restitutæ sunt omnes. verò harum rerum accusationes in Lottinum quendam à secretis ipsius Cardinalis conijciuntur ad Cardinalem exonerandum, qui Lottinus fuga sibi salutem comparauit. nam ubi captæ fuissent triremes grauiter conquesti sunt regij negotiatores Galli non solum ad dignitatem Henrici Regis spectare ne tantas iniurias æquo animo perferret, sed etiam ad Pontificium dignitatem, cum minime ferendum sit, vt intra suum imperiũ tantum iniuriarum aduersus amicos reges committeretur. His restitutis Galli mitigati sunt, at incredibile odium Pontificis exarsit in Sanctiflorium. Ea dum Romæ geruntur, nuntiantur Pontifici inter signa lętitiæ ob regum inducias multi nobiles Romani Cæsarianæ factionis studiosi in ædes Marci Antonij columnæ & Card. Sanctiflorij frequenter conuenire.

Card. Sanct. florius & Pont. & regi Gall. fit suspectus.

Lottinus a secretis Car. fugit ad Cęsarē.

Pont. quos captiuos mittat in arcem D. Angeli.

uenire . haberi conuenticula ; multa interesse de rebus Caesarianis communicare, quae possent non parum offendere rem Pontificiam. nulla alia de causa Lottinum ad Caesarem confugisse, nisi uti contumelias & maledicta in ipsum Pontifiem effutiret; animum Caesaris exacerbaret, monstraretque Pontificem Gallicis partibus eximie fauere. quare monebant ut sibi caueret à Caesariana factione. Haec etsi videbantur esse viro sapienti non negligenda, tamen non debebant esse tanti apud sapientem principem, & Imperij gubernandi peritum ut incognita causa statim ad maximorum Regum inimicitiam suscipiendam possent impellere, & ad priuatos ciues affligendos; neque solum quia priuati ciues sunt tanquam columnae Principum sublimitatem sustinentes, sed etiam quia uix est atrocissimae tyrannidis ut quauis minima suspicione, quae nulla probabili causa fulciatur, ita commoueri ut ad internicionem ciuium, & honestissimarum familiarum infamiam procedatur. Enimuero cum multi uiri sapientes Pontificem ipsum ab ea sententia, falsoque suscepta opinione deducere conarentur, vellentque demonstrare hanc esse appertissimam nonnullorum malitiam & calumniam; quia Caesar & Philippus optime essent affecti erga Pontificiam autoritatem; neque essent quidpiam vel clam vel palam nulla praesertim accepta iniuria molituri, nunquam ab ea opinione dimouere potuerunt. est enim id siue natura insitum plerisque senibus, siue consuetudine nonnullis confirmatum, siue senectutis uitio innatum, ut, ubi exacerbati fuerint, aut semel vel bonam vel malam acceperint opinionem, omnino nullis rationibus dimoueantur; quod imperitis saepius accidit, qui pertinaciam & temeritatem pro constantia complectuntur. cum illud etiam huic Pontifici accederet, quod implacabili esset ingenio, & ad omnia iracundus ac pene furiosus: iubet Pontifex illis suspicionibus commotus nonnullas peditum cohortes ad sui custodiam conscribi: Cardinalem Sanctiflorium ut eorum omnium quae tractabantur conscium, Camillum Columnam, Iulianum Caesarinum, Abbatem Bresegnum, quem nuper Bononia adducendum curauerat, in arcem Diui

Angeli in custodias captiuos mittit. Marco Antonio columnæ dies dicitur propositis grauissimis supplicijs nisi ad statutum diem affuerit. Ioanna Aragona Marci Antonij mater se domi continere iussa est. resignantur omnes literæ tabellariorum & cursorum. iubetur Carafa simulata legatione pro lætitia induciarum quinquennij petere auxilia, Hēricumq́; sollicitare ut denuo bellum renouet aduersus Philippum in Belgio. imperat Mottullam in Belgium iter conficere, qui tamen cum Mediolanum aduentasset perbenignèq́; à Madruccio antistite exceptus fuisset, indeq́; discedens in Galliam properasset, res tota est patefacta, & apertum consilium Pontificis. nam Carafa post multas preces & contentiones duo Vasconum siue aquitanorum millia obtinuit. ea res nonnihil suspicionis Philippo Regi attulit, quare ad Albanum scribit ut res omnes necessarias ad futurum bellum compararet. Ascanius Corniensis qui erat tunc Romæ, cum visus esset Philippicis rebus fauere, Cæsarianisq́; partibus cogitur uadimonium sponsionemq́; sistendi ubi iussus fuerit, & quòd Roma non exiret. ubique in mrem strictissimæ tyrannidis instituuntur exploratores aduersus insigniores homines ciuitatis, qui obseruent quid quisque agat aut loquatur. fit publicum editum pontificium vt omnes Romani arma comportent in capitolium; externi in arcem Diui Angeli; quo pacto arma Romanis omnibus sunt adempta. Sed tamen illud edictum postea mitigatum fuit per nonnullorum preces: atque passus est Pontifex purpuratum antistitem Sanctiflorium exire è custodijs dato uadimonio ad iussum tempus sistendi. Philippus Hispaniarum Rex ægre ferens nulla sua culpa tantum iniuriarum palàm fieri illis, qui Philippicas partes complexi fuissent, scribit plenas humanitatis & obseruantiæ literas ad Pontificem. iubet Garzilascum veggium oratorem regium Philippico nomine suppliciter rogare ut Camillum columnam, Iulianum Cæsarinum, & Abbatem Bresegnum liberatos custodijs pristinæ libertati restitueret. sed propter Senis incredibilem pertinaciam nullis precibus istud obtineri potuit. at verò multo etiam difficilius istud ne

Carafa Car. ad regem Gall. p oficitur obtinet 2000. Vasconum.

Pont. edictū Romæ.

Philippi hos motus ægre ferentis literæ ad Pont.

gotium faciebat cum senis pertinacia coniunctum ambitionis & auaritiæ studium; quæ pestes imperiorum solent omnẽ non modo æquitatem, sed etiam humanitatem ex animis mortalium relegare. Nam dicebatur Cæsarinus in arcem diui Angeli in custodias traditus Carafæ & fratris pontificis iussu, ut compelleretur uotis ipsorum assentiri, quorum desiderijs maxime repugnabat. cupiebant enim ut neptis Cæsarini Iulia Cæsarinæ sororis nobilissimæ atque opulentissimæ matronæ filia daretur in matrimonium cuidam Matthæo Stendardo uiro neque nobilitate neque opibus præstanti, sed etiam infra mediocrem fortunam. Huic tam impari matrimonio quamuis erat Stendardus Carafis affinitate coniunctus, Cæsarinus nolebat assentiri, quoniam ad multò honestiores nuptias aspirabat. Nam tametsi nuptiæ debent ex animo libero, nullaq́ externa uiolentia coacto legitimè contrahi, quarum Deus debet esse auspex & conciliator, at non vlla uis humana, tamen Cæsariani soror obstinatissima Pontificis pertinacia, diuturnaq́ fratris calamitate commota impulsa est denique pontificio ut desiderio assentiretur. Garzilascus frustratus ijs quæ superius postulauerat rursus Philippi Regis nomine petit à Pontifice, suppliciterq́ precatur ne Marcum Antonium columnam vexaret; sed contentus esset ut suis oppidis pro consuetudine maiorum eius familiæ potiretur; cum præsertim nihil aduersus Pontificiam sedem exilio dignum & fortunarum omnium iactura commisisset. obnuntiat, nisi istud fiat, munus esse regium iniquè oppressos, & præter vllam æquitatem afflictos ob odium in ipsum regem tantum, quibuscunque possit opibus subleuare. rogat ut rem diligenter consideret, neque iustissimis honestissimisq́ petitionibus aduersetur. His uerbis senex ad omnia vel minima excandescens magnopere inflammatus respondet se posse pro libito & pro commissis sceleribus in suos subditos animaduertere. iubet Garzilascum rescribere ad Philippum Regem ne sese his negotijs nihil ad se pertinentibus implicaret; sicuti Pontifex ipse liberam potestatem liberumq́ imperium in suos subditos exercere relinqueret. idcirco cũ

ad

ad statutum diem Marcus Antonius non affuisset, omnia eius castella quæ forent in Latio aut alibi sub imperio pontificio intra Romanæ ditionis fines addicta sunt fisco. addita est ad honestatem facinoris probabilis causa, quia Pontifici non paruisset, & quia præter ius cum armata manu militum patrem suis facultatibus priuarat, autorq; extitisset ut pater indicta causa nulloq; commisso scelere, in carcere teneretur. His publicè per præconem pronuntiatis continuo omnia quæ forent Marci Antonij columnæ iussa sunt occupari. Ioannæ interea domi se continere iussæ, uti diximus. cum filiabus & nuru grauida, immpositis custodijs ne filias ulli daret in matrimonium edicitur, proponiturq; capitale supplicium si istud fiat sine pontificio consilio & iussu: vel, si nō venerint in potestatē pontificis contrahentes interdicendi aqua et igni, & tacturæ omnium bonorū utriusque partis. His minis territa Ioanna, grauioribusq; malis quæ sibi imminere fingebat, constituit fortunæ potius arbitrio, q̄ libidini & implacabili Senis iræ sese credere, quare ad fugā & ad latebras prospectare cœpit. Quo igitur tempore Ioannes Carafa dux Paliani erat pronuntiandus communicato consilio fugæ cum quodam fidelissimo è suis familiaribus, & cum Muliercula campana Arthemisia, curauit ut omnia ad iter necessaria clam ab amicis columniæ familiæ pararentur. sub auroram itaque mutatis uestibus ipsa cum filiabus, & nuru ac neptibus ad Thermas Diocletiani quæ sunt extra partes habitatas Romæ pedestri itinere contendit. ibi erat iam parata lectica & equi nonnulli ab amicis. cum ad portam uocatam Sancti Laurentij peruenentum est, nuntiatur fores ut aperiant, adesse Porciam Zambeccaram, quæ ad Arzolium oppidum contenderet, qua simulatione credita patefacta est porta à custodibus, ac liber exitus concessus. at vero quoniam noui anni initium ad illud inuitare videbatur, addita sunt pro antiqua consuetudine munuscula fores apperituris quo alacrius patefacerent. postridie cum illuxisset omnia mane parantur tanquam Ioanna adesset, mensæ scilicet, coquina, & cætera omnia, quæ præsenti parari mos erat, ne re tam

M. Antonij Columnij Castella proscribuntur.

Ioanna Aragonia fugit Roma.

celeriter patefacta tempus fugæ præriperetur. responsum est etiam uisentibus, quòd Ioanna non satis ualeret, ne ulla excitaretur fugæ suspicio. Sed cum tardior iam hora uideretur, neque Ioanna usquam aut filiæ apparerent, nuntiatur Pontifici mulieres omnes profugisse, quas insequi equites leuis armaturæ iussi sunt. illud uerò cum serius quàm oportebat factum fuisset, quòd illæ se iam diu in tutum recepissent, frustra re infecta equites redeunt. præfectus verò custodum portæ Diui Laurentij ante portam suspendio necatur, quoniam corruptus largitionibus dictus est fauisse fugientibus. ea fuga inflammatus Pontifex, quoniam delusus sibi quodammodo videretur atrociorem quæstionem aduersus filium pro patre instituit, illum omnibus bonis priuat, fratri suo addicit, quem Ducem Paliani nominat. ille hoc titulo insignitus cum magna pompa & ornatu ducis per urbem comitantibus Romanis nobilibus incedit. Nepotem fratris filium Canorum Marchionem appellat. Antonius Carafa dictus est comes Balnei. fuerat autem ereptus is principatus legitimos comiti, quia accusatus fuerat quòd literas & pecuniam intercepisset Romam è Gallia comportatam, addiditq; titulum etiam Marchionis Montebelli. Garzilascus cum tot fortunæ mutationes fieri in dies videret, quæritur regio nomine de iniurijs quæ fierent columnijs, ob quam lamentationem etiam ipse Garzilascus orator regius & Tassus tabellariorum magister dati sunt in custodias. nam cum literæ occultis notis fuissent interceptæ inter Tarracinam & Sermitum, quæ ab ipso Tasso per cursores mittebantur ad Albanum, veritus est Pontifex ne illæ contra Pontificiam dignitatem conscriberentur, quare iussit etiam paulopost Caccialupum earum secretarum notarum inuentorem comprehendi, & in Carceres detrudi. Ioannes Luna arcis Mediolani præfectus occultis de causis iratus ad Henricum Galliarum Regem confugit apud quem honorifica stipendia nactus est, neque ullis Cæsarianorum promissis reuocari potuit. Philippus idcirco illi Alonsum Pescionem sufficit, atque eius fidei arcem Mediolani credidit, quam is singulari diligen-

Carafæ à Pont. nouis titulis insigniti.

Orator Philippi, Tassus, & Cacialuppus custodibus dantur.

Ioã. Luna arcis Mediol. præfectus ad Henricum confugit.

diligentia custodiuit, donec Ioannes Figarola præficeretur. ea dum Romæ geruntur, Castalij opera & Hieronymi reguli Corregij res inter Philippum Regem, & Octauium Farnesium componuntur de restituenda Placentia, cui negotio transigendo Madruccius Cardinalis Tridentinus præficitur. commissa est ea cura Paulo Vitellio & equiti Ardinghello Mediolanensi ceremoniarum, quibus vti in restituenda Placentia conueniret: atque Cardinalis ipse cum vniuersa propè nobilitate Mediolanensi comite Pescoliensi Marchione Placentiam venit. ibi tumultuario ponte supra fossam mœniaq; ciuitatis excitato Parmensem Ducem præstolatur. Octauius paulo post cum multis proceribus & duobus millibus lectissimorum peditum, & quingentis equitibus accedit. urbem per tumultuarium pontem cum uniuersi populi Placentini inspectantis ac circumfusi lætitia ingreditur, cum multos etiam præstantiores ciues habuisset obuios, qui vndique conueniebant gratulatum. Data est Octauio possessio ciuitatis, cum tamen arcem sibi Philippus occultis de causis reseruasset. Hæc vrbis Placentiæ restitutio etsi molestissima & periculosa fore videbatur illis, qui in Petrum Aloysium coniurarant & trucidauerant, cum filius cæsi principis imperium urbis recepisset, quod ingens periculum & vitæ & facultatibus videretur imminere; tamen non minus molesta fuit Pontifici, qui putabat futurum ut res Philippi Regis ex ea parte maxime Ferrariensibus Parmensibus auxilijs sibi adiunctis infestaret. at uerò tam acriter, indigneq; tulit eam concordiam Pontifex, ut incredibili ira commotus in tanta rerum omnium perturbatione fiscos monuerit, iusseritq; pronuntiare Regnum Neapolitanum ad ecclesiasticum imperium deuolui, quoniam multos iam annos debita tributa non fuissent persoluta: atque ea de re habita quæstione fit edictum ut regnum illud ad Ecclesiasticum imperium perueniat. Veruntamen multis dissuadentibus, quibus non placebat hanc tantam nouitatem rerum tentari, quæ nimis odiosa, & plena rixarum futura videbatur, res silentio inuoluta est. in ea tanta rerum omnium perturbatione

Placentiæ possessio dat Octauio Farn.

Pont. regnum Neapoli. ad Eccl. deuolutum pronunciat.

Carafæ Paliani muniunt.

batione Romana re constituta, Carafa Card. & Petrus Strozza & Palianius dux communi consilio decernunt Palianum esse muniendum, quo uterentur propugnaculo aduersus impetus hostium & copias Neapolitanas, quod etiam tuerentur aduersus columnios proceres. Sic igitur Gallicis auxilijs confirmati Carafæ cupiebant & putabant futurum ut non minus propter suspicionem, quàm propter obseruantiam, pluri mi fierent ab ijs qui succederent pontificibus: cum etiam eadem ratione fieri posse putarent vt Palianius facilem haberet ad tum cum vellet redire in gratiam Philippi Regis. atque si opus esset Columnæ Castella reddere, satis honorificam permutationem se capturum arbitrabatur. Sic enim fit ab ijs, qui ex humili loco ad aliquam dignitatem minime assueti peruenerunt, ut putent omnes vel summos principes, nedum priuatos, eam dignitatem admirari; cum omnino dux Palianius nullius esset rationis apud Pontifices vel summum Hispaniarum Regem futurus. omnes illi cum architectis oppidum munire aggrediuntur eò profecti, atque mille Vascones in præsidijs locantur, qui nuper è Gallia conuenerant. at uerò ob res huiusmodi multò etiam irritati sunt animi ministrorum Philippi Regis, quòd Petrus Strozza eò accessisset, qui perpetuus hostis fuisset Cæsarianorum. Albanus Pontificis consilia clam inuestigare, quæ Romæ fierent sensim aucupari, quæ ubique obseruare, sese paulatim ad bellum futurum accingere. Comes Populeus Pontificis nepos vel amplissimis conditionibus inuitatus cum nollet his bellorum motibus implicari impetrata exeundi facultate Neapolim contendit. certiorem facit Albanum bellum parari. omnes bellicos apparatus Pontificios explicat. Albanus Philippum Regem per literas monet. Non cessat tamen Albanus quibuscunque posset rationibus placare pontificem. omnes aditus occupat ad eum mitigandum. hortatur ad conseruandam pacem. proponit bellorum incommoda, quæ non sunt nisi necessario subeunda, populorum querelas, agrorum deuastationes, incertos exitus bellorum. rogat ne Paliani munitionem prosequatur, quod cognitum est nulla alia ratione, nisi ui armorum deuitari,

Albanus certior fit bellū Philippo parari.

Albanus rationibus Pont. placare nititur.

tari posse. oblata sunt etiam pro anno reddit u viginti nummûm millia Pontifici pro Paliano: & totidem Cardinali Carafæ pro eo bello deuitando; quoniam nollet Philippus Rex aduersus Sanctæ Sedis apostolicæ pontificem belligerari; cui pro Christo redemptore seruatoreq́ nostro summa reuerentia obseruantiaq́ debetur. Ea cum pro timore, at non pro regia liberalitate ac munificentia Philippi pontifex sibi offerri arbitraretur, mirificè ira & indignatione pro gratiarum actione efferbuit. Albanus etsi omnia pontificis consilia, quæ suscipiebat aduersus regem intelligebat, tamen vix fieri posse putabat, ut recentes induciæ cum Gallorum Rege nuper factæ tam repente nulla necessaria causa abrumperentur, gustato præcipue suauissimo pacis fructu: quare dubio animo fuit quid sibi esset agendum. At cum omnem prorsus spem abiecisset Pontificis ad concordiam perducendi, qui iam se hostem esse palàm profitebatur, miseratq́ Antonium Carafam in Galliam togatam ad copias colligendas, cum quibus ex ijs finibus agrum Neapolitanum hostiliter inuaderet, & Antonium Tiraldum ut Perusiæ cohortes conscriberet, & alios tribunos militum in alias regiones Italiæ. his cognitis Albanus statuit prior arma hostibus inferre, atque pontificia consilia præuenire. Pontifex Camillum Vrsinum, virum acri ingenio singulariq́ prudentia præficit cum summo imperio rebus militaribus, Romanæq́ præfecturæ. & Paulum Vrsinum eius filium Perusiam mittit cum mille peditibus ad eos fines tutandos. Albanus contrà multos tribunos ac duces mittit colligendas conscribendasq́ copias, qui ad duodecim millia peditum, equites mille & quingentos colligunt. collecta sunt enim tria millia Hispanorum & quingenti, quorum dux summus erat Garzias Toletanus, magister castrorum Sancius Mardoneso. Italorum octo millibus præfectus est & quingentis Vespasianus Gonzaga. præerat septem vexillis Cataphractorum equitum Marcus Antonius columna. dux summus leuioris armaturæ mille & ducentis equitibus præerat comes Populeus. erant in castris Albani præterea multi proceres Itali qui suis sumptibus gloriæ cupiditate Albano militabant.

Pont. apparatus ad bellum.

Albani apparatus cōtra motus Pont.

Quæ

Laur. Priolus sufficit Frã. Venerio.

Quæ dum parantur utrinque Franciscus Venerius Venetiarum princeps naturæ concessit, habita sunt de more patrum creandi noui ducis comitia; ac denique uir insigni prudentia, doctrina, animi magnificentia, eloquentiaq; clarus Laurentius Priolus sufficitur; cuius tanta uirtus in eo principatu enituit, ut in multos annos talem principem Veneti sint desideraturi. sed iam inierat mensis September cum exercitus Albani instructus Neapoli egreditur, & ad oppidum diui Germani proficiscitur. ibi omnes copiæ censæ sunt, quæ postridie eius diei, ad pontem Coruum uocatum oppidum pontificiæ ditionis instructæ conueniunt. quod situm est ad ripas Liris fluminis, ubi nemo tractatus est hostiliter, quod oppidum cum intelligerent non posse aduersus tantus uires defendi, ultro se dediderunt. inde Frusinum castra mouent, quo missa fuerant quatuor peditum vexilla ad locum muniendum, prior accedit GarZias cum Hispano peditatu ac equitibus nonnullis leuioris armaturæ. horum aduentu cognito Itali qui fuerant in præsidijs à Iulio Vrsino relicti, quoniam munitio nondum esset perfecta, neque illam posse defendi arbitrarentur, sequenti nocte sine ullo tympanorum strepitu, nullaq; data significatione profectionis Hispanis copijs oppidum relinquunt. ibi paulisper Albanus commoratus omnia præsidia hostium ex oppidis Marci Antonij Columnæ eijcit. Pontifex ubi sensit primum Albanum infesta arma intulisse, Archiepiscopum Columnam in custodias tradit. iubet Palianium Ducem cum summo imperio militæ ecclesiasticæ præfectum consulere finibus latij, ac videre nequid detrimenti res Romana caperet. Iulio Vrsino datur imperium pontificiorum peditum. Palianius interea duas cohortes Babucum, totidem Verulum mittit, tres ad vicum Valerium. Ascanium Corniensem velitri iubet esse, cui primum locum imperij militaris post se concedit, cum nonnullis peditum cohortibus ac equitum turmis, vt vrbem illam muniendam curaret; quæ ad formam munitissimi oppidi planè perducta fuit. atque ad commoda ipsius munitionis arbores & uineas finitimas circum cecidit, atque ædificia omnia proxima solo

Albanus cum exercitu Romã versus proficiscitur.

æquau

æquauit ne quid insidiarum in suburbanis aduersus munitionem occultari posset. Non tamen diuturna fuit illa Ascanij diligentia, cum hinc honorificentissimis conditionibus à Rege inuitaretur, inde venisset in suspicionem Pontifici ne cum hostibus conspirasset, quoniam Garzilascus iam secretioribus notis ad ipsum ea de re conscripsisset. Pontifex Papyrium Capizuccam cohortis præfectum mittit Velitrum cum diplomate, iubet Ascanium captiuum adducere. intercipit magnum pecuniarum numerum Ascanij, quas habebat Romæ. mittit clusium, quod oppidum est agri Perusini, ad omne Ascanij frumentum occupandum. iubet eius fratrem in vincula conijci. Papyrius Velitrum accedens Ascanium in castra hostium transfugisse inuenit, qui iam de omnibus pontificijs consilijs certior factus ab Albano dictus fuerat castrorum magister. Pontifex ægerrimè eius fugam tulit, mox ad parandas res ad bellum necessarias animum conuertit: conuenerant iam in castra Pontificia decem peditum italorum millia, ac duo veteranorum vasconum. equites leuioris armaturæ septingenti è varijs locis nationibusq. collecti: quæ copiæ poterant, iam à regijs non contemnì, nisi tot præfectorum ac ducum cum pari imperio cuncta prorsus inutilia fecisset dissidium. Quippe cum unum esse summum imperatorem in castris conueniat, cuius arbitrio & autoritati omnes pareant, cui maxima ab omnibus debetur obedientia, quæ sola est stabile fundamentum omnis disciplinæ militaris: cum dissensiones multorum contrà imperatorum, & distracta consilia, & par potestas vniuersas vires vel potentissimorum exercituum debilitent & infringant. Nam Carafa è Gallia reuersus rerum administrationem militarium Palianio extorquens copias minime educendas censet aduersus Albanum, cum Palianius intelligens se Albano neque militum numero, neque virtute inferiorem, Albanum vel intra suos fines inuadendum censeret. semper enim ferè præstat, si fieri possit, agrum hostilem infestare, neque expectandum est ut noster hostiliter inuadatur ac deuastetur. at Pontifex iubet Tyrrum Lofredum virũ Neapolitanum tradi in custo-

Ascanius iram Pōt. sentiẽs ad Albanum trãsfugit.

Pōtificius exercitus.

Vuu *dias,*

neas & in suburbijs prosternit. muros & ædificia urbi propinqua funditus euertit. multos amœnissimos hortos deuastat, quod dãnũ creditum est accedere ad centies sestertia. Romani harũ calamitatũ nouitate cõmoti modo ad Camillũ Vrsinum, modo ad Palianiũ recurrere, auxilium labantibus priuatis rebus implorare, suppliciter rogare ut suis rebus quanta fieri posset facilitate consuleretur. Sed irritæ fiunt & uanæ omnium preces, quòd omni priuatæ calamitati publica defensio uidetur anteferẽda, ad quod consilium etiam impellebat hostium propinquitas. Nam ita requirit ius belli ut urbium partes vel inutiles ad defensionem, vel illam impedientes prosternantur ad tutelam ciuitatis, sicuti partes inutiles aut vitiatæ humani corporis rescinduntur, ne satis etiam sint exitio, easq; trahant ad putredinem. cincta est arx Diui Angeli in coronæ morem aggeribus è gleba cõpositis, & propugnacula quinque erecta, ubi circiter duo millia peditum commodè esse possent. Camillus Vrsinus Romanis conuentum indicit in capitolium palianij Ducis hortatu, ut de munienda urbe Roma consultaretur. at uerò Genuenses omni diligentia utuntur ut Cyrnum è Gallis recuperarent: quare Auriam cum instructa multarũ triremium classe mittunt. ille cum Mantinos aduersus Gallicas uires & Ropicum tutatus esset, nouisq; subsidijs obsessos inuisset, quam Galli propter noua auxilia hostium introducta ab obsidione sese recepissent, ubi rebus necessarijs Vrcinium etiam munijsset, quia tẽpus anni iam uideretur tardius cum classe Genuam reuertit. ubi frequentes Romani conuenissent in capitolium, eos non minus graui quàm ornata oratione ad urbem muniendam cohortatur in hunc modũ

Auria à Cyrno insula muniẽda Genuam classe reuertit

Si cui uestrum propositum esset ciues, ut utrum mallet nulla necessitate, nullis iniurijs, nullis inimicitijs coactus vel bellum vel pacem eligeret, non ne ridiculus & insulsus ac demens esset existimandus, qui suauissimæ paci & iucundissimæ tranquillitati grauissima bellorum incommoda libenter anteponeret? at nunc eadẽ propè nobis optio data est: decernẽdum est enim uobis hodierna die nũ potius hostium arbitrio cũ filijs, cũ facultatibus, cũ uxoribus uestris expositi esse uelitis;

Camilli Vrsini Oratio ad Romanos ĩ capitolio.

quàm

quàm à vestris præsidijs defendi. est enim uobis statuendum nō modo ut præsentes calamitates auertatis, quæ ab hostibus imminent, uerumetiam ut in in posterū omnē spē hostibus adimatis huius urbis per uim potiundæ. Istud facile consequemini, si veluti postulat ratio militaris, urbem in opportunis locis munieritis: quod si maiores uestri fecissent, multas clades & calamitates deuitassent. Nam quis nesciat potentissimos exercitus aliquādo munitarum urbium virtute fuisse infractos & afflictos ut rei difficultate territi castra soluere, & copias dimittere coacti sint? at apertæ ciuitates contra semper hostium arbitrio & libidini & rapinis atque incēdijs patuerunt. sed nolo quidpiam infaustum commemorare. Vos autem facile munire hanc urbem aduersus omnes impetus hostium potestis, cum natura urbis omnia munitionibus necessaria suppeditet, quod certæ non magnis sumptibus efficietis. Nunc non agitur tantū de gloria populi Romani. quæ tamē ipsa per se grauissima esse deberet; sed de salute singulorū, de facultatibus, de uxoribus inuiolatis conseruandis, de liberis, de patrijs focis, de vita, de libertate nostrum omnium. Nunc decernatis oportet num hæc omnia conseruare, an hostibus crudelibus obijcere præstiterit. Quæ dum grauissimè & prudentissime dicere visus est Camillus Vrsinus nonnullis, alij longe aliter sentiebant, existimabantq́; non solùm laboriosum & arduum opus fore vrbem munire, sed etiam periculosum. idcirco quidam è præsentibus aduersus prædictas rationes grauiter disserit; multis rationibus ac pluribus exemplis cognitum esse calamitosum fuisse ciuitatibus esse munitis; quoniam agitur in hoc negotio de præsentium posterorumq́; omnium salute, de euenturis urbi calamitatibus, de patria, larium, templorum, facultatum, uxorum, liberorum conseruatione, non esse tacendum quid utiliter quisque sentiat. nulla alia de causa munitiones fuisse inuentas, nisi ut cursus hostium retardaretur; at non ut loca munita inuicta & in expugnabilia sint putanda. oppida, quæ sunt in finibus imperiorum diligentissimè munienda esse, & quæ sint primis hostium incursionibus exposita; quia dum illis oppugnandis

dis

uenire. haberi conuenticula; multa interesse de rebus Cæsarianis communicare, quæ possent non parum offendere rem Pontificiam. nulla alia de causa Lottinum ad Cæsarem confugisse, nisi uti contumelias & maledicta in ipsum Pontificem effutiret; animum Cæsaris exacerbaret, monstraretq́; Pontificem Gallicis partibus eximiè fauere. quare monebant ut sibi caueret à Cæsariana factione. Hæc etsi videbantur esse viro sapienti non negligenda, tamen non debebant esse tanti apud sapientem principem, & Imperij gubernandi peritum ut incognita causa statim ad maximorum Regum inimicitiam suscipiendam possent impellere, & ad priuatos ciues affligendos; neque solum quia priuati ciues sunt tanquam columnæ Principum sublimitatem sustinentes, sed etiam quia uix est atrocissimæ tyrannidis ut quauis minima suspicione, quæ nulla probabili causa fulciatur, ita commoueri ut ad internicionem ciuium, & honestissimarum familiarum infamiam procedatur. Enimuero cum multi uiri sapientes Pontificem ipsum ab ea sententia, falsoq́; suscepta opinione deducere conarentur, vellentq́; demonstrare hanc esse appertissimam nonnullorum malitiam & calumniam; quia Cæsar & Philippus optimè essent affecti erga Pontificiam autoritatem; neque essent quidpiam vel clam vel palam nulla præsertim accepta iniuria molituri, nunquam ab ea opinione dimouere potuerunt. est enim id siue natura insitum plerisque senibus, siue consuetudine nonnullis confirmatum, siue senectutis uitio innatum, ut, ubi exacerbati fuerint, aut semel vel bonam vel malam acceperint opinionem, omnino nullis rationibus dimoueantur; quod imperitis sæpius accidit, qui pertinaciam & temeritatem pro constantia complectuntur. cum illud etiam huic Pontifici accederet, quod implacabili esset ingenio, & ad omnia iracundus ac penè furiosus: iubet Pontifex illis suspicionibus commotus nonnullas peditum cohortes ad sui custodiam conscribi: Cardinalem Sanctiflorium ut eorum omnium quæ tractabantur conscium, Camillum Columnam, Iulianum Cæsarinum, Abbatem Bresegnum, quem nuper Bononia adducendum curauerat, in arcem Diui

Angeli

Angeli in custodias captiuos mittit. Marco Antonio columnæ dies dicitur propositis grauissimis supplicijs nisi ad statutum diem affuerit. Ioanna Aragona Marci Antonij mater se domi continere iussa est. resignantur omnes literæ tabellariorum & cursorum. iubetur Carafa simulata legatione pro lætitia induciarum quinquennij petere auxilia, Hēricumq́; sollicitare ut denuo bellum renouet aduersus Philippum in Belgio. imperat Mottullam in Belgium iter conficere, qui tamen cum Mediolanum aduentasset perbenignèq́; à Madruccio antistite exceptus fuisset, indeq́; discedens in Galliam properasset, res tota est patefacta, & apertum consilium Pontificis. nam Carafa post multas preces & contentiones duo Vasconum siue aquitanorum millia obtinuit. ea res nonnihil suspicionis Philippo Regi attulit, quare ad Albanum scribit ut res omnes necessarias ad futurum bellum compararet. Ascanius Corniensis qui erat tunc Romæ, cum visus esset Philippicis rebus fauere, Cæsarianisq́; partibus cogitur uadimonium sponsionemq́; sistendi ubi iussus fuerit, & quòd Roma non exiret. ubique in mrem strictissimæ tyrannidis instituuntur exploratores aduersus insigniores homines ciuitatis, qui obseruent quid quisque agat aut loquatur. fit publicum editum pontificium vt omnes Romani arma comportent in capitolium; externi in arcem Diui Angeli; quo pacto arma Romanis omnibus sunt adempta. Sed tamen illud edictum postea mitigatum fuit per nonnullorum preces: atque passus est Pontifex purpuratum antistitem Sanctiflorium exire è custodijs dato uadimonio ad iussum tempus sistendi. Philippus Hispaniarum Rex ægre ferens nulla sua culpa tantum iniuriarum palàm fieri illis, qui Philippicas partes complexi fuissent, scribit plenas humanitatis & obseruantiæ literas ad Pontificem. iubet Garzilascum veggium oratorem regium Philippico nomine suppliciter rogare ut Camillum columnam, Iulianum Cæsarinum, & Abbatem Bresegnum liberatos custodijs pristinæ libertati restitueret. sed propter Senis incredibilem pertinaciam nullis precibus istud obtineri potuit. at verò multo etiam difficilius istud ne

Carafa Car. ad regem Gall. proficitur obtinet 2000. Vasconum.

Pont. edictū Romæ.

Philippi hos motus ægre ferentis literæ ad Pont.

gotium faciebat cum senis pertinacia coniunctum ambitionis & auaritiæ studium; quæ pestes imperiorum solent omnẽ non modo æquitatem, sed etiam humanitatem ex animis mortalium relegare. Nam dicebatur Cæsarinus in arcem diui Angeli in custodias traditus Carafæ & fratris pontificis iussu, ut compelleretur uotis ipsorum assentiri, quorum desiderijs maxime repugnabat. cupiebant enim ut neptis Cæsarini Iuliæ Cæsarinæ sororis nobilissimæ atque opulentissimæ matronæ filia daretur in matrimonium cuidam Matthæo Stendardo uiro neque nobilitate neque opibus præstanti, sed etiam infra mediocrem fortunam. Huic tam impari matrimonio quamuis erat Stendardus Carafis affinitate coniunctus, Cæsarinus nolebat assentiri, quoniam ad multò honestiores nuptias aspirabat. Nam tametsi nuptiæ debent ex animo libero, nullaq; externa uiolentia coactò legitimè contrahi, quarum Deus debet esse auspex & conciliator, at non vlla uis humana, tamen Cæsariani soror obstinatissima Pontificis pertinacia, diuturnaq; fratris calamitate commota impulsa est denique pontificio ut desiderio assentiretur. Garzilascus frustratus ijs quæ superius postulauerat rursus Philippi Regis nomine petit à Pontifice, suppliciterq; precatur ne Marcum Antonium columnam vexaret; sed contentus esset ut suis oppidis pro consuetudine maiorum eius familiæ, potiretur; cum præsertim nihil aduersus Pontificiam sedem exilio dignum & fortunarum omnium iactura commisisset. obnuntiat, nisi istud fiat, munus esse regium iniquè oppressos, & præter vllam æquitatem afflictos ob odium in ipsum regem tantum, quibuscunque possit opibus subleuare. rogat ut rem diligenter consideret, neque iustissimis honestissimisq; petitionibus aduersetur. His uerbis senex ad omnia vel minima excandescens magnopere inflammatus respondet se posse pro libito & pro commissis sceleribus in suos subditos animaduertere. iubet Garzilascum rescribere ad Philippum Regem ne sese his negotijs nihil ad se pertinentibus implicaret; sicuti Pontifex ipse liberam potestatem liberumq; imperium in suos subditos exercere relinqueret. idcirco cũ

ad

ad statutum diem Marcus Antonius non affuisset, omnia eius castella quæ forent in Latio aut alibi sub imperio pontificio intra Romanæ ditionis fines addicta sunt fisco. addita est ad honestatem facinoris probabilis causa, quia Pontifici non paruisset, & quia præter ius cum armata manu militum patrem suis facultatibus priuarat, autorq; extitisset ut pater indicta causa nulloq; commisso scelere, in carcere teneretur. His publicè per præconem pronuntiatis continuo omnia quæ forent Marci Antonij columnæ iussa sunt occupari. Ioanna interea domi se continere iussæ, uti diximus. cum filiabus & nuru grauida, impositis custodijs ne filias ulli daret in matrimonium edicitur, proponiturq; capitale supplicium si istud fiat sine pontificio consilio & iussu: vel, si nō venerint in potestatē pontificis contrahentes interdicendi aqua et igni, & tacturæ omnium bonorū utriusque partis. His minis territa Ioanna, grauioribusq; malis quæ sibi imminere fingebat, constituit fortunæ potius arbitrio, q̄ libidini & implacabili Senis iræ sese credere, quare ad fugā & ad latebras prospectare cœpit. Quo igitur tempore Ioannes Carafa dux Paliani erat pronuntiandus communicato consilio fugæ cum quodam fidelissimo è suis familiaribus, & cum Muliercula campana Arthemisia, curauit ut omnia ad iter necessaria clam ab amicis columniæ familiæ pararentur. sub auroram itaque mutatis uestibus ipsa cum filiabus, & nuru ac neptibus ad Thermas Diocletiani quæ sunt extra partes habitatas Romæ pedestri itinere contendit. ibi erat iam parata lectica & equi nonnulli ab amicis. cum ad portam uocatam Sancti Laurentij peruenentum est, nuntiatur fores ut aperiant, adesse Porciam Zambeccaram, quæ ad Arzolium oppidum contenderet, qua simulatione credita patefacta est porta à custodibus, ac liber exitus concessus. at vero quoniam noui anni initium ad illud inuitare videbatur, addita sunt pro antiqua consuetudine munuscula fores apperituris quo alacrius patefacerent. postridie cum illuxisset omnia mane parantur tanquam Ioanna adesset, mensæ scilicet, coquina, & cætera omnia, quæ præsenti parari mos erat, ne re tam

M. Antonij Columnij Castella proscribuntur.

Ioanna Aragonia fugit Roma.

celeriter patefacta tempus fugæ præriperetur. responsum est etiam uisentibus, quòd Ioanna non satis ualeret, ne vlla excitaretur fugæ suspicio. Sed cum tardior iam hora uideretur, neque Ioanna usquam aut filiæ apparerent, nuntiatur Pontifici mulieres omnes profugisse, quas insequi equites leuis armaturæ iussi sunt. illud uerò cum serius quàm oportebat factum fuisset, quòd illæ se iam diu in tutum recepissent, frustra re infecta equites redeunt. præfectus verò custodum portæ Diui Laurentij ante portam suspendio necatur, quoniam corruptus largitionibus dictus est fauisse fugientibus. ea fuga inflammatus Pontifex, quoniam delusus sibi quodammodo uideretur atrociorem quæstionem aduersus filium pro patre instituit, illum omnibus bonis priuat, fratri suo addicit, quem Ducem Paliani nominat. ille hoc titulo insignitus cum magna pompa & ornatu ducis per urbem comitantibus Romanis nobilibus incedit. Nepotem fratris filium Canorum Marchionem appellat. Antonius Carafa dictus est comes Balnei. fuerat autem ereptus is principatus legitimos comiti, quia accusatus fuerat quòd literas & pecuniam intercepisset Romam è Gallia comportatam, addiditq; titulum etiam Marchionis Montebelli. Garzilascus cum tot fortunæ mutationes fieri in dies videret, quæritur regio nomine de iniurijs quæ fierent columnijs, ob quam lamentationem etiam ipse Garzilascus orator regius & Tassus tabellariorum magister dati sunt in custodias. nam cum literæ occultis notis fuissent interceptæ inter Tarracinam & Sermitum, quæ ab ipso Tasso per cursores mittebantur ad Albanum, veritus est Pontifex ne illæ contra Pontificiam dignitatem conscriberentur, quare iussit etiam paulopost Caccialupum earum secretarum notarum inuentorem comprehendi, & in Carceres detrudi. Ioannes Luna arcis Mediolani præfectus occultis de causis iratus ad Henricum Galliarum Regem confugit apud quem honorifica stipendia nactus est, neque ullis Cæsarianorum promissis reuocari potuit. Philippus idcirco illi Alonsum Pescionem sufficit, atque eius fidei arcem Mediolani credidit, quam is singulari diligen-

Carafæ à Pont. nouis titulis insigniti.

Orator Philippi, Tassus, & Cacialuppus custodibus dantur.

Ioã. Luna arcis Mediol. præfectus ad Henricum confugit.

diligentia custodiuit, donec Ioannes Figarola præficeretur. ea dum Romæ geruntur, Castalij opera & Hieronymi reguli Corregij res inter Philippum Regem, & Octauium Farnesium componuntur de restituenda Placentia, cui negotio transigendo Madruccius Cardinalis Tridentinus præficitur. commissa est ea cura Paulo Vitellio & equiti Ardinghello Mediolanensi ceremoniarum, quibus vti in restituenda Placentia conueniret: atque Cardinalis ipse cum vniuersa propè nobilitate Mediolanensi comite Pescoliensi Marchione Placentiam venit. ibi tumultuario ponte supra fossam mœniaq; ciuitatis excitato Parmensem Ducem præstolatur. Octauius paulo post cum multis proceribus & duobus millibus lectissimorum peditum, & quingentis equitibus accedit. urbem per tumultuarium pontem cum uniuersi populi Placentini inspectantis ac circumfusi lætitia ingreditur, cum multos etiam præstantiores ciues habuisset obuios, qui vndique conueniebant gratulatum. Data est Octauio possessio ciuitatis, cum tamen arcem sibi Philippus occultis de causis reseruasset. Hæc vrbis Placentiæ restitutio etsi molestissima & periculosa fore videbatur illis, qui in Petrum Aloysium coniurarant & trucidauerant, cum filius cæsi principis imperium urbis recepisset, quod ingens periculum & vitæ & facultatibus videretur imminere; tamen non minus molesta fuit Pontifici, qui putabat futurum ut res Philippi Regis ex ea parte maxime Ferrariensibus Parmensibus auxilijs sibi adiunctis infestaret. at uerò tam acriter, indigneq; tulit eam concordiam Pontifex, ut incredibili ira commotus in tanta rerum omnium perturbatione fiscos monuerit, iusseritq; pronuntiare Regnum Neapolitanum ad ecclesiasticum imperium deuolui, quoniam multos iam annos debita tributa non fuissent persoluta: atque ea de re habita quæstione fit edictum ut regnum illud ad Ecclesiasticum imperium perueniat. Veruntamen multis dissuadentibus, quibus non placebat hanc tantam nouitatem rerum tentari, quæ nimis odiosa, & plena rixarum futura videbatur, res silentio inuoluta est. in ea tanta rerum omnium perturbatione

Placentiæ possessio dat Octauio Farn.

Pont. regnum Neapoli. ad Eccl. deuolutum pronunciat.

Carafæ Palianũ muniunt.

batione Romana re constituta, Carafa Card. & Petrus Strozza & Palianius dux communi consilio decernunt Palianum esse muniendum, quo uterentur propugnaculo aduersus impetus hostium & copias Neapolitanas, quod etiam tuerentur aduersus columnios proceres. Sic igitur Gallicis auxilijs confirmati Carafæ cupiebant & putabant futurum ut non minus propter suspicionem, quàm propter obseruantiam, plurimi fierent ab ijs qui succederent pontificibus: cum etiam eadem ratione fieri posse putarent vt Palianius facilem haberet ad tum cum vellet redire in gratiam Philippi Regis. atque si opus esset Columnæ Castella reddere, satis honorificam permutationem se capturum arbitrabatur. Sic enim fit ab ijs, qui ex humili loco ad aliquam dignitatem minime assueti peruenerunt, ut putent omnes vel summos principes, nedum priuatos, eam dignitatem admirari; cum omnino dux Palianius nullius esset rationis apud Pontifices vel summum Hispaniarum Regem futurus. omnes illi cum architectis oppidum munire aggrediuntur eò profecti, atque mille Vascones in præsidijs locantur, qui nuper è Gallia conuenerant. at uerò ob res huiusmodi multò etiam irritati sunt animi ministrorum Philippi Regis, quòd Petrus Strozza eò accessisset, qui perpetuus hostis fuisset Cæsarianorum. Albanus Pontificis consilia clam inuestigare, quæ Romæ fierent sensim aucupari, quæ ubique obseruare, sese paulatim ad bellum futurum accingere. Comes Populeus Pontificis nepos vel amplissimis conditionibus inuitatus cum nollet his bellorum motibus implicari impetrata exeundi facultate Neapolim contendit. certiorem facit Albanum bellum parari. omnes bellicos apparatus Pontificios explicat. Albanus Philippum Regem per literas monet. Non cessat tamen Albanus quibuscunque posset rationibus placare pontificem. omnes aditus occupat ad eum mitigandum. hortatur ad conseruandam pacem. proponit bellorum incommoda, quæ non sunt nisi necessario subeunda, populorum querelas, agrorum deuastationes, incertos exitus bellorum. rogat ne Paliani munitionem prosequatur, quod cognitum est nulla alia ratione, nisi ui armornm deuitari,

Albanus certior fit bellũ Philippo parari.

Albanus rationibus Pont. placare nititur.

tari posse. oblata sunt etiam pro anno reddita viginti nummûm millia Pontifici pro Paliano: & totidem Cardinali Carafæ pro eo bello deuitando; quoniam nollet Philippus Rex aduersus Sanctæ Sedis apostolicæ pontificem belligerari; cui pro Christo redemptore seruatoreq; nostro summa reuerentia obseruantiaq; debetur. Ea cum pro timore, at non pro regia liberalitate ac munificentia Philippi pontifex sibi offerri arbitraretur, mirificè ira & indignatione pro gratiarum actione efferbuit. Albanus etsi omnia pontificis consilia, quæ suscipiebat aduersus regem intelligebat, tamen vix fieri posse putabat, ut recentes induciæ cum Gallorum Rege nuper factæ tam repente nulla necessaria causa abrumperentur, gustato præcipue suauissimo pacis fructu: quare dubio animo fuit quid sibi esset agendum. At cum omnem prorsus spem abiecisset Pontificis ad concordiam perducendi, qui iam se hostem esse palàm profitebatur, miseratq; Antonium Carafam in Galliam togatam ad copias colligendas, cum quibus ex ijs finibus agrum Neapolitanum hostiliter inuaderet, & Antonium Tiraldum ut Perusiæ cohortes conscriberet, & alios tribunos militum in alias regiones Italiæ. his cognitis Albanus statuit prior arma hostibus inferre, atque pontificia consilia præuenire. Pontifex Camillum Vrsinum, virum acri ingenio singulariq; prudentia præficit cum summo imperio rebus militaribus, Romanæq; præfecture. & Paulum Vrsinum eius filium Perusiam mittit cum mille peditibus ad eos fines tutandos. Albanus contrà multos tribunos ac duces mittit colligendas conscribendasq; copias, qui ad duodecim millia peditum, equites mille & quingentos colligunt. collecta sunt enim tria millia Hispanorum & quingenti, quorum dux summus erat Garzias Toletanus, magister castrorum Sancius Mardonesso. Italorum octo millibus præfectus est & quingentis Vespasianus Gonzaga. præerat septem vexillis Cataphractorum equitum Marcus Antonius columna. dux summus leuioris armaturæ mille & ducentis equitibus præerat comes Populeus. erant in castris Albani præterea multi proceres Itali qui suis sumptibus gloriæ cupiditate Albano militabant.

Pont. apparatus ad bellum.

Albani apparatus cõtra motus Pont.

Quæ

Quæ dum parantur utrinque Franciscus Venerius Venetiarum princeps naturæ concessit, habita sunt de more patrum creandi noui ducis comitia; ac denique uir insigni prudentia, doctrina, animi magnificentia, eloquentiaq́; clarus Laurentius Priolus sufficitur; cuius tanta uirtus in eo principatu enituit, ut in multos annos talem principem Veneti sint desideraturi. sed iam inierat mensis September cum exercitus Albani instructus Neapoli egreditur, & ad oppidum diui Germani proficiscitur. ibi omnes copiæ censæ sunt, quæ postridie eius diei, ad pontem Coruum uocatum oppidum pontificiæ ditionis instructæ conueniunt. quod situm est ad ripas Liris fluminis, ubi nemo tractatus est hostiliter, quod oppidum cum intelligerent non posse aduersus tantus uires defendi, ultro se dediderunt. inde Frusinum castra mouent, quo missa fuerant quatuor peditum vexilla ad locum muniendum, prior accedit Garzias cum Hispano peditatu ac equitibus nonnullis leuioris armaturæ. horum aduentu cognito Itali qui fuerant in præsidijs à Iulio Vrsino relicti, quoniam munitio nondum esset perfecta, neque illam posse defendi arbitrarentur, sequenti nocte sine ullo tympanorum strepitu, nullaq́; data significatione profectionis Hispanis copijs oppidum relinquunt. ibi paulisper Albanus commoratus omnia præsidia hostium ex oppidis Marci Antonij Columnæ eijcit. Pontifex ubi sensit primum Albanum infesta arma intulisse, Archiepiscopum Columnam in custodias tradit. iubet Palianium Ducem cum summo imperio militæ ecclesiasticæ præfectum consulere finibus latij, ac videre nequid detrimenti res Romana caperet. Iulio Vrsino datur imperium pontificiorum peditum. Palianius interea duas cohortes Babucum, totidem Verulum mittit, tres ad vicum Valerium. Ascanium Corniensem velitri iubet esse, cui primum locum imperij militaris post se concedit, cum nonnullis peditum cohortibus ac equitum turmis, vt vrbem illam muniendam curaret; quæ ad formam munitissimi oppidi planè perducta fuit. atque ad commoda ipsius munitionis arbores & uineas finitimas circum cecidit, atque ædificia omnia proxima solo

aquau

Laur. Priolus sufficitur Frã. Venerio.

Albanus cum exercitu Romã versus proficiscitur.

æquauit ne quid insidiarum in suburbanis aduersus munitionem occultari posset. Non tamen diuturna fuit illa Ascanij diligentia, cum hinc honorificentißimis conditionibus à Rege inuitaretur, inde venisset in suspicionem Pontifici ne cum hostibus conspirasset, quoniam GarZilascus iam secretioribus notis ad ipsum ea de re conscripsisset. Pontifex Papyrium CapiZuccam cohortis præfectum mittit Velitrum cum diplomate, iubet Ascanium captiuum adducere. intercipit magnum pecuniarum numerum Ascanij, quas habebat Romæ. mittit clusium, quod oppidum est agri Perusini, ad omne Ascanij frumentum occupandum. iubet eius fratrem in vincula conijci. Papyrius Velitrum accedens Ascanium in castra hostium transfugisse inuenit, qui iam de omnibus pontificijs consilijs certior factus ab Albano dictus fuerat castrorum magister. Pontifex ægerrimè eius fugam tulit, mox ad parandas res ad bellum necessarias animum conuertit: conuenerant iam in castra Pontificia decem peditum italorum millia, ac duo veteranorum vasconum. equites leuioris armaturæ septingenti è varijs locis nationibusq́. collecti: quæ copiæ poterant, iam à regijs non contemni, nisi tot præfectorum ac ducum cum pari imperio cuncta prorsus inutilia fecisset dißidium. Quippe cum unum esse summum imperatorem in castris conueniat, cuius arbitrio & autoritati omnes pareant, cui maxima ab omnibus debetur obedientia, quæ sola est stabile fundamentum omnis disciplinæ militaris: cum dissensiones multorum contrà imperatorum, & distracta consilia, & par potestas vniuersas vires vel potentißimorum exercituum debilitent & infringant. Nam Carafa è Gallia reuersus rerum administrationem militarium Paliano extorquens copias minime educendas censet aduersus Albanum, cum Palianius intelligens se Albano neque militum numero, neque virtute inferiorem, Albanum vel intra suos fines inuadendum censeret. semper enim ferè præstat, si fieri poßit, agrum hostilem infestare, neque expectandum est ut noster hostiliter inuadatur ac deuastetur. at Pontifex iubet Tyrrum Lofredum virũ Neapolitanum tradi in custodias,

Ascanius iram Pōt. sentiēs ad Albanum trāsfugit.

Pōtificius exercitus.

Pirrus Lofredus Albani Orator traditur in custodias.

dias, qui missus fuerat Romam ab Albano ad pacem componendam antequam arma mouerentur, dum Pontificis responsum expectat. hic non prius exiuit è Carcere, quàm res sint compositæ: quamuis Iuliano Cæsarino, Camillo Columnæ, & Archiepiscopo datis pecuniosis opulentisq. vadimonijs sistendi libertas est restituta per hoc ipsum tempus. At vero

Paceccus, Sanctiflo. Cam. Vrsinus, & Garzilascus capiūtur Romę

Paceccus & Sanctiflorius purpurati antistites, & Camillus Vrsinus, & Garzilascus per simulationem quandam censendi copias capti fuerunt hoc astu. fingunt nonnulli duces se vel le censere copias Romanas sicuti moniti clam fuerant: deinde vbi censæ fuissent cohortes, diuiduntur in vicos ac regiones iussas, quæ ad ædes prædictorum profectæ illas vndique circundant, captosq. proceres in custodias abducunt. Sanctiflorius à Carafa accersitus post colloquium currum conscendere iussus multis comitantibus sclopettarijs in arcem diui Angeli adducitur. Camillus accersitus à pontifice his sclopettarijs obuius iubetur à Carafa in arcem uenire. vbi nuntiatum esset Albano Pyrrhum in vincula traditum erectis uexillis ad profectionem ad Anagniam urbem occupandam cōtendit; ad quod negotium illum præcipuè inuitabant multorum apparatuum bellicorum, qui ibi esse dicebantur, copia, & negligentia custodum. præmittit Toletanum ad occupandum Verulum, quod quanquam acriter ac strenuè Laurentij viri Perusini & Baricelli Fabrianensis opera aliquandiu defensum est, tamen postea in potestatem hostium venit; ubi omnia direpta sunt, ac duces ipsi capti. Vespesianius Gonzaga cum italis copijs Babucum expugnat profligatis cohortibus Thomæ Cannatinensis & Ioannis Vasconis Florentini. Harum ciuitatum expugnationes fecerūt vt Alatrium, Terracina, Acutium, Fumo, aliaq. nonnulla oppida se dediderint, cum nollent fortunam bellorum experiri; quòd satius esse ducerēt integris, quàm labefactatis rebus ex aliqua parte consulere.

Albanus ob Pirrhi uincula ciuitates expugnat & Castella.

Anagnia urbs ab Albano obsidetur, & quatitur.

cum Anagniam peruentum esset, ubi Carafa Torquatum Comitem uirum non solum nobilitate & autoritate clarum sed etiam gloria bellicæ laudis insignem cum octingentis peditibus collocarat. ille cum urbanis hominibus

bus vrbem munire incipit tanta diligentia, ut breui videretur parui conatus hostium facturus; sed repentinus hostium aduentus vniuersa Torquati repressit. vrbs à duobus lateribus hinc equitatu, inde peditatu obsidetur, quam ex edito loco ab ea parte quæ planitiem prospectat iubet Albanus quatuor Cannonibus & duabus colubrinis verberari, prostratis primum ac deiectis omnibus, quæ possent prospectum impedire. ea prouincia ut diligenter urbs concuteretur data est Toletano & Hispanis, qui castra posuerant è regione templi Sancti Petri. ab altera Vespasiani parte è regione templi Diui Francisci per triduum assidue vrbs item concussa est tribus cannonibus. postea Itali compulsi gloriæ desiderio prostrata iam ad ingressum magna parte muri ad templum Diui Francisci vrbem magno conatu adoriuntur. Sed cum difficultas negotij, & profunditas fossarum retardaret, murorumq́; & urbis sublimitas coguntur re infecta in castra redire. Torquatus cognita ruina murorum, cum fieri non posse intelligeret, vt urbem defenderet, quam munire non poterat prostratis præcipuè mœnibus vi tormentorum: cum esset in aperto periculo constitutus; cum pulueris sulphurei inopia laboraret; decernit se & milites ac ciues seruare. Primùm vniuersus commeatus Anagniæ Torquati iussu comburitur, ne hostes potirentur: deinde per obscuritatem noctis cum omnibus copijs miro silentio ex vrbe egreditur. Illud verò præstitit satis aptam opportunitatem huic rei, quòd Albanus coactus fuerat propter eximias pluuias & crebras equitatum ad oppida Valmontonium & Montem fortem in stationes mittere. sic Torquatus exeundi occasionem nactus Acutium contendit, atque inde Palianum, ubi erat Iulius Vrsinus. Torquati milites alij Tybur, alij Romam missi. postridie cũ illuxisset missi sunt qui Anagniæ verberationem recognoscerent; qui neminem adesse sentientes, cum à nemine impedirentur, in urbem percurrunt, atque ita ciuitas Albani copijs relictæ multam prædam sine sanguine exibuit. Camillus Vrsinus dum Albanus oppugnans Anagniam occupatur Romam diligenter munire cœpit: arbores fructiferas & steriles, & ui-

Torquatus concrematо cómeatu Anagnia egreditur.

Roma munitur magna Roma no: si calamitate.

Vuu 2 neas

neas & in suburbijs prosternit. muros & ædificia urbi propinqua funditus euertit. multos amœnissimos hortos deuastat, quod dānū creditum est accedere ad centies sestertia. Romani harū calamitatū nouitate cōmoti modo ad Camillū Vrsinum, modo ad Palianiū recurrere, auxilium labantibus priuatis rebus implorare, suppliciter rogare ut suis rebusquanta fieri posset facilitate consuleretur. Sed irritæ fiunt & uanæ omnium preces, quòd omni priuatæ calamitati publica defensio uidetur anteferēda, ad quod consilium etiam impellebat hostium propinquitas. Nam ita requirit ius belli ut urbium partes vel inutiles ad defensionem, vel illam impedientes prosternantur ad tutelam ciuitatis, sicuti partes inutiles aut vitiatæ humani corporis rescinduntur, ne satis etiam sint exitio, easq; trahant ad putredinem. cincta est arx Diui Angeli in coronæ morem aggeribus è gleba cōpositis, & propugnacula quinque erecta, ubi circiter duo millia peditum commodè esse possent. Camillus Vrsinus Romanis conuentum indicit in capitolium palianij Ducis hortatu, ut de munienda urbe Roma consultaretur. at uerò Genuenses omni diligentia utuntur ut Cyrnum è Gallis recuperarent: quare Auriam cum instructa multarū triremium classe mittunt. ille cum Mantinos aduersus Gallicas uires & Ropicum tutatus esset, nouisq; subsidijs obsessos iuuisset, quam Galli propter noua auxilia hostium introducta ab obsidione sese recepissent, ubi rebus necessarijs Vrcinium etiam munijsset, quia tēpus anni iam uideretur tardius cum classe Genuam reuertit. ubi frequentes Romani conuenissent in capitolium, eos non minus graui quàm ornata oratione ad urbem muniendam cohortatur in hunc modū

Auria à Cyrno insula muniēda Genuam classe reuertit

Si cui uestrum propositum esset ciues, ut utrum mallet nulla necessitate, nullis iniurijs, nullis inimicitijs coactus vel bellum vel pacem eligeret, non ne ridiculus & insulsus ac demens esset existimandus, qui suauissimæ paci & iucundissimæ tranquillitati grauissima bellorum incommoda libenter anteponeret? at nunc eadē propè nobis optio data est: decernēdum est enim uobis hodierna die nū potius hostium arbitrio cū filijs, cū facultatibus, cū uxoribus uestris expositi esse uelitis; quàm

Camilli Vrsini Oratio ad Romanos i capitolio.

quàm à vestris præsidijs defendi. est enim uobis statuendum nō modo ut præsentes calamitates auertatis, quæ ab hostibus imminent, uerumetiam ut in in posterū omnē spē hostibus adimatis huius urbis per uim potiundæ. Istud facile consequemini, si veluti postulat ratio militaris, urbem in opportunis locis munieritis: quod si maiores uestri fecissent, multas clades & calamitates deuitassent. Nam quis nesciat potentissimos exercitus aliquādo munitarum urbium virtute fuisse infractos & afflictos ut rei difficultate territi castra soluere, & copias dimittere coacti sint? at apertæ ciuitates contra semper hostium arbitrio & libidini & rapinis atque incēdijs patuerunt. sed nolo quidpiam infaustum commemorare. Vos autem facile munire hanc urbem aduersus omnes impetus hostium potestis, cum natura urbis omnia munitionibus necessaria suppeditet, quod certæ non magnis sumptibus efficietis. Nunc non agitur tantū de gloria populi Romani. quæ tamē ipsa per se grauissima esse deberet; sed de salute singulorū, de facultatibus, de uxoribus inuiolatis conseruandis, de liberis, de patrijs focis, de vita, de libertate nostrum omnium. Nunc decernatis oportet num hæc omnia conseruare, an hostibus crudelibus obijcere præstiterit. Quæ dum grauissimè & prudentissime dicere visus est Camillus Vrsinus nonnullis, alij longe aliter sentiebant, existimabantq́ non solùm laboriosum & arduum opus fore vrbem munire, sed etiam periculosum. idcirco quidam è præsentibus aduersus prædictas rationes grauiter disserit; multis rationibus ac pluribus exemplis cognitum esse calamitosum fuisse ciuitatibus esse munitis; quoniam agitur in hoc negotio de præsentium posterorumq́ omnium salute, de euenturis urbi calamitatibus, de patriæ, larium, templorum, facultatum, uxorum, liberorum conseruatione, non esse tacendum quid utiliter quisque sentiat. nulla alia de causa munitiones fuisse inuentas, nisi ut cursus hostium retardaretur; at non ut loca munita inuicta & in expugnabilia sint putanda. oppida, quæ sunt in finibus imperiorum diligentissimè munienda esse, & quæ sint primis hostium incursionibus exposita; quia dum illis oppugnandis

dis

dis hoſtes tardantur, fieri poſſunt commodius bellici apparatus, copiæ conſcribi, auxilia acciri. ſin Romam munire nitantur, multis ac certiſſimis de cauſis uanos futuros labores & ſumptus, qui maximi faciendi ſint. nam ſi citò urbs muniatur, fient intolerabiles: ſi tardè, futuri ſunt diuturni. ſolere vrbes magis afflictas venire in poteſtatem hoſtium, quæ diutius reſtiterint, cum prius regionem vniuerſam deuaſtari, ædificia ruſticana incendi, populari agrum aſpiciant: cum uicti primo obſidionis die nihil tale patiantur. Sæpius id accidiſſe, ut ciues munitionibus freti per vim expugnati ad vnum trucidati ſint, qui niſi confiſi eſſent munitionibus & uitam & facultates uno tempore ijs eruaſſent. Principes ſolere ad munita loca præcipuè aſpirare, quæ allicere exercitus potius, quàm deterrere videantur. ſumptus intolerabiles ſemper neceſſarios eſſe in ſtipendia cuſtodiarum. apparatus bellicos, curas & animi ſollicitudines comites eſſe munitionum, cum ſemper proditiones & inſidiæ ſint formidandæ. difficillimum eſſe munitum locum, ſi ſemel amittatur recuperare. Romam ob ampliſſimum ambitum non poſſe commodè muniri, quæ ſi infinitis laboribus & ſumptibus tamen muniatur, vix poterit cuſtodiri, cum plures triginta millibus hominum ambitus requirat. quòd ſi tot adſint armatorum millia, præſtaret apertè eductis ſignis in hoſtes caſtrametari, quàm ſe intra mœnia includere agro hoſtibus relicto. infinitam annonæ copiam neceſſariam futuram tot millibus defenſorum incluſorum, qui vel ipſo numero breui urbem obſidebunt. Vrbis Romæ multitudinem è tot tamq; diuerſis & diſſentientibus inter ſe nationibus conſiſtere, ut illi minimum fidei ac ſpei defenſionis ſit habendum, tanquam imperitæ rei bellicæ, & plerunque diuerſarum factionum & cum hoſtibus conſpiranti, cum neque vxores, neque filios tanquam obſides, neque facultates aut lares habeant, pro quibus ſe periculis exponant, & bellorum fortunæ. nemo enim libenter & intrepide pro defendendis alienis facultatibus dimicat, cuius futura ſint vulnera; at aliorum victoria. timendum eſſe ne in ſeipſos, in fortunas, in liberos, in libertatem

tem vrbem ſint munituri; quare reparationes nonnullas, at non munitionem totius vrbis videri neceſſarias ad retardandos hoſtes. Poſt multas utrinque diſputationes decernitur ut collapſi muri propter vetuſtatem reſarciantur. fit edictum ut omnis generis commeatus, & frumenta, & legumina ex agro Romano conuehantur in urbem; cum ut horum facultas eripiatur hoſti, tum quòd eſſent urbi neceſſaria. Pontes muniuntur, ubi ſtationes militum habentur. æquatur ſolo Cænobium uocatum populi. vbi nuntiatum eſt Romæ captum eſſe verulum & Anagniam, & reliqua prædicta oppida, vehementer trepidatur, ne ſecunda calamitas Borbonia experiunda ſit. eo rumore territi ac propè conſternati Cardinales nonnulli pontificem orant ut tot populorum ruinis, ciuitatum direptionibus, populationibus agrorum, vaſtitati eccleſiaſtici imperij pacem & tranquillitatem anteponeret. animum placaret ſuum, indignationem remitteret, quæ tota in ſuorum fideliſſimorum ſubditorumq́ cladem redundaret. ſe inuenturos qua ratione honorificè id fieri poſſit, cum Albanus ipſe vltro veniam & pacem eſſet poſtulaturus. Pontifex partim terrore belli, partim his rationibus permotus aſſenſit. mittit hortatu pontificio Cardinalis Sancti Iacobi Albano coniunctus Thomam Mantiqueum ad eam rem componendam. Ille Anagniam profectus, ubi Albanus propter aſſiduos imbres detinebatur, quia per loca quæ fiebant paludoſa creſcentibus ac mollientibus aquis tormenta trahi non poterant. res ibi acta eſt. miſſus eſt Romam vnà Franciſcus Paceccus. decernitur ut Carafa Cardinalis ad diem ſtatutum in colloquium ad Cryptam Ferratam conueniret, qui locus eſt inter Marinum & Tuſculũ ſiue Fraſcatam poſitus. dum dies ſtatutus ad colloquium aduentaret Albanus Valmontonium caſtra mouet; quod oppidum cum non poſſe defendi Io. Baptiſta comes intelligeret, uenit in deditionem. ibi ſuſceptum conſilium Velitrumne an Tybur prius inuadere oporteat, dubium relinquitur, donec videretur quid cum Carafa decretum fuerit. Mortuus eſt hoc ferre tempore Federicus imperatorum elector anno ætatis ſuæ. 73. Henrico

Card. teriti impetrant à Pon. facultaté rei cõponendæ cum Albano.

Fed. rici Imp. electoris mors.

fratre

fratre hærede instituto. decessit etiam Treuirorum Archiepiscopus, cuius in locum vir literarum cognitione clarus excellentiáq́ ingenio Ioannes Laienus suffectus est. Cæsar post insignia imperij electoribus assignata per legationes è Gordunis in Hispaniam traiecturus peruenit in Zelandiam, cuius in locum Ferdinandus frater imperatoria dignitate insignitur, cum esset iam Rex Romanorum, in urbe Bataduro; ubi coronari omnes imperatores consueuerunt: quod accidit ad decimum octauum Calendas Octobris. Cæsar ubi Philippum filium ad cultum diuinum piè colendum adhortatus esset, pro paternaq́ beneuolentia monuisset ut in omni vita ueritatem amaret; ne uoluptatibus se uinci pateretur, liberq́, & rex re ipsa, imperans primùm sibi ipsi, non autem seruiens uiueret: ut intrepidus aduersus omnes, mutationes fortunæ persisteret, neque seruus fieret omninò affectuum animi, maximeq́ omnium auaritiam deuitaret, quæ omni regiæ magnificentiæ & æquitati & clementiæ est inimica, datis extremis complexibus & osculis, dimissis legationibus & principibus & seruis aulicis qui eũ sequebantur, nauim paratam cũ Eleonora & Maria Reginis sororibus ad sexaginta triremibus comitantibus Cantabriam uersus nauigat, feliciq́ nauigatione usus in portum Laredi, quod est oppidum eius regionis applicuit, qui cum primum descensionem fecit in genua procidens dicitur gratias Deo egisse, quia sub finem vitæ suæ diuina clementia sibi concessum esset in eam prouinciam altricem non minus uictoriarum, quàm corporis peruenire; cui in tot beneficiorum remunerationem ossa sua se largiturum promittit. postea proceres prouinciæ, qui ad eum excipiendum undique confluxerant, perhumaniter complexus lecticam ingreditur, & in urbem Pintiam Hispaniæ nobilissimam ubi Carolus nepos erat peruenit. inde hortatus Carolũ ad imitationem paternarum uirtutum nonnullos dies commoratus in regionem Extremaduram uocatam in desertum locum se recipit in monachorũ Diui Hieronymi cœnobium eremitarũ, atque inde dimissis sororibus in urbem Pintiam paucis seruis secum acceptis quod reliquum fuit uitæ omnibus humanis curis

Cæsar insignia Imp. electoribus assignat, & Ferdinandus ijsdem insignitur.

Cæsaris adhortatio Philippo filio.

Cæsar in cœnobium eremitarũ se recipit.


ris relegatis inter diuinarum rerum contemplationem quod reliquum concessum est uitæ transegit, & in pijs diuinisq; operibus. at Ferdinandus Imperator ubi primum Imperatorijs insignibus fuit decoratus comitia Artobrigam sub initium decembris indixerat, quò ubi conuenissent omnes principes, legationes & ordines Germanici, ad comitia & ipse conuenit. ibi dijudicatis primum nonnullis priuatorum magnis controuersiis, ad religionis colloquium primum omnium rerum publicarum peruentum est & ad cultum diuinum. maximopere sollicitati sunt animi principum vt ad apostolicam obedientiam rediretur, & ad eam auitam religionem catholicam quam maiores tanta cum obseruantia & reuerentia cōplectebantur: quod plurimum faceret non solum ad coniungendas diuinas, sed etiam humanas uires. quia breui futurum videbatur vt omnia hereseos semina nullo propè labore conuellerentur, si Germania ad verū pristinū cultū diuinū redijsset. sed tamen si velint dubitationes solui, id fieri posse in sacra synodo, quam breui fieri procuraret. verumtamen uana fuit illa propositio, quia ad pacem concordiamq; seruandam necesse fuit insistere in augustanis decretis, cum præsertim maxime instaret tumultus turcarum, qui dicebantur in Pannoniam cum magno copiarum numero Duce Solimano uenturi. neque alium finem sortita sunt hæc comitia, quæ religionis causa tantum indicta fuerant.

Ferdinandus Impe. comitia indicit Altobrigam.

HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER DECIMVS.

Caroli V. diuinum pene iudicium.



NIMVERO si nulla alia esset ratio, nullaq́; quotidiana experientia, quæ nobis demonstraret nihil esse in humanis rebus diuturnum, atque omnium rerum esse vicißitudinem; facile illud pateret non modo ex ijs incendijs vrbium, cladibus populorum, ruinis prouinciarũ, deuastationibus regnorũ, rerump. & imperiorũ euersionibus, quæ ad antiquis scriptoribus memoriæ traditæ sunt; verum etiam ex hoc præsenti Cæsaris exemplo. nam profectò si tãta esset felicitas in amplitudine imperij, & in magnificentia opum, facultateq́; dominandi, quanta vulgo & insipientibus plerisque videri solet, Cæsar omnium mortalium iudicio sapientißimus iudicatus nunquam imperatoriam dignitatem deposuisset, priuatamq́; vitã publicæ anteposuisset. siquidem qui tot nationibus subiugatis propter diuinum cultum, tot amplißimis & opulentißimis regnis acquisitis, tantis, tam præclaris, tam gloriosis rebus gestis, omnem humanam ambitionem reiecerit, qui stimulus est acutißimus in mentibus mortalium, eum non mediocris ingenij esse necesse est; sed elatiore quodam ac propè diuino iudicio: quippe qui non Germanos, non Gallos, non Belgas bellicosißimas nationes ferro subiugarit, sed Cæsarem ipsum prudentia & ratione, & uero felicitatis delectu; quæ inter homines in uita priuata potius, quàm publica, & in tranquillitate animi nihil magnopere appetentis consistit. quæ vna causa fuit cur

Diocletianus, & alij insignes Cæsares vitam priuatam publicæ, cum utranque experti essent, prætulerint. Cum dies colloquio Albani Ducis & Carafæ dicatus aduentâsset, Albanus cum quadringentis equitibus magnaq; sclopettariorum manu ob suspectam syluam parum distantem a Monteforti, ad locum colloquij venit. ibi cum diu frustra expectasset grauiter ferens se delusum ad occupandum Palesanum, quod olim Præneste dicebatur, & Signiam reuertit: quæ oppida sponte se dediderunt. Dicitur Carafa consultò ita suspensa Albani consilia tenuisse, donec nonnullæ Germanorum cohortes Romam ingrederentur, & equitum turmæ, quæ expectabantur in dies, & dum muniretur Velitrum. at re ipsa res desperabatur à Carafa, quia Pontifex vellet Albanum intra suos fines pacem postulare ubi copias contraxisset; quod non fieri posse è pontificia dignitate uidebatur Pontifici quandiu exercitus esset in agro pontificio: ne metu potius Pontificis, quàm libera uoluntate pax facta esse appareret. ea res cum nuntiata esset Albano, ueritus ne si intra suos fines se recepisset, domi potius, quàm in agro hostili bellum gerere cogeretur, minime ijs rationibus assentit. Quippe quem ad illam suspicionem impellerent non leuiter literæ, quibus questus fuerat, quod Pontifex præter opportunitatem ac dignitatem multorum hostilem in modum tractasset amicos & subditos Philippi Regis: quòd exulum Neapolitanorum opera uteretur in contemptum Regis: quod curasset ut induciæ tot laboribus studijsq; factæ cum Gallorum Rege abrumperentur. quod facinus esse aiebat parum cordati hominis, nedum Pontificis & pastoris amãtis ecclesiam Dei: cũ uerè pontificium munus sit pacem & concordiam inter Christianos principes cõponere, at non pro pace, bellorũ, discordiæ, & inimicitiarũ semina iacere. adhæc probabilia potius quàm necessaria Albani dicta Pontificis nomine non minus callida responsa data sunt à Paliano, quòd ipse non prior agrum Neapolitanum hostiliter nomine Pontificis inuaserat; quòd exules tanquam ad communem omnium patriam fuerant admissi pro ueteri & auita Romanæ urbis libertate, sicuti cæterarũ

Albanus spe colloquij delusus ad occupandam Præneste reuertit.

Albani literæ ad Pont.

Palianij respõsum.

pido per uim potiri accedit eò Albanus cum reliquis copijs: at uici Valerij ciues iā armati, quanquā promiserant Vrsino se defensuros, militaribusq; officijs non defuturos, tamen prædiorum deuastationem & vinearum, euersionemq; ædificiorum potius, quàm uim hostium timentes profitentur palam se velle calamitates, quæ imminerent sibi omnibus deuitare. Monent Vrsinum ut sibi suisq; consuleret, ac salutis viam quæreret. Hi etsi rogati sunt vt fidem seruarent, Pontificiam digniattem ne desererent, urbem tuerentur, quam facile possent tueri, tamen ab instituto consilio minime retrahuntur. Vrsinus cognita populi pertinacia obtinuit per Ascanium ab Albano ut ipse cum omnibus militibus seruata libertate & armis ac impedimentis sub vexillis ad sonitum tympani exiret. Vici Valerij ciues ita in potestatem Albani venientes pacti sunt ne plures sexaginta peditibus essent ibi in præsidijs, quod minime seruatum, at promissum certè fuit. Sic enim ius belli postulat non solum vt pro ambitu oppidorum & vrbium numerus etiam defensorum idoneus imponatur, sed etiam pro numero ciuium aut oppidanorum, qui facile difficultate bellorum defatigati, nisi militum armis impediantur & adiuuentur, ad deditionem conspirant. Est autem vicus Valerius oppidum vel potius urbs opulenta posita in ripa Anienis fluminis, quæ ob munitionem tū artis tum naturæ vel potentissimi exercitus uim atque conatus sustinere poterat, si oppidani se defendere maluissent. reliqua erat arx, quæ & ipsa Ascanij opera in potestatem Albani venit, ubi sexaginta Hispani relicti sunt in præsidijs. fuit vtilissima illa deditio Regijs copijs, quòd liber aditus esset patefactus in principatum Taliacotij, vnde commeatus tutò aduehi posit. Inde profectus est Albanus, atque altera pars copiarum Tybure, altera in Monte rotundo, Valmontonio, Palumbaria, Palesanoq; castrametatur, ut aliquantisper corpora curarent difficilibus laboribus propter cœnosas vias assiduasq; pluuias defessa, donec placidioris cœli facultas & clemētia concederetur, cessaretq; uis imbrium. quæ ubi cessassent diditur rumor velitrum esse occupandum, V ci Valerij urbis descriptio

cui

cui præerat Sommeus Regulus; appropinquantibus Albani copijs in eius locum ſuccedit Adrianus Baleonus cum duobus millibus & quingentis peditibus. huic pollicentur ciues ſe vnà vel urbem fortiter defenſuros, vel caſuros in acie; cum urbs poſſet optimè defendi, ut quæ omni genere apparatuum & munitionum egregiè eſſet munita. His rebus per exploratores cognitis repreſſus eſt Albani animus, & ab ea oppugnatione retractus, cum ne in periculum veniret acquiſitæ in eo bello hactenus exiſtimationis, tum quòd negotium difficile & periculoſum videbatur. Pontifex etſi magna inopia rei nummariæ laborabat, cum non poſſet ſtipendia militibus ſuppeditare, tamen Romanos in munienda vrbe occupatos minime audebat infeſtare; quippe quod illi etiam ut poſſent vrbanis præſidijs ſoluere ſtipendia grauiſſima uectigalia inſtituere coacti ſunt molendæ annonæ. Romani in militares ordines diſtributi ſummum imperium deferunt Alexandro Columnæ, quem præficiunt omnibus tribubus, quas vicatim Riones uocant; unde ad ſeptem peditum millia collecta ſunt, & cenſa. Statuit Alexander ut ad omnes bellicos tumultus, unus è tribunis cum ſuis copijs præſtò eſſet in capitolio, ut cum Conſeruatoribus (ſic enim uocatur Romanorum magiſtratus ſummus) poſſet ſubſidio eſſe partibus indigentibus. reliquas duodecim tribus in tres partes diuidit, quarum unam iubet cum ad arma conclamaretur, ſtatim in plateam Thermarum conuenire, aliam ad Sanctam Sabbam, tertiam ad Sanctum Ioannem Lateranenſem, unde poſſent ad omnia opportuna loca, ſubſidiaq́. acciri. inſignioribus etiam Italis & Galliis ſua pars tuenda traditur. Nam primum Lanſaccis Regulo Porta illa quæ Populea vocatur, & Pinciana cum mille Vaſconibus aſſignatur. Paliano Salaria & Diuæ Agnetis, ſiue collina cum octingentis Germanis. Iordano Vrſino Porta Sancti Laurentij cum ſex cohortibus Italorum. Carafæ Cardinali Latina & Sancti Sebaſtiani cum Sexcentis Italis. Molucchio Porta Sancti Pauli, & uocati Teſtacij montis cuſtodia cum reliquis vaſconibus. Aurelio Fregoſo vniuerſa regio trans Tyberim cũ mille & quingentis

Alex. Columna Romam partitur tribunis cuſtodiendam.

gentis

gentis peditibus. Camillo Vrsino uicus Sancti Petri, & uniuersa regio, quæ est apud arcem cum duobus millibus peditum. Albanus his apparatibus cognitis, qui non ita facile opprimi posse videbantur, erat adhuc in hybernis, neque ad inuadendam vrbem audebat aspirare. at velitri Palianiq́. præsidia interea commeatum castris Albani intercipere, impedimenta diripere nonnulla, palantes Hispanos cædere, multis incommodis hostes afficere. coactus est Albanus castra mouere, cum via omnis infestaretur, quæ ab insula inter aquas Fibreni posita in Liri flumine ad castra ipsa duceret. Dum his occuparetur Albanus, Iulius Vrsinus cum quinque cohortibus Paliano egressus leue, subitariumq́. certamen cum hostibus committit, multos occidit, oppidum Serronem apertum Columnij concremat, Pillium inuadit, unde cogitur recedere cum nonnullorum iactura ob uirtutem defensorum. reliquæ copiæ cum iter facerent ab aggressibus regionis vel saxis ex altioribus locis occisæ sunt, vel ita uulneratæ, ut cũ iter facere non possent, fuerint captæ. Mittitur idcirco Antonius Carafa in Galliã togatam ad colligendas copias, iussusq́. est regionẽ Piceno & Asculo finitimã Regni Neapolitani infestare. Ille partem conscriptarũ copiarum Asculi ad ripas Truenti fluminis, quod Neapolitanũ agrũ ab ecclesiastico disterminat, collocat. cõmoratur ibi nõnullos dies; sollicitat finitimos ad deditionẽ. Albanus aduersus hũc cũ tumultuarijs manipulis mittit Marchionẽ Triuici Prætutinorum præfectum. Hi dum ita intra suos fines cõsistunt, nihil innouatur, à quibus Carafa sperabat. Carolus Lofredius cum ala leuiorum equitum ad Aquamuiuam incurrit, multa armenta, & omnis generis prædam abigit. ea re excitus Carafa in agrum Regni incurrit populabundus, atque omnia implet direptionibus & incendijs; mox declinans ad maritima Contràguerram oppidum occupat, cohortem in presidijs relinquit, Carapolim usque percurrens frustra tentatis animis oppidanorum, qui non poterant sine tormentis muralibus cogi ad deditionem, agrum prædatus recedit. Marchio Amiterno attractis tormentis cum accessione copiarum, quas Albanus Tybu-

Iulius Vrsinus Serronem oppidum cõcremat.

Ant. Carafa ad copias colligẽdas mittitur.

Carafa agrum Regni incurrit populabundus.

re miserat mille & quingentorum peditum scilicet, & nonnullarum turmarum equitũ Carafam uersus castra mouet, qui cognito aduentu hostium se Asculum recipit. Marchio Ancharano signa intulit, quod oppidum concutere incapturo nũtiatur duo millia peditum mitti subsidio oppidanis, quare in de castra mouit, quanquam ducenti tantum postea; at non duo millia missa sunt, qui facti obuij marchionis copijs Malignanium se conferunt. Ad hos expugnandos Marchio trahit tormenta, ac breui per deditionem occupat, ea conditione ut præter uitam, cuncta arbitrio hostium concederentur: ijs igitur egressis omnia tum urbana tum etiam militaria direptionibus & rapinis patuerunt. Albanus dum hæc geruntur in agro Piceno Tybure moratus fit anceps an Hostiam an Rietum prius inuadat, ut commeatus copiam Romanis interciperet, Hostiam decernit prius esse inuadendam, quare eò castra mouet. Ea dum aguntur in Latio, Pontifex Venetos sollicitare ad arma aduersus Hispanos capienda, obtestari Italos principes, & Henricum Gallorum Regem præcipuè ne Philippus ecclesiasticum imperium occuparet. Veneti omni humanitatis officio fungi, grauiter ferre Pontificis molestias, rem tentare omni studio vt componerent inter Pontificem & Albanum per Phæbum Capellam à secretis senatus virum optimum & tractandis publicis negotijs exercitatissimum. sed alterius tanta fuit pertinaccia & furor, tanta alterius animi elatio, nihil ut actum sit, omnisq; spes pacis prorsùs abiecta. interea Duces Pontificis certiores facti Albani castra ita esse diuisa, cum etiam multi profugissent, ea inuadere statuunt: at Albanus eo consilio per exploratores cognito copias omnes in una castra iungit, duo millia peditum è Præcutinis accersit, seq; ad sustinendos omnes hostium conatus accingit. Pontificij his cognitis mutant sententiam, atque animum adijciunt ad augendas copias. Paulus Iordanus Vrsinus ad conscribendas cohortes mittitur; Matthæus Stendardus ad equites sclopettarios colligendos. cum verò equi haberi non possent, cæteris omnibus antistitibus præterquam Cardinalibus adempti sunt & nobilibus. Romanis. & si

Ancharanum oppidum Marchio per deditioné occupat.

Albanus Hostiá inuadit.

Romæ iniuriæ.

precium

precium offerebatur cuique, tamen multi grauiter ferebant, quòd illud facinus publicam quandam violentiam referret. impellebant etiam ad indignationem multæ Vasconum iniuria, quæ ob stipendiorum inopiam vbique Romæ fiebant: qui cum victus ac nummorum penuria multa latrocinia in urbe committerent, tantum sibi arrogauerant licentiæ ut diurno quoque tempore priuatas domos nulla re territi prædarentur, tanquam hostiles. fit certior ea de re Pontifex, nuntiatur ur bem minus ab vrbanis præsidijs, quàm ab hostibus esse tutam: stipendia procurrantur, nonnulli suspendio puniuntur, ne cæteri se impune arbitrarentur prædari. id autem unum est remedium ad refrænandos scelestorum animos. Albanus con iunctis castris Tusculum, Marinum, Cryptam ferratam, & Gangulphum castra mouet, quibus in locis curat vt commeatus Tybure afferatur. Balthesar Rangonus cum centū & quinquaginta equitibus ad eum intercipiendum contendit, atque in insidijs positus ibi, ubi Albanus Comitem Popu li cum quadringentis equitibus esse in insidijs rem huiusmodi veritus iusserat, circumuenitur atque ob inferiorem suorum numerum in fugam uertitur. equites Pontificij partim capti, partim dißipati, quo nuntio Cardinalis Carafa commotus cum omni equitatu Roma egreditur, aduersus quem mouet suum Albanus: tamen re infecta uterque monitis ab exploratoribus discedit ab incæpto. Albanus ubi exercitus aliquantulum recreatus esset existimans nihil esse cunctandum exercitu impedimentis & pueris & rebus inutilibus aut retardātibus leuato Cryptaferrata profectus ad Hostiam signa conuertit præmisso Ascanio ad Ardeā Porcilianumq; occupandū, quibus oppidis ille potitus est non sine aliqua suorum iactu ra. ea re à Pontificijs percepta Sommeus exit ad ea recuperanda oppida, sed reiectus fortitudine defensorum re infecta reuertit. Columnius pontem conuehendum curauit, quē è propinquis syluis exciderant supra Tibrīm fluuium iacien dum è multis lintribus, qui comportarentur, atque ex asseribus, qui possent clauorum beneficio coniungi & compingi; essetq; percommodus si opus esset ad transitum & ad reditum

Incursiones & minuta prælia Pontificiorum & Philippiorum terra, mariq;

tum. Neptuniæ incolæ à Pontificijs deficiunt ad Columnium, quò statim mittitur cum una cohorte peditum Morettus Calaber. is cum tardius aduentasset per noctem coactus est pernoctare in suburbanis propter nonnullas oppidanorum difficultates, quo tempore velitri cohortes eum inuadunt, quæ ac cesserant eò causa imponendi præsidij. ille tamen Neptuniæ armis adiutus, coegit velitrenses se in tutum recipere. eius oppidi facultas plurimum commodorū attulit Albani copijs, quia citra impedimentum quantum vellet cōmeatus Caietæ conuehi poterat in castra. Pontificij è vestigio Gallicas triremes ad illud recuperandum mittunt, quæ ubi diutius tormentis concussissent, essentq́ iam inuasuræ tempestate impediuntur, coguntur q́ Centumcellas se recipere. quo tempore cum Cataphractis equitibus suppetias ferrebat Columnius, & Comes Populi huic oppido, coegit Romam se recipere nonnullos equites leuiores, qui populabundi prædabantur agrum Marini. sub idem fere tempus Vespesianus cum magna Italorū manu ad expugnandam Palumbariam missus, quia oppidani noluissent parere castrorum Regiorum præfectis, qui eò accesserant ad loca castris designanda. eam breui cepit, & diripiendam millitibus concessit. Dum vbique ita certatur in Latio, copiæq́ uarijs molestijs utrinque afflictantur, Pontifex tantum bellorum diutius se solum sustinere non posse ratus, ad Henricum Regem Gallorum legationem clam mittit, qui & orando & obtestando Pontificis nomine ab ipso rege auxilium imploret, horteturq́ Romanis rebus iam prope labefactatis succurrrere. ille citatis equis quàm celerrime in Galliam conuolans, ad Regem perhumaniter admissus, ita locutus est; Si pro obscuro homine apud nouum Regem essem dicturus Serenissime Rex, mihi utendum esset longa sanè oratione ad id quod postulo impetrandum. Sed quoniam dico pro defensione religionis, pro principe Christiani nominis, pro Christi ipsius Vicario apud eum Regem, qui sapientia, & rerum gestarum gloria maxime inter principes excellat, & qui ob hanc ipsam defensionem Christianissimi titulum à maioribus acceperit, existimo opus esse tantum ut paucis demōstrem

Oratio legati Pont. ad Hēricū Gal. regē.

strem, honestatem petitionis meæ. Cum Philippus igitur Hispaniæ Rex arma Pontifici intulerit nulla iniuria, nullis inimicitijs, nullo conuitio aut maledicto cōmotus; sed sola dominandi cupiditate, atque ut oppida Pontificia ditionis Neapolitano regno adiungeret, an potest cuiquam pontificis querela nō iusta uideri? Nam profectò si iniquè bella inferuntur principibus aut liberis ciuitatibus ab exteris tyrannis, qui earū imperiū per uim extorquere conantur, illarū defensio necessario iustissima existimari debet; cum alterum horum crudelitate & auaritia, alterum lege & natura duce fieri soleat. Petit igitur à Maiestate tua Pontifex non ut fines suos dilates, non ut cæteris principibus ereptas per uim ciuitates sibi concedas, non ut potentius ecclesiæ imperium efficias; sed ut se circumuentum Hispanorum auaritia & crudelitate ne negligas, quod Reges antiqui liberalissimè Ecclesiæ largiti sunt, ne per libidinem dominandi ab Hispano hoste eripi patiare: cū semper id fuerit optimorum Gallorum Regum institutum, vt pro tuenda Romana ecclesia nullis neque sumptibus neq; laboribus, neque propriè quidem uitæ unquam pepercerint. Quòd siquis mihi inducias obiecerit, ego longe bellum esse anteferendum huiusmodi insidiosis inducijs contenderim, quæ multo magis quàm apertum bellum sunt periculosæ. quis enim nesciat quot fallaciarum, insidiarum, proditionumq; genera per istud ipsum induciarum tempus ab ipsis hostibus aduersus Maiestatem tuam fuerint excogitata? an non Rosetum & Montem Alcinoi in Italia induciarum tempore Hispani per proditionem tentarunt? an non neq; transacto quidem primo induciarum mense tentati sunt à ministris Philippi Regis Vascones nonnulli ut accepta pecunia Bruxellis Bordeum urbem munitissimam ad mare occiduum Galliæ positū ad os Igmani fluminis proderent? an nō Sabaudij reguli opera missi sunt qui oppidum sancti Quintini hoc ipso induciarū tempore explorarent ad expugnationem, & Peronam, & Dorlantium, & Mezzieras, & alia munitissima oppida in finibus galiæ, quorum exploratores cum ipsis formis descriptionibus que capti sunt, flumina tunc etiam ad uadum explorātes? an

non Lucemburgi gubernator per hoc ipsum induciarum tempus ueneno infici curauit puteos Marimburgi. quo ægrotantia præsidia sub induciarum finem inualida efficerētur ad defensionem? An non Diuodurum urbs opulentissima ab eodem gubernatore tentata est per proditionem hoc ipso induciarum tempore, monitis militibus ut empta caupona cauponarentur apud portam, atque clam milites domi occultarent, corruptis etiam nonnullis urbis custodibus? quid horū aut inficiari, aut honestum esse dici potest? opportunum adesse tempus ut hostem tam infidum palam inuadat. Securius esse bellum cum huiusmodi hominibus, quàm simulatas inducias ad componēdas fraudes. pollicetur Pontificem habiturum in castris viginti peditum millia, equites mille & quingentos, quibus futurū esset ut audacia Hispani regis & superbia infringatur. Henricus his rationibus pollicitationibusq́ motus, cum etiā sæpius per oratores conquestus esset frustra & per literas apud Philippum Regem Pōtificem ita bello vexari, decernit apertum bellum magis esse eligendum, quàm inducias fallaciarum plenas. itaque bellum indicit tanquam Regi Neapolitano pro urbe Neapoli in ius pristinum ciuitatis restituenda. mox adijcit animum ad conscribendas copias ut Romam ab Hispanis uiribus liberaret. eo tempore mirificè pecuniæ inopia laborabatur, neque tamen Pontifex nouis tributis Romanos onerare uolebat; quare rem huiusmodi commentus est. Bartholameus commeatus curator iubetur omne priuatorum frumentum conscribere, atque quantum uideretur capere, pro cuius precio vectigalium nonnullorum prouentus est assignatus. omnis è frumento diuendito pecunia collecta est in stipendia militum, & in cæteras res necessarias; quo etiam consilio mirifice consultum est inopiæ populi Romani, qui propter auaritiam & crudelitatem opulentiorum plurimum fame laborabant. Albanus Ostiam profectus nullo neque apparatu, neque commeatu munitam inueuit, neque bellicis tormentis, nisi paucis ad reprimendas subitarias Turcarum aut piratarum incursiones. Camillus Vrsinus Albani consilium præsentiens Carafam Cardinalem certiorem

Henricus Philippo bellum indicit

Stratagema militare ad pecunias comparādas.

Ostia munitur.

+

rem facit, præmissus est Horatius Sbirrus cum centum & uiginti lectissimis peditibus, qui arcem tueretur, & quoquo modo posset, communiret. ille statim euertit omnia ædificia arci vicina, fossis, aggeribus, ac rebus multis tum ad victum, tum etiam ad defensionem necessarijs instruit. Sic forti intrepidoq; animo hostem expectans gleba multa portam ciuitatis ac nonnullas domos, quibus rebus si non tueri, at hostem certè infestare posset. Est autem Ostia vrbs in Ostijs Tyberinis sita, in ipso maris fluminisq; confinio, ita ut ex altera parte mare, ex altera continentem attingat. ea quamuis nostra hac tempestate urbs est exigua ob multas bellorum calamitates, ac sæpius desolata, tamen antiquitus fuit summæ dignitatis tum ob amœnitatem regionis, tum etiam quòd eò omnis orbis opulentia, quæ Romam comportabatur, vehebatur primùm. Hanc verò Gotti prius Italiam inuadentes deuastarunt, postea ad exiguum oppidulum Pontificum incuria redacta est; cuius in medio turris quædam insignis conspicitur, quasi propugnaculum quoddam erectum aduersus piratarum latrocinia; ne piratæ ad mœnia vsque Romana per Tiberim nauigantes aut terrestribus incursionibus omnia direptionibus latium popularentur. Albanus cũ suis copijs urbem inuadit: defensores strenue pugnantes multos uulnerant è primarijs hostium. concurritur ad cõcremandam portam: at ita aggeribus offirmata reperitur, ut tormẽta attrahi necesse fuerit; ijs patefacta est, atque defensores coacti se in arcem recipere. eo oppido potitus Albanus Vespesianum locat in præsidijs, & ad muniendum se accingit; quo munito iubet pontem aduectum iaci supra fluuium non ualde procul ab insula illa, quæ inter duos Tyberis ramos intercepta est. nam illa insula habet longitudinem decem & octo ferè stadiorum, amplitudinem paulo plus octo stadijs. ibi magna pars tormentorum relinquitur, quæ à copijs Vespesiani Gonzagæ custodiebantur. Albanus insula potitus ibi cum Hispano peditatu & maiore equitatus parte consistit, munitionem ad ostium fluminis designat, ubi tormenta collocat nonnulla cum intelligeret arcem Ostiæ subitaria oppugnatione

Ostiæ descriptio.

Ostiã Albanus capit & munit.

Ostiæ arx diuerberat à Vesp. Gõzaga.

gnatione omnino capi non posse. Dirigit sex Cannones in murum qui ad fluuium prospectat, ubi duæ sunt durißimæ turres pro propugnaculis, multaq; aliæ defensiones. alia pars ad septentrionem conuersa præter alias duas turres habet fossas aqua marina plenas quamuis non ualde profundas, quã partem Albanus reliquit inconcussam. Romani eam oppugnationem ægre ferebant, quòd eò omnia sua animalia contraxerant, quia uerebantur ne incursionibus equitum diriperentur, omniaq; rusticana deuastarentur: quare Petrum Strozzam cum omni peditatu Vasconum, multisq; Italis cohortibus mittunt, ut super ripa fluuij castrametarentur ut Hispanorum traiectum impediret, is igitur castra posuit ad eum locum ubi portus magnificentißimus fuit à Nerone extructus, & postea sequentibus temporibus ab Adriano magnis sumptibus restauratus, & Portumni dei templo honorificentißimo exornatus. ibi pro insulæ longitudine reparationes excitat, & aggeres aduersus insulam, maioresq; sclopettos locat, tum quantum sufficeret copiarum illi loco defendendo relinquit, ipse excitato tumultuario ponte in insulam penetrat, excitat in ea munitionem ne hostis Hispanus fluuio potiatur, vnde arcem Ostiæ hostes egregiè concutiebant. sic igitur leuia certamina sæpius committi. Hispani ad mœnia usque Romana incursionibus excurrere, utrinque committi multa subitaria prælia. Henricus Pontificis defensionem rebus omnibus præferendam ratus uel multis ad pacem potius seruandam cohortantibus, iubet Ghisium Regulum cum magnis copijs uel per summa acerbißimaq; hyemis frigora Alpes superare, & in Italiam cũ exercitu euadere. Habebat in castris Ghisius sex Vasconum & Gallorum, octo Heluetiorum millia. equites cataphactos octingentos, galeatos leuiores mille & ducẽtos. eo rumore Albanus fit anceps, an se in Regnum Neapolitanum recipere præstaret, res necessarias suis opidis compararet, & finitimis locis Romanæ ditioni consuleret; an Ostiæ expugnationem fortiter tentaret, donec exploraret quæ forẽt, obseruaretq; hostium consilia. acrius igitur duobus in locis Ostia concutitur uno tempore, altero ut diximus è flumine, altero

Strozza. Ostiæ suppetias fert.

Henricus mittit Ghisium cum multis copiis ad Pont.

Ostiæ arx ageriùs cõcutitur.

tero è continente. Cum per septem dies assidue arx concussa fuisset, tantaq; esset defensorum constantia, ut locum strenuè tuerentur, neque vellent se dedere, decernit Albanus omni conatu expugnationem tentare, ad quam rem impellebat etiam pulueris tormentarij penuria, & ferreorum globorum. Iacta igitur est alea utri nationi primum inuadendi munus obueniret, atq; contigit sorte ijs Italis qui cum Gonzaga mili tarent. Albanus alam equitum in insulam transmittit, ne co natus à Pontificijs impediretur; atque aliam turmam iubet Duce Columnio Romam usque accurrere, ut cogerentur Romani ad arma tota urbe conclamare. Diuiditur Hispanus peditatus, alteri parti tormētorum, alteri data est poniis custo dia. Sic igitur ijs copijs confirmatis Iubet Italos Ostiam ado riri. Primus omnium Dominicus Maximus uir Romanus è nobilissima familia, & Franciscus Tolfa Duces strenui per ruinas murorum ingressi multis alijs ad turrim irruentibus quæ prospectabat ad meridiem accepto signo certamen ineūt sanè periculosum & cruentum: nam difficiles ruinas nacti, cum esse non possent, ut opportebat, expediti; prius ab oppidanis cædebantur, quàm se explicare possent ad pugnam. Tolfa in eo certamine uulnus in crure accepit: tum accedente Gon zaga certamen multò atrocius instauratur; in quo uulneratur & ipse Gonzaga glande plumbea in ore ac naribus. ita enim acriter se defendebant oppidani ut inuadentibus multa inferrentur cædes cum ex arce saxis, sclopettis, ignibusq; missilibus certaretur, & è turribus. Hispani ita his infestabantur, ut bis relicto negotio recederent, cum neque minis vllis, neque precibus, aut conuicijs & increpationibus possent duces eorum animos confirmare ad bellum restaurandum. ad extremū densus manipulus ad occupandam fossam inter ruinas murorum & ipsos ductā descendit, ut conarentur muros ascendere: sed & his, quod etiam superioribus accidit. Albanus suos reiectos, multos insignes Duces cæsos aut vulneratos intuitus, milites multos trucidatos, Aluarum Ducē costēsem, qui primus verberationē explorauerat, dixeratq; facile esse arce potiri, mittit cū trecentis Hispanis, multorumq; Italorū auxilijs

Cruētum certamen Ostiā obsidentium & obsessorum.

auxilijs atque propositum his erat omnino uel honorem occupandæ arcis consequi, vel fortiter cadere. continuò uerò occupãt quidquid erat spatij inter ipsos & arcem ruinas superantes & ad locum illi propinquũ apertum accedunt, quod asseribus, uasis vinarijs, & saxis constiparant. eò omnem conatum cum Itali tum Hispani conuertunt, inter fossamq́ ac murum detecti acerrimè à defensoribus offenduntur, quod etiam multò magis Hispanis tormentis fiebat, cum tormentorum magistri dilatare ingressum cupientes multos tum Hispanos tum etiam Italos in eo laniarent. ceciderunt complures Duces & signiferi in eo conatu & viri Illustres, inter quos & ipse Aluarus post paucos dies; qua iactura suorum cognita Albanus, quæ ex his conatibus capiebatur, duxit satius esse ut copias retraheret ab ea oppugnatione, quàm ut pateretur suos ita crudeliter laniari. iubet cani receptui, nõ inuiti milites recedũt. Sbirrus cũ puluis tormentarius defecisset, factiq́ iã essent sclopetti & tormẽta suorũ inutilia, multi oppidani vulnerati, eoq́ res deducta, ut si repeteretur conatus, non posset resistere, neq; tamẽ à Pontificijs auxilia expectaret, ratus est præstare honorificè se dedere, quàm turpiter cũ rerum omniũ iactura obstinatè & inutiliter certare. Quo tẽpore omni conatu repetere pugnam iusserat Albanus, atque si arce potirentur ad unum defensores trucidare, accersitur Ascanius ab oppidanis, agitur cum eo de deditione, atque die decimo post incæptam verberationem arx uenit in potestatem hostium; Ibi sexaginta Hispani locantur in præsidijs. Romani huius oppidi iactura mirificè sunt consternati. fiunt Induciæ per Sancti Iacobi & Sanctiflorium Cardinales in dies decem cum Albano ad tertium Cal. decembris, quo tempore Albanus munitionem inceptam in insula absoluit, atque ad colloquium in insula inter utrunque exercitum cum Carafa Card. conuenit; ubi post multa comiter dicta prorogantur induciæ in dies quadraginta his conditionibus; ut mercatoribus & omnibus cæteris liceret liberè inter se negotiari, utq́ pecora, resq́ alias liceret quas vellent adducere: quod effectum dicitur ut liberius & cõmodius cum Pontifice & Philippo Rege de pace agere

Arx Ostiæ se dedit.

Induciis pactis Albanus & Carafa Card. colloquũtur.

re liceret. Proponunt etiam inter se pacis conditiones, sed simulatè & dolosè uterque. Neque enim ullæ ferè induciæ nisi ad fraudem fieri solent; cum fiant uel ad proditiones commodius instruendas, uel ad expectandas copias, resumendasq́; vires, ut fortiores possint insurgere. quare non inutiliter illud memoriæ proditū est ab antiquis, Lysandri facinus, qui cum pactus esset inducias cum hostibus in 30. dies, noctu castra hostium inuasit; atque reprehensus quòd præter induciarum leges ac iusiurandum hostem inuasisset, respondit se dierum, at non etiam noctium inducias pactum fuisset. Carafa has pactus est in tot dies inducias, ut tantum spatij sibi concederetur impunè ad expectandas copias è Gallia, quibus posset repetere, quæ hostis Hispanus occupauerat. Albanus ut ex ijs difficultatibus sese in tutum honorificè reciperet, reficeret exercitum, afflictumq́; equitatū recrearet, cum fame, & omniū rerū necessariarū penuria vehemēter laboraretur in castris. bello ita dilato Carafa Romā, Albanus relicta nonnulla parte exercitus in munitione iam absoluta, Hispanis quadringentis scilicet & octo bellicis tormentis, alia parte exercitus dimissa Calendis decembribus Ananiam reuertit: ibi relicto Comite Populi cum omnibus copijs in loca finitima distributis in hyberna iubet muniri Neptuniam & Frusinū, atque Ananiam, ut loca ad usus bellicos in ea regione maxime opportuna. ipse cataphractos equites ad fines regni Neapolitani, multosq́; Hispanos deducens magnis itineribus Neapolim peruenit. inducijs ita per illud spatium temporis confirmatis Pontifex uno tempore ad bellum & ad pacem principes sollicitabat; quod ita fiebat, ut, si potentissimas fœderationes obtineret, bellum atrocius instauraretur: sin autem, quas vellet pacis conditiones consequeretur, pacem eligeret. idcirco Paceccum Cardinalem mittit ad Philippum Regem in Hispaniam cum ijs pacis conditionibus, quas cupiebat: at Carafam legatum ad sollicitandos Venetos, ut ea Resp. communi consilio cum Henrico Rege Reguloq́; Ferrariēsi ad inferenda arma pro Pontifice Philippo Hispaniarum Regi excitaretur. Sed cum omnes imperatores pro imperij utilitate

Carafa per induciarum tēpus principes sollicitat ad fœderationē.

 litate

litate omnes amicitias & fœderationes metiātur, cum nulla neque sancta neque firma sint inter principes amicitiæ iura, nisi quæ regnorum securitatem vtilitatemq́. contineant, nihil impetratum est. Nam Veneti re prudentissimè considerata non ita facile prohibito Pontificis sibi inimicitias cum Rege maximo, multis in locis finitimo imperio Veneto, à quo præcipuè nulla unquam affecti fuissent iniuria, potentissimo præcipue ob multas equitatus & peditatus copias, magnorumq́. principum coniunctiones, minime suscipiendas rati, humanissimis potius responsis, quàm ulla certa fœderis promissione Pontifici satisfacere conantur. Sic igitur Carafam honorificentissimè exceptum humaniter dimittunt excusatione utentes, quòd non possent capere arma eo tempore aduersus Philippum Regem, cum ad cætera Pontificis uota se paratissimos esse profiterentur. Carafa spe potius & humanitate onustus, quàm vllis Venetorum promissis Romam reuersus de his certiorem facit. Pontificem; qui desperatis Venetorum auxilijs ad Ferrariæ Regulum animum conuertit: erāt enim permultæ causæ quæ possent eum Regulum ad id bellum impellere, sed hæ duæ non minimū. Primùm ꝙ esset Pontificis tributarius, deinde ꝙ esset in Philippum Regem odio inflammatus, quia Regij ministri Aloysio eius filio persuadere conati essent ut in Hispaniam accederet, quòd esset impetratum à Cæsare ut sibi legitimum Mutinæ & Regij imperium, & alij honores concederentur. Illud autem agebatur per Sigismundum Regulum Estensem, & Carolum Sabaudiensem, qui legatione apud Philippum Regem fungebatur; quem omni honore priuauit, iussitq́. proditorem haberi in omni Ferrariensi ditione. Mittit Alphonsum primogenitum cum peditatu & equitatu ad occupandum oppidum Sancti Martini, & alia oppida Sigismundi, quæ tormentis concussa breui compulsa sunt ad deditionem. Postea ueritus ne Corregij Reguli, utpote qui fouerent Cæsarianam factionem, stipendiaq́. Hispana merebantur, aliquid detrimenti Ferrariensibus rebus afferrent, iubet filium ad illud oppidum castrametari, quod ubi per aliquot dies obsidionem pertulisset, ita res componitur,

Sigismundus Estensis pditor pronunciatur, & eius oppida expugnātur.

ponitur, ut Reguli uel obsides darent, vel fideiussores septuaginta magnorum sestertiorum, per quos adpromitteretur rem Ferrariensem minime ab ipsis infestatum iri, quibus pollicitationibus postea soluta est obsidio. ut res ita conueniret, duo missi sunt obsides Ferrariam, alter frater alter nepos Cardinalis Corregij, qui iureiurando affirmant se Ferraria inuito Duce nunquam exituros, quare etiam libertas est illi concessa, ut in ea urbe liberi esse possent. inde Guardistallum castra mouentur oppidum Fernandi Gonzagæ, quod obsidione cinctum tam acriter concussum est, ut breui esset per deditionem occupandum nisi occultis de causis castra mota fuissent, & copiæ Regium deductæ. Pontifex his rationibus cognitis tanto studio, tamq́ acribus stimulis hunc sollicitat, nunc precibus, nunc hortationibus, nunc minis, nunc pollicitationibus, ut necessariò denique ad fœdus ineundum sit compulsus. Supremum defertur eius fœderationis imperium Regulo Ferrariensi, quem Carafa Pontificio monitu Defensorem Sanctæ ecclesiæ nominat. Summa fuit hæc conditionum ut Pontifex haberet in castris vigintimillia peditum, equites mille, omnemq́ necessarium cōmeatum suppeditaret. Henricus Gallorum Rex totidem pedites, equitū duo millia. Ferrariensis sex millia peditum, equites cataphractos ducentos, quadringentos leuiores galeatos, tormenta muralia viginti. Sic conscribere cohortes, colligere equitatum, arma parare, tormenta instruere: quæ dum in Italia parantur Carafa contendit in Galliam vt promissæ copiæ celeriter mitterentur, iubetq́ legationem ad Heluetios missam tria millia peditum colligere. Ghisius mense Ianuario Iuliam Tauricā peruenit anno Salutis nostræ. 1557. omnesq́ copias ibi expectabat ut coniungerentur, quæ vel per acerbissimam hyemem magnis difficultatibus alpes fuerant prætergressæ: quæ cum in vnum conuenissent, insubria omnis ad earum nuntium turbata est magnopere, quia verebatur Castalius & Piscarius & Card. Tridentinus ne simulatione Pontificiæ defensionis iretur ad occupandam Insubriam, quare aggeres, fossæ, munitiones in ea parte Mediolani excitari,

Corrigij obsessi cōpositio cū Duce Ferrariæ.

Guastella oppidum obsidetur à Ferrariēn.

Conditiones fœderationis inter Pont. & Ferrar.

Ghisii aduentus Iuliam Tauricam.

Mediolanum munitur.

quæ nondum muro erat præcincta. curatum est ut copiæ in urbem contraherentur, portarum custodia singularum præstantioribus ciuibus committerentur, quibus id curæ datum ut eas munirent & nocte diuq́; custodirent, ut milites qui vicissim ad vigilias & custodiam admissi essent, sua munia diligenter exequerentur. Censa sunt præterea decem peditum millia & quingenti, partim sclopettarij, partim loricati cum sarissis. Posita sunt firmissima præsidia Cremonæ pariter, Ticini, Laudi, Astæ, Guardistalij. missa sunt & duo Rhetorum millia valentiam, quæ omnem Gallorum impetum eò prorumpentium sustinerent. Neque Dux Hetruriæ quidem omni prorsus metu erat vacuus cum Gallorum Regina putaret se ius habere in quandam partem eius imperij. Dux ille igitur multas copias conscribere, accersitis etiam quatuor Germanorum millibus Florentiam, Pisas, & alia oppida in finibus suis munienda curauit, quæ Bononiam uersus, Ferrariensemq́; agrum prospicerent, unde sibi non parum metuebat. sic tota erat Italia in armis, ut magna trepidatio undique in omnibus Italiæ partibus suboriretur. auxit etiam hunc timorem mortalium anni præteriti recordatio, quo uisa sunt & audita multa horrenda prodigia, quæ tantos bellorum motus, & quasi imminentem iram numinis in annum sequentem portendebant. Nam in partibus montanis Augustæ dicitur cælum apertum apparuisse, plurimamq́; uim ostendisse flammarum, ita ut plerique propè sint ob timorem exanimati. Byzantij maximus fuit Terræmotus, quo plurima ædificia corruerunt in ea parte, qua itur Andrinopolim: atque post triduum ibidem stella uisa est splendoris & magnitudinis inusitatæ prope Lunam, quæ ob sui luminis acumen uix conspici poterat. in agro Betzis, quod oppidulum est Germaniæ, post grandines & fulmina ingentia, uisæ sunt in cælo armatorum acies concurrentes, auditiq́; tubarum sonitus & tympanorum ut ad pugnam incitantium. Albanus Regulus, qui omnem Gallicum apparatum se vnum respicere certò sciebat, decreuerat Neapolim contra tantos tumultus esse defendendam, quare eò copias omnes, Ducesq́; contrahit firmata Capua

Ciuitates ditionis Mediolanen. præsidiis firmantur.

Dux Flor. copias colligit.

Prodigia, quæ apparuerunt.

pua & optimis firmißimisq; præsidijs, cum cætera loca relinquenda decreuisset. tamen accersitis Fernando Gonzaga, alijsq; insignibus proceribus, req; maturius considerata ac diligentius, uisum est Albano de tota re bellica non ita temerè iudicandum, sed rogandam cæterorum summorum ducum sententiam in tanta rerum magnitudine, atque consultandũ esse de omnibus reparationibus & apparatibus qui essent faciendi. Hic alij censebant, si Gallorum conatus fieret in agrum Samnitum, eam prouinciam illis esse relinquendam, eosq; excipiendos esse in Apulia, quod plurimum ad propositam rem referre videbatur. Alij censebant ut oppida, locaq; munita egregiè instruerentur. uniuersasq; reliquas copias Neapolim contrahendas: quòd hostis expugnandis illis diutius occupatus uires absumpsisset, atque vel ipsa diuturnitate temporis contereretur. Alij inter quos fuit Fernandus Gonzaga, nullo pacto tantum erroris committi oportere contendebant, ut Albanus timere hostium uires vel tantillum videretur; cum primi bellorum successus maximè animos extollant eorum, quibus prior belli fortuna felix aspirauerit; at eorum contrà non mediocriter infringant, quibus aduersa apparuerit, quippe cum uictricia arma victorum Principum populi, ut salutis cupidi facillime sequantur. ita enim futurum erat, ut, si Albanus timere visus esset, mox illi subiecta oppida & urbes commeatum, & pecuniam, & omnes bellicos apparatus hostibus suppeditarent. Hortabatur Gonzaga Samnitum fines egregiè munire & præsidijs ualidissimis, & bellicis tormentis, itaq; instruendas esse copias, ut ubicunque castrametaretur hostis se non tutò omnino posse consistere putaret; sed semper eum esse leuibus prælijs vexandum, semperq; in locis aptioribus oportere castrametari, neque vllam opportunitatem eius infestandi esse prætermittendam. istud autem fieri poterat breui, quia Albanus ut primum Gallorum aduentus nuntiatus fuit, pluribus Italis cohortibus conscriptis suas copias auxerat. miserat qui sex Germanorum millia per agrum Tergesti adducerent, Adriaticoq; mari traiecto per fluuium Matrinum in Regnum Neapolitanum

Albanus Guisii aduentum intelligens concilium summorũ ducum indicit.

politanum ingrederentur, mittit in Latium ad Comitem Populi Gasparem Fettzium cũ alijs duobus millibus veteranis. curauit ut quatuor veteranorum Germanorum millia à Cardina. Tridentino mitterentur duce Alberico Lodronio. sollicitauit ut Barcinone tria Hispanorum millia mitterentur, qui magnum auri pecuniarumq́ pondus secum veherent, cum etiam magnum equitatũ, tormentorumq́ numerum contraxisset: atque omnia Samnitum, latijq́ præsidia plurimũ auxit. Albanus ita instructus ne vlla trepidationis suspicio nasci posset relinquendis oppidis aut agro, qui plurimum poterat prodesse, ne liber transitus pateret hostibus si iter facerent per Samnites, id muneris iniungit ut curaret diligenter Garzias vt Arianum, Sanctagatha, & venusia munirentur. Sanctiflorius Capuæ, Vespesianus Nolæ muniendæ præficitur. Marchioni Triuici ea cura commissa est, ut munienda curaret Ciuitellam, Aternum, Pescolium, Theatam, quoniam classis Turcicæ metus imminebat, quæ Gallico nomine in ea masia Calabriæ ventura dicebatur. Amiternum uersus munita est ciuitas Ducalis, omnibusq́ reb. necessarijs egregiè instructa. Dum hæc parantur in Italia ad futurum bellum induciarum tempore, visum est Philippo Regi per fore accommodatum rebus rationibusq́ bellicis si is vno tempore Gallorum Regi bellum intulisset in ea parte Belgicæ regionis, quæ ad Morinos Ambianosve spectat; neque curaret Gallorum rationem, qui se in Italiam ad ecclesiæ Romanæ solùm defensionem descendere profitebantur, at non ut inducias abrumperent. ita enim vexari turbariq́ res Gallica posse videbatur, ut copias in Galliam reuocare cogeretur ille Rex, quas misisset in Italiam, tolleretur q́ omnis cõmoditas coniungendi castra cum Pontificio, Ferrariẽsiq́ exercitu: atq; sic omni metu & trepidatione liberarẽtur insubres. Atqui transactis iã inducijs inter Põtificios Albanũq́ institutis Antonius Tiraldus colligere cohortes in Piceno apud Asculũ. Romæ item milites conscribebantur, ita ut uideretur bellum è multis partibus in agrum Neapolitanum uno tempore irrupturum, neque poterat quisquam Pontificiorum consilia percipere Albani,

ni,cum ille contra per exploratores omnia quæ fierent ubique intelligeret ad unguem,quos apparatus fieri cum intelligeret Comes Populi mittit petitũ firmiora præsidia,quibus occupata oppida in latio tueri posset aduersus irruentes hostes; ad quem missa sunt septem uexilla Germanorum,qui ob difficultates intinerum terrestrium & maritimorum iam penè erant afflicti,& nõ satis instructi. Lapsis igitur inducijs Bonifacius Sermitentis Setiam, Arcẽ Siccam,Priuernum, Somninumq́; recuperat. Ghisius cum Brisacco coniunctis copijs Valentiam contendit,ubi simulantes se proposito precio commeatũ & trãsitum poscere eorum ciuium animos tentandos curarunt,quippe qui sciebant eos Pontificia, at non Regia stipendia mereri cum nihil horum obtinuissent ad uim uertuntur. Erant Valentiæ circiter duo millia peditum,alij itali,alij Rhæti,alij Hispani tribuno militum spoluerino; uiro planè auaro, & qui nihil aliud quàm opes quauis atre comparare curabat. is multum frumenti per occasionem expectandæ obsidionis extorserat,& in arcem Valentiæ congesserat. Est enim Valentia urbs frumẽti feracissima,ob ubertatem agri,cum planitiem habeat maximè fertilem,in loco edito sita ad ripam padi fluminis, non ualde munita, quòd situs loci non magnam uisus est admittere muniendi industriam; sed quæ tamen per aliquod tempus posset hostium impetum retardare. eò ubi Gallicæ copiæ aduentassent summa celeritate,cum procul adhuc abessent tormenta, simulat Brissacus se per uallem propinquam Ticinum urbem petere. tum paulo post Ghisius ubi castra posuisset,iubet accendi ignes nocturnos in castris ad lætitiæ significationem,rumoreq́; dissipat quòd Gallicis armis captum fuisset Ticinum. eà fama ad Pescoliensem delata non mediocriter animum eius turbat cum esset Valentiæ auxilia missurus: quare Ticinum cum omni equitatu celeriter aduolat. missus est interea Timpanista qui significaret Valentiæ præsidijs adesse tormenta,captum esse Ticinum,omnia grauissima à Gallis esse expectãda Ghisæ si uel primũ ictum tormẽtorũ expectassent. omnem spem salutis in celeritate deditionis oportere collocari. Spoluerinus præsidiorum præfectus partim simplicitate, partim timore ne per

Oppida in Latio occupata præsidiis firmantur.

Guisius Valentia p' deditione potitur.

Præsidia Valentiæ decimant.

per tyrannidem congeſtas diuitias per belli fortunam amitteret, milites hortatur ad deditionem, ſi vitam & facultates incolumes Galli reliquiſſent. non enim conuenire dicebat pro millitaribus inſignibus pugnare, cum iam ſeptima omnibus ſtipendia deberentur; ſed vitam conſeruare incolumen, quando nulla laborum merces eſſet propoſita. quibus cum milites nonnulli & Hiſpani præcipuè non aſſentirentur, quia viderentur fieri contra decus militare, pene fuit Sariſſa à ſuo ſignifero confoſſus. Sed tamen inſtantibus nonnullis facta eſt deditio ad duodecimum Cal. Februarij, quo tempore Gallorum Valentia & arx conceſſa eſt arbitrio, ſeruata ſalute & facultatibus præſidiorum ac ciuium, quam Pontificio nomine munire aggrediũtur. poſt huiuſmodi facinus Spoluerinus alijq; cõplures Ticinũ ad Peſcolienſem accedunt. ibi traduntur in uincula rei fiunt proditionis, quia munitiſſimam arcem nullo non modo ictu, ſed neque tormentorum dem præſentia expectata; nulla facta ruina murorum, nullo conatu, Gallis hoſtibus ſine puluere turpiter reliquiſſet. ſignifer qui Spoluerinum Sariſſa petiuerat accerſitus ad Peſcolienſem capto libertatis & liberè audiendæ cauſæ diplomate, rogatur num ſe tribunum ita petere iure auſum eſſe confirmare auderet, qui cum audacter reſpondiſſet. & denuo petiturum ſi eandem proponeret turpitudinem, viſus eſt dignus qui tribunatum militum Spoluerini obtineret. Sed quoniam non conſtabat qui annuiſſent deditioni, & qui repugnaſſent, propoſiti ſunt tali ſingulis decadibus, & cui pauciora pũcta fortuna oſtendiſſet decima quiſque extremo ſupplicio erat deſtinatus. ſic decumati milites ſuſpendio necantur in arce Ticini, at præſtantioribus capita ſunt abſciſſa; ad quem finem induxit Spoluerini timiditas & auaritia eius militaris dedecoris ſocios & participes. Tridentinus Card. quamuis eam vrbem ut induciarum tempore contra fœdus expugnatam à Ghiſio repoſceret, non obtinuit tamen, quòd diceret per eam abruptas fuiſſe inducias, quæ prior ſclopettis & bellicis tormentis acies Pontificias ea tranſeuntes innocuas impetiuiſſe. cum ita tranſitum ſibi per arma parauiſſet

Ghiſius,

Ghisius, mittit sciscitatum an essent absoluti Pontificij Ferrariensesq; apparatus ad constitutum negotium, qui se facile occupaturos Insubriam & Hetruriam sperabant. Interea exeunt per noctem Roma Alexandri Columnij, Cencijq; Capizucca cohortes ut Hispanos & equites nonnullos in hybernis Gallicani inuaderent: qui profecti illucescente die inuadunt repente, potiuntur loco, omnes captiuos faciunt: at ea victoria fuit non ualde diuturnæ lætitiæ, quia reuertentes Zagariolum ab inuadentibus in fugam & ipsi vertuntur, multiq; captiui Tybur ab hostibus sunt adducti. eodem tempore Palianius & Strozza cum quinque millibus Vasconum Italorumq; peditum, ac equitibus sexcentis ad expugnandã Ostiã contendũt, quia cõmeatus inde intercluderetur Romanis, quam breui occupant. ea potiti mox ad munitionem in insulam diuerberandam se conferunt, atque premendam obsidione. ibi quotidie leuibus certaminibus pugnabatur, atque cum Vascones ad reparationes usque transcurrerent, multi eorum tormentorum globis laniabantur. Strozza cognita defensorum virtute ac pertinacia vetat committi leuia prælia, animumq; adijcit ad solam obsidionem. accidit ijs diebus ut Tybris propter assiduos imbres ita excreuerit, vt alueus aquarũ defluentium copiã minime caperet, quare omnes fossæ munitionis aqua sunt repletæ, plateaq; ita obducta vt nemo ibi posset consistere. In ea tanta rerũ difficultate Frãciscus Vrtadus, Ortizus Veranus, Ioannes Vasqueus Abulensis rem ad consultationẽ deducentes censent multis de causis locum defendi non posse, quare milites esse ad deditionẽ cohortandos, quibus paulopost Vrtadus in hanc sentẽtiam locutus est; Si pro virtute fortitudineq; militũ, et pro Hispani nominis gloria decertare liceret, nemini dubium esset illos nũquam neque Gallorum neq; italorũ armis superatum iri: sed quoniã cæli inclementia, & loci ipsius in quo sunt natura aduersatur, neque patitur reparationes vel nouas fieri, uel veteres restaurari, cum aggeres huius munitionis, ut viderè licet ex arena constructi paulatim per se, nulla vel virtute vel industria hostium collabantur, obscurum est quid facien-

Alex. Columnius Roma exiens in fugam uertitur.

Palianius, & Strozza Ostiam occupant, & arcem obsident.

Vrtadi obsessi Oratio.

dum sit an uno tempore cum cœlo, cum fluminibus, cum natura terræ, cum iam iã futura penuria commeatus, cum magno hostium numero in loco aperto iam collapsis propè aggeribus pauci pugnare poterant existimandum profectò est non minoris esse prudentiæ cedere tempori opportunè, cum ita res cogit, quam Victoriæ occasionem & gloriæ adipiscendæ opportunitatem cognoscere: cum in illa re de gloria, de dignitate, de imperio agatur; at in hac de his omnibus & de facultatibus & vita ipsorum militum præterea. illis igitur obsessis & circunuentis non dubio exitio ab hostibus salubre consilium capiendum esse, neque expectandum ut ui superentur: quare cum sit munitio propè labefactata corrodentibus aquis, cum gleba arenosa & madefacta reficiendis reparationibus inutilis, cum in inferiore loco sint ubi facile tormentis hostium possint laniari, qui iam corbes terra oppletos ad ipsos propè aggeres erexerunt, cum nulla reliqua sit spes subsidiorum, decernendũ esset ut cedatur tempori fortunæq; hostium. sic æquissimas concessum iri abeundi conditiones, quas in tantis rerum difficultatibus nemo sanæ mentis, hodierna die repudiauerit. eas siquis amicissimè oblatas repudiauerit, futurũ esse ut ipsam munitionẽ suo sanguine cũ sanguine hostiũ misto inundet atque ut ob iniquitatem loci, & copiarum, tota munitione exercitus hostium dominetur. neque hoc quidem se dicere inquit quia non paratus sit quancunque noluerint reliqui fortunam belli subire, sed quia multo honorificentiorem existimet disciplinam militarem omni temeritate, per quam opus est in rebus omnibus cognoscere opportunitates. nunc esse omnium consilij quod sapiens, quod vtile, quod honorificum sit iudicium facere. tunc acclamauerunt milites vt Vrtadus pro suo iudicio res componeret.

Arcis Ostiæ dedédæ conditiones.

Sic igitur conueniunt præsidiorum Duces cum Pontificijs ut præter vitam & arma & tormenta cuncta Pontificiorum arbitrio relinquerentur, atque Hispani inde egressi his conditionibus Neptuniã vrbẽ, quod Antiũ fuit ab antiquis vocatũ Fortunæ tẽplo celeberrimũ, cõtendunt. Palianius Hieronymũ Freapanem & Franciscũ Villiũ cũ magna manu Italorũ

peditum

peditum mittit ad recuperanda oppida in finibus Velitrensibus, Tusculum scilicet, & Marinum, & Cryptamferratã, & castrum, & Gangulphum, ubi erat in præsidijs Ioannes Epiphanius cum septuaginta peditibus sine vllo vel annonæ vel rerum necessariarum apparatu. Epiphanius præter illa incommoda cum manipuli præfectus quidam cum ipso Manipulo per obscuram noctem ex ipsis mœnibus aufugisset post nonnullos tormentorum ictus atque conatus militum cõpulsus est ad deditionẽ. eo tempore Franciscus Columna & Cencius Capizucca mittuntur ad recuperandum Palesanum, quo facile potiti sunt, deinde Capizucca ad oppidum Sancti Angeli in edito monte situm recuperandum signa conuertit, quem locum tuebatur cum valida Italorum cohorte Baricellus Fabrianensis, quo etiam post multa leuia certamina, repetitosq́ conatus deniq; potitur, per illud tẽpus Comes Populi recuperando oppido Sãcti Pauli erat occupatus, in quo ad septuaginta Hispanos trucidatos fuisse memorant ab agrestibus incolis regionis, cui succrescebat in dies suspicio ne proderetur ab incolis eius urbis acceptis ab hoste cõditionib. Palianius de his certior factus cũ Strozza copias eò cõuertit ad eã expugnandã; Comes cognito hostiũ consilio, et propter urbis amplitudinẽ & quia diffideret animis ciuiũ ad res Põtificias potius aspirantiũ, statuit urbẽ illã, quã se non posse defendere existimabat relinquere, atque ad Vicum Valerium se referre, quò Feltzius cum Germanis copijs accesserat, eò profectus locum munit, duas Hispanorum cohortes locat, Amençam deinde & Arzolium proficiscitur hostium consilia ibi commodè obseruaturus, & laturus suppetias uico Valerio si opus esset. Pontificiæ copiæ ad uici Valerij mœnia interea castrametatæ urbem ad deditionem solicitant, recusantem obsidẽt. quo tẽpore Cantalupum & Rouinium & alia nõnulla oppida, multiq́; Vico Valeriani ab Hispanis deficiunt ad Pontificios, ut quos iam pertæsum esset Hispanæ importunitatis. At Comes Populi ob hostium potentiã intelligens se in loco non satis tuto castrametatũ esse ad Subiacum se recipit, unde Anagniæ & Frusino posset opem ferre. non enim audebat sine bellicis tormentis.

Tusculum Marinum, & Cryptã ferratam Pontificii recuperãt

Palesano potiuntur & oppido Sancti Angeli.

Comes populi Vrbẽ S. Pauli relinquit, & ad Vicũ Valerium se cõfert.

Vicus Vali urbs obsidetur a Põtificiis, & quatiẽ..

cum multo maiore hostiũ numero præcipue instructa acie de-certare aut æquo Marte, quare ibi stationem habere statuit ut in loco maximè opportuno. Strozza qui decreuerat omnino Vicum Valerium esse recuperandum, per quinque dies è quibusdam collibus muralibus tormentis concuti iubet, qui colles urbi imminebant: atque cum parietes domorũ essent pro mœnibus, multæ domus conquassatæ sunt & euersæ, quare difficilis uia salutis Hispanis ut in loco detecto, & paucis aduersus multos pugnaturis ostẽdebatur. Aperto igitur satis amplo murorum spatio primus conatus fuit Vasconum, qui nullo ordine per ruinas inuadentes uirtute ac strenuitate defensorum cæduntur; his postea succurrẽtibus Italis acriter utrinque diu pugnatur: sed tamen ad extremũ incredibili ac singulari fortitudo Hispanorum cum magna utrinque clade hos reijcit. inter huiusmodi pugnam accidit ut murale tormẽtum fortuna disploderetur, à quo multi Pontificij milites sunt laniati. Strozza percepto Comitis aduentu è captiuo quodam iubet cani receptui, restaurari uerberationem, copias in aciem instrui ad secundum conatum. tanto igitur tormentorum impetu domos concutit, ut multi Hispani uarijs in locis collabentium domorum ruinis fuerint oppreßi; quare Hispani cognita defensionis difficultate, mittunt qui agant de deditione, at Pontificiæ copiæ moræ impatientes, prædæq; cupidæ scalis repente allatis urbem undique inuadunt, & in ea præcipuè parte ubi stationem habebant Hispani, qui statim in oppidulum se recipiunt Pontificij partem portas infringunt ciuitatis, partim per ruinas murorum ingreßi obuios Hispanos trucidant, atque breui oppidulo etiam potiuntur. nam cum urbem repleuissent direptionibus & cædibus, Hispani qui sese in arcem receperant omni prorsus spe defensionis abiecta præter uitam cuncta arbitrio hostium concedentes sese dediderunt. Veneti interea bellicos apparatus undique insurgentes intuiti, rebus suis opportunè consulendum rati. Thomam Contarenum uirum magna autoritate ac prudẽtia creditũ ad recognoscendas muniẽdasq; urbes quas habẽt Cenomanorũ. mißi sunt duces qui mille & quingentos pedites conscriberent ad augenda præsidia. cõ-

Vicus Val. direptionibus datur.

Veneti urbes muniũt, milites conscribunt, & triremes construunt.

scripti

scripti sunt equites centum & quinquaginta Cataphracti ad supplementum sexcentorum quos Veneti alere solent; tot enim iam iniuria nonnullorum præfectorum ordinatio numero paulatim deerant. datum est & Sfortiæ Palauicino honorificum stipẽdium, qui fuit uniuersis peditibus dux Præfectus. & quoniam solent uiginti & sex triremes habere semper Veneti in sinu Adriatico ad Illyrica Ioniaq; littora tutanda, quia dicebatur ingens classis instrui Byzantij decretum est Senatusconsulto ut aliæ triremes quinquaginta instruerentur. Guisius cum Valentiæ plures iam dies moratus esset iam de omnibus rebus Romanis certior factus, apparatuq; Ferrariensi, antequam castra moueret suis proceribus concilium indicit, inter quos præstantissimi uiri fuerunt Brissaccus, Regulus Omaleus & Ludouicus Biragus, ac Vimercatus. proponitur in eo concilio consultandum quid agendum uideretur in Subalpina Gallia, in quo alij censebant aliud faciendũ; sed denique ita communi consensu decernitur ne Subalpinæ Galliæ præsidia debilitentur, ut Brisaccus Iuliam Tauricam reuertatur ac insubres pro opportunitate quæ sibi offerretur, infestaret: quod ipsum factum est à Birago ac cæteris ducibus. Ipse dimisso concilio ad summum ducem fœderationis Ferrariẽsem contendit, ut cum eo decerneretur quid consilij de præsentibus rebus esset capiendum. Sic igitur cum suis copijs in agrũ Placentinum uexillis explicatis iter habet. at quia exercitus esset prope Ticinum transiturus, Pescolius rebus bellicis cum summo imperio præfectus in insubria Guardistallum egregiè munit ne Galli transeuntes oppidum illud occuparent, deinde firmissimis præsidijs Casali maiori impositis ipse Ticini moratur: sed tamen paulopost cum omni equitatu ac peditatu in aperto castrametatur, ut commodius quid molirentur hostes obseruaret. Cardinalis Tridentinus ut magis etiam suspensos hostium animos teneret, collectitias copias cuiusuis ordinis Mediolani colligit, sed illi huiusmodi milites uix Binascum perueniunt cum multi aciem deserentes, ferentesq; grauiter vel prima rudimenta, primosq; labores militiæ domum refugiunt: ipse tamen

Guisius cõcilium Valentiæ indicit.

Guisiũ in agrum Placen. iter facientem Piscarius insectat.

men Cardinalis cum iјs qui reliqui fuerunt in castra procedit, transeuntem Guisium Piscarius vir rei bellicæ peritus ac dux uafer per uestigia subsequebatur, vt sicubi commodè posset hostem à tergo adoriretur, afficeretq́; aliqua insigni cæde. Sed Guisius ita stipata condensataq́; acie procedebat, ut minime offendi posset. Guisii copiјs in agrum Placentinum profectis ad Fidentiam Octauiј Reguli mandato fit magna commeatus copia, ubi Guisii iussu rerum omnium solutum est precium, atque diligenter edictum ne cui fieret iniuria. Est una profecto rerum disciplinæ militari maxime necessariarũ obedientia, quæ sola non modo si defuerit in castris, verum etiã si obdormierit, inutiles efficit omnes bellicos apparatus, omnemq́; rerum bene gerẽdarum opportunitatem sæpius subuertit. Sed in iјs quoque quæ spectant ad faciendam copiam facultatemq́; commeatuum non mediocris adhibenda est diligentia; quia vel si rumor exeat è castris aliquid impune direptum à militibus, facile qui per summum capitis periculum edulia comportant in castra deterrentur multaq́; penuria postea laborare in castris necesse est. Neque illud sanè negligendum, quòd vel leuissima de causa acerrimè puniendi sunt milites in rebus huiusmodi, cum per omnem impunitatem fiant insolentes & intolerabiles; ut qui non ad aliquam rectam disciplinam, aut rectam viuendi rationem, sed ad omnem omnis libidinis & audaciæ & temeritatis licentiam in castra ex imperio & obseruantia legum sibi confugisse videãtur. Nam certè quidem fæx & colluuies & sordes ciuitatum, tãquam uomitu eiecti ex urbibus maligni humores, intemperantes scilicet, perpetuoq́; exilio damnati homines facile spe prædandi, impunitateq́; occidendi misellam turbam subditorum exteris Regibus ad bella concurrunt. Guisius postero die ad burgum Sancti Donini castra mouet, ubi etiam perbenignè acceptus ab Octauio commeatus omnes necessarios inuenit, hinc Regium iter capit, põtemq́; Lentiæ prætergressus, qui fluuius Insubriam ab Aemylia prouincia disterminat formidabilis magis ob rapacitatem quàm ob assiduam copiam aquarum, ibi apud fluuium castrametatur. est enim

Milites nostri temporis.

ea

ea eligendorũ castrorũ consuetudo, ut è pluribus lateribus ue flumina uel lacus uel altißimas fossas ac lacunas habeant si fie ri poß. t: sin autem saltem ex aliqua parte, quoniã semper pedi tatus per noctẽ, si immineat hostium periculum, cingẽdus est fossis, ne poßit hostilis equitatus in plano & aperto loco repen te castra adoriri. Quòd si locus talis ab ipsa natura locãdis ca stris paratus fuerit, multo erit commodius quàm parare per multos operarũ castra sequentiũ labores. Ferrariẽsis dux ad uẽtu Gallorũ percepto cũ octingẽtis equitibus ac sex millibus peditũ Regio Lepidi obuiã procedit ad põtẽ Lẽziæ, cui & ipse Guisius cũ nobilioribus è suis fit obuius, exequo desiliẽs honoris gratia tanquam ad socerũ & ad summũ ducẽ fœderationis. Regio nomine insignia summi ducis eius expeditionis offert. ingens facta est salutatio militaris multis tormentis displosis, & ab omnibus sclopettarÿs. inde motis castris Regium procedunt uniuersæ copiæ, ubi erat Carafa nuper Bononia profectus. in diem posterum post salutationem indicuntur comitia omnibus ducibus. in quibus proponitur quo pacto summa belli esset transigenda. Variæ propositæ sunt sententiæ in ÿs Comi tÿs, siquidẽ alÿ censebant ut cõiunctis præsentibus copÿs Insubria inuaderetur, Cremona repentino aduẽtu tẽtaretur. ea uictoria parta Ticinũ expugnaretur, ad quod uidebatur plu rimũ iuuare Brissaccus qui agrũ Nouariẽsem hostiliter inua serat, & præsidia Valentiæ finitima quæq; hostilia populantia. Nam his tot tantisq; perturbationibus implicatus Pescolius uidebatur non posse tot in locis tantam belli magnitudinem su stinere, quare breui futurum ut omnes urbes Insubrum ueni rent in Gallorum potestatem. Alÿ difficilem hanc prouinciã & periculo plenam arbitrabantur, quia posset Albanus ma gnum equitatum & peditatum ex agro Neapolitano totaq; Hetruria colligere, dum Galli in harum urbium munitarum expugnationibus tardarentur, quibus copÿs posset uel in aper ta planitie resistere. Idcirco alÿ putabant utilius inuadẽdum esse agrum Florentinum, Senamq; in libertatem pristinam uẽ dicandam; quare disiungi uiderentur Neapolitanæ uires ab Insubribus. Carafa inuadendum agrum Neapolitanum cen-

sebat

Castrametandi ratio.

Ferrar. Dux Guisio aduenti Regio obuiã procedit.

Comitia ducibus Regii indicuntur.

sebat per agrū Picenum, cū ipse ex alia latij parte tantum regionis esset occupaturus in agro Latino, quātū collibuisset. Ferrariensis Dux summus relinquenda cætera omnia censet, hortatusq́; Guisium ad Pontificis defensionē, ipse cum suis copijs sibi manendum iudicat, quia non satis amicum Parmensem Regulum putabat ob res nuper cum Philippo Rege compositas cum etiam aduersus Hetruriæ uires esset instructus. Sic enim confirmauit Carafæ & Guisii animos qui plurimum eius Imperio ex ea parte timebant: quanquam Carafa censebat ut Dux ipse unà contenderet in Latium, quod nulla ratione Guisius assentiebatur, cum sæpe euenerit ut qui contenderent ad subiuganda ipsi absentes è suis urbibus ac focis in perpetuum exclusi fuerint. Post tot huiusmodi, tamq́; uarias de rebus propositis disputationes pro summo ac prope diuino ipsius Guisii ingenio atque iudicio ne res altercationibus distraheretur, quæ celeritate indigebat, ne interim hostes uires adaugerēt, sed quam maximæ disiungerentur ac distraherentur, decernitur ut Ferrariēses copiæ sua tueantur, Brisaccus ex ea parte insubres infestaret, Guisius cum Carafa erectis ad profectionem uexillis Bononiam contenderet: quo tempore Ferrariensis Dux relicta copiarum cura Alphonso filio Venetias se contulit. Queritur Philippi orator apud Venetos Regio nomine Ferrariæ ducem nulla iniuria accepta ab ipso Rege præter æquitatem sibi bellum inferre, hortaturq́; Venetos ad arma pro Philippo Rege, hoc est pro æquitatis iustitiæq́; defensione, capienda. Vehementer in Pontificem & Henricum Regem inuehitur, ut quorum alter abruptis inducijs simulatione Pontificiæ defensionis Italiam auarè inuasisset, alter, ut qui ereptis per iniuriam oppidis Romanis proceribus ditare per ruinam multorum suos affines conaretur, legitimos dominos suis oppidis iniquè priuaret, uitamq́; immeritis eriperet. esse munus Veneti Senatus, qui se iustissimum esse semper uel ab ipsis urbis initijs professus esset, non modo nemini inferre iniuriam, quod ipsum faciunt etiam nefarij homines metu pœnarum & legum, sed etiam uetare si fieri posset, ne cui fiat iniuria; quod unum est Regum & potentissimorum principum

Philippi oratoris oratio in Senatu Veneto.

munus

munus. eodē tempore Ferrarienſis dux profectus Venetias illas tam acres accuſationes diligentiſsimè diluit, tamq; honeſtas fœderationis cauſas attulit vt Veneti pro neutro arma ſuſcipienda, ſed inter duos ſummos Principes de pace agendum putarint. Dum Ferrariæ dux Venetijs moratur Corregij obſides contra pactiones omnes ac iuramentum Cardinalis Corregij monitu Ferraria diffugiunt: Hiſpana præſidia in vrbem Corregij admittuntur à Piſcario immiſſa: quæ res poſtea cauſa fuit vt bellum intra fines eius ducis gereretur. Hic nuntius magnopere animum Ducis perturbauit, qui de cæteris oppidis quoque vehementer ſollicitus ſub mediam noctem Venetijs diſcedit, quantaq; fieri poteſt celeritate Ferrariam reuerſus auxit Mutinæ, Carpi oppidi, cæterorumq; locorum præſidia. curat munitionem quandam faciendam apud Baſtiam ad claſſes reprimendas, ſi quæ per ipſum Padū mitterentur. Guiſius Bononiam profectus cum nullos bellicos apparatus à Pontificijs factos eſſe videret conqueritur, non ita promiſſum eſſe ait Regi ſuo in Gallia: at cum dicerentur eſſe decem hominum millia in agro Piceno, & in Aſculano præſertim, omniaq; parata eſſe ſicuti Regi promiſſum fuerat, placatur Guiſius, omnisq; eius animus conuertitur ad bellica conſilia. proponitur ibi conſultandum unde maximè regnum inuadere oporteat num ex agro Carſiolano, vel ſancti Germani, vel Ciuitellæ, atque decernitur denique ut traiecto Truento flumine per Ciuitellam procedatur, quòd ea uia uideretur ad commeatuum facultatem magis eſſe accommodata; ad quod accedebat quòd in ea parte oppida quoque non valde eſſent munita, quæ facile capta poterant & ipſa annonæ copiam ſuppeditare. Guiſius inde cum quingentis operis duodecimq; muralibus tormentis caſtra mouet, Imolamq; poſt Rauenam, & Fauentiam & Forulos & Cæſenam prætergreſſus Ariminium peruenit, ubi ſuas copias cenſuit. habebat in caſtris Guiſius quinq; Heluetiorū millia, quibus omnib. præerat cū imperio Marchio Buſſeus frater ipſius Guiſii, quatuor Rhætorū, ſeptē Gallorū & Vaſconum millia, nōnullos prouinciales, cataphractos equites quadringētos & quinqua-

Ferrar. Dux accuſationes Venetiis diluit.

Corrigii obſides Ferraria diffugiūt, & Hiſpanos recipiunt.

Guiſius Bononiam proficiſcitur.

Guiſii exercitus cenſus.

 ginta

ginta, leues galeatos mille ac quingentos & quinquaginta: multas præterea Italorũ ducũ copias. qui numerus ad uiginti duo millia ferè armatorũ accedebat. erat præfectus Gallici omnis peditatus Regulus Nemoursius, castrorũ magister Sipierius, Motteus Regulus & Tauanosus Marescialli totius exercitus, quod nomẽ apud Gallos copiarum præfectum significat. Guisius cẽsas ita suas copias Ariminij iubet Esum cõtẽdere, ipse ad Vrbinatẽ Ducẽ Pisaurum proficiscitur inde Romam aditurus, ab Vrbinate Regulo multa cũ hilaritate excipitur, atq; Romã mox discedens vbi de rebus omnibus cũ summo Põtifice communicasset ad suas copias Firmium reuertit. Brisaccus

Brisaccus in insubres Valẽ Feneram expugnat.

intera magno exercitu collecto tertio idus Aprilis signa infesta conuertit ad oppidum munitissimum inter villam nouam & Astam & Carmaniolam, quod Vallem Feneram vocat, in quo erant Hispana præsidia, illud diutius obsessum ac per diem & noctem assiduè tormentis concussum tandem ob annonæ inopiam ad deditionem compellitur quod solo æquatur. ea Victoria elatus Gallus ad quintum Nonas Maij castra

Clarascũ occupat, & munit.

mouet ad occupandum Clarascum, oppidum in loco edito situm commeatuq; abundans omnis generis, quo etiam potitus per eundem modum diligentius munit, & impositis firmioribus præsidijs ad vsus bellicos sibi reseruauit. Erat Albanus per id tempus muniendis oppidis in Samnitum Præcutinorumq; finibus occcupatus; atque eius rei causa Ascanium

Albanus in samnitis oppida curat munienda.

etiã ad ipsos fines miserat, cum ipse Neapoli præfectus peruenisset Sulmonem. tum Aternũ & Theatam curat munienda, Sanctiflorius Ciuitellam. Mittitur præterea Albanus Frãciscus Columnius cum septem Italorum vexillis duobusq; equitum ad recuperanda quædam oppida Paliano finitima, Cauum scilicet, Carpenium, Valmontonium, quæ statim relinquũtur ab Hispanis sese ad Monteforte recipientibus & Ananiam. Guisius in agrũ Esis profectus ibi aliquot dies cõmoratur, quo tẽpore Antonius Tiraldus Campilium contendens cũ

Guisius Campiliũ obsidet.

mille & quingentis peditibus Italis, quingentis Gallis lectissimis, equitibus centũ & quinqnaginta expeditis Cãpilium obsidione cingit, ciues sollicitat ad deditionem. illi cum sex die

rum

rum spatium ad responsum postulassent, Scalæ ad muros clam eriguntur, milites ex ea parte quæ castrum nouum prospectat domum quandam vicinam ingrediuntur. id cum animaduertissent oppidani tormenta quædam in eam domum displodunt, quare magna fit cædes inuadentium. ea suorum clade commotæ reliquæ copiæ undique per vim cum scalis inuadentes in oppidum irrūpunt, obuios ad vnum trucidant, omnia prædantur, præter tertiam oppidi partem quæ se acrius defendit cum totum id oppidum in partes tres esset diuisum. Illa pars quia captis conditionibus se dedit, minus malorum certè passa est. magna præda in hoc oppido vel potius vrbe facta fuisse dicitur, cum præterea optimorum vinorum & annonæ copia tanta reperta sit, vt totus Gallorum exercitus per aliquot dies sit recreatus. Tiraldus ita Campilio potitus Interamniam versus castra mouet, eam capit facile per deditionem, unde incursiones faciens per vallem siculam uocatam omnia loca ad Iuliam vsque nouam infestat. cum ciuitellæ præsidijs frequenter leuia, subitariaq́; prælia committit, quò Guisius cum omnibus copijs ad septimum Calendas Maij profectus acerbissima obsidione cingit. ibi frustra sollicitatis animis ciuium ad deditionem nulla re memoria digna facta moratur, dum tormenta muralia Ferraria & Ancone attraherentur, reliquiq́; portarentur apparatus ad diuerberationem necessarij: qui cum aduentassent à quatuor lateribus acerrimè locus concuti cœpit. Collocata est ciuitella supra collem quendam, cuius ædificia semitheatri formam quandam exterius præ se ferunt; habet alteram portam ad mare Adriaticum orientemq́; conuersam, alteram ad superiores montes, quæ conuersa est ad meridiē ferè. cingunt eam vndique asperrimæ rupes & præruptæ crepidines, cuius fundamenta sunt supra durissimum saxum extructa. Muros habet debiles, sed turrim quandam præualidam ad eam partem, quæ prospectat ad septentrionem. Sunt undique profundissimæ ualles, per quas amænissimo cursu defluit Viperata fluuius, ad cuius ripas semper ferè virentia prata floribus vestiuntur, habetq́; perdifficiles vndique

Campiliū a Tiraldo ui capit.

Ciuitella à Guisio obsidetur, & quatit.

Ciuitellæ descriptio.

Bbbb 2 *ascensus,*

ascensus, sed à montibus præcipuè. Distat non procul ab ea cænobium, ubi Guisius habuit hospitium, atque inde ad ciuitellā productis fossis aggeribus tectus aduersus tormenta oppidanorum conatur mœnibus propinquare. iubet per eas fossas oppidum explorari ad uerberationem, quod compertum est ex ea parte offirmatum, egregiè munitum, tam multisq; reparationibus instructum, ut Guisius sententiam mutare coactus sit. locat igitur in quodam colle quinque muralia tormēta, paulo inferius in alio colle quatuor, quibus satis amplum muris spatium, & propugnaculū quod minus firmum uisum est, cœpit concuti. ex alia parte in turriculam quandam sex tormenta erexit. at enim cum plurima facta esset vis imbrium terra ita mollita ut uix homines possent consistere in lubricis locis, corruit sua sponte quoddam spatium murorum, quod concussum fuerat cum parte propugnaculi, ubi quamuis magnus factus est hiatus, mira celeritate oppidanorum industria aggeres excitantur, locusq; munitur prævalidis reparationibus, cum ad opus omnes cuiusuis ætatis accessissent. Cum tamen non cessaret verberatio, à duobusq; lateribus satis ampla murorum spatia aperta Guisius esset intuitus, mittit exploratum verberationes, quæ visæ sunt ualde difficiles, cum non possent inuadi propter limum atque aquas cœlestes nisi per summam difficultatem. Guisius cum sibi turpe esse arbitraretur re infecta à suscepto negotio recedere, iubet testudines fieri è ualidissimis asseribus ad militum defensionē, rotasq; saccis lana plenis aduersus tormenta muniri vt ad mœnia subduci possent. comitabantur has duo sclopettariorum millia, quæ testudines impulsæ sunt, vbi apertiores erāt ruinæ. Interea ut facilior accessus testudinibus concederetur, atque in aliam partem oppidi vires defensorum distraheret, ne totæ eò confluentes difficiliorem oppugnationem efficerent, cogit in alia parte oppidi ad arma conclamari, & in eandem partem tormenta displodi; quare magna pars oppidanorum coacta est eò accurrere. Erant ad huiusce partis oppidi custodiam tria Italorum uexilla, qui propter frequentissimam glādium procellam saxorumq; copiam qui in hostes magna

gna ui deuoluebantur, tantam inuadentium stragem ediderunt hostium, tamq; acriter restiterunt, ut Galli necessario ab ea oppugnatione, & ab aperto periculo sint reuocati. contractis igitur suis copijs Guisius cum suos tantum milites omne bellorum periculum, omnesq; labores sustinere intelligeret, cũ res præcipuè ob difficultatem loci non succederet è uoto, magnopere queritur cum Antonio Carafa; quòd non possent fieri quæ statuisset, quoniam non adessent promissi apparatus. cum Antonius Paulo superbius elatioreq; animo quàm erat in huiusmodi opportunitatibus, difficultatibusq; rerum respõdisset, Guisius citatis equis ad Pontificem properat. Brisaccus post occupatum Clarascum ad Cunium castra posuerat urbem Reguli Sabaudiæ, quæ posita est inter Geauam in Eridanum influentem, & Sturam qui fluuius influit in Tanarum; (quãquam ob inopiam aquarum aliquando possent hi torrentes potius, quàm perennes fluuij iure optimo appellari.) ex altera parte finitimam Salassiæ ditioni, ex altera Montem Argenterium prospectantem, atque locatam in loco edito, & natura munito. in hanc urbem obsidione cinctam multa muralia tormenta dirigit Brisaccus, quibus neque per diem, neque per noctẽ urbem infestare cessabatur. defendebatur egregiè urbs ipsa ducis Meniconis opera & industria, cuius præsidijs inuadentes strenuè reiecti sunt sæpius non sine ingenti clade, cum tantundem ab urbanis reparationum fieret interius, quantumq; labefactasset per diem vis & impetus tormentorum; quare semper recentioresq; vrbani apparebant. Nam obstinatissimos & intrepidos nactus erat Brissaccus defensores, quia sibi proposuerant omnia potius vel quamdifficillima sibi esse perferenda, quàm venire in potestatem Gallorũ hostium, quare misti cum Meniconis militibus omnis ætatis & sexus urbani tanta vtebantur industria, vt uana facerent consilia Brisacci. Ille obsidione, cuniculis, prosternendis mœnibus ac propugnaculis ad urbis defensionem erectis decernit Cunium omnino expugnare, multas operas accersit, cuniculos excauat, quidquid potest abscindit è propugnaculis, omnia intima montis penetrat. Sed nulla in re parum diligentes

Brisaccus Cuniũ urbẽ Sabaud. Ducis obsidet, & acriter diuerberat.

ligentes

ligentes erant defensores, cum semper parata forent aduersus oppugnantes remedia; erantq́ ea in re tam prompti, tamq́ strenui ut Brissaccus post diuturnam uerberationem, sapiusq́ repetitos conatus, plurimis ac praestantioribus è suis desideratis deciderit de spe Cunij per vim potiundi. nouis igitur fossis ductis animum ad obsidionem conuertit; vt quos ferro, quos laboribus, quos virtute superari non posse intelligeret, eos fame, & annonae & rerum victui necessariarum penuria necaret. Erat enim tanta vel ipsarum foeminarum uirtus & industria ut armatae tanquam strenui viri ad propulsandos hostes inuadentes accurrerent, aut pugnantibus suis saxa, tela, ignes subministrarent, aggeres excitantibus opem ferrent, uictum ad restaurandos reficiendosq́ defessos ad ipsa moenia comportarent, maritos ac fratres & moenia defendentes confirmarent, ad defensionemq́ hortarentur; quare effectuum est ut non minus uirtute muliebri quàm virili Cunium à Gallicis armis protectum sit & conseruatum.

Cunii foeminarum uirtus memorabilis.

Piscarius Cunio fert suppetias.

Dum Brissaccus Gunium obsidet Piscariensis & Tridentinus Cardinalis statuunt obsessis opem ferre laborantibus: sed cum inferiores, quàm par erat, se numero esse intelligerent, omnino enitendum esse censebant ne ita suos afflictos desererent; ad quam rem maximè illud inuitare videbatur, ꝙ lectissimos quosque è suis Brisaccus amisisset, quare eius exercitus non mediocriter videbatur esse debilitatus. Est enim nõ tam in magno numero, quàm in virtute singulorum, vel classiũ, vel equitatus, vel peditatus uirtus & firmitudo collocãda & quod omnium maximum est Imperatoris ingenio: qui tamen uix potest suũ munus exequi diligenter, nisi intelligẽtes quae praecipiantur & duces & milites habuerit; quod nisi fiat, sanum propè caput est imperator languentium & afflictorum membrorũ. Illi igitur septem millibus peditũ, omniq́ equitatu Astam contracto cunium Versus iter capiunt per agrum Carmaniola inferiorẽ ob loci cuiusdam difficultatem, quam transire deuitabant. omnia apparatuum genera uel inuito Brisacco Cunium ingrediuntur, qui propter suarum copiarum exercitum non modo illud prohibere non potuit,

sed

sed etiam suis rebus optime consultum iri censuit si sese ab obsidione in locum tutiorem recepisset. Moratur aliquot dies cum ij Piscarius, curauitq; reficienda quæ armis Galloru corruerāt, quippe quòd exterius intuentibus Cunium multis in locis uideretur solo adæquatū. ea dū fiunt in subalpina Gallia, Guisijq; copiæ ciuitellā obsiderent, Albanus omnes apparatus diligenter curat, cū Antonio Auria Theetam accedit, tria Hispanorum millia eò contrahit magistro castrorum Sancio Mardonesio uiro Hispano, mille & octingētos Germanos Feltij ducis, quatuor millia peditum Aiberici Lodronij, ad sex millia Calabrorum, & Apulorum finitimarumq; regionum. erant enim in castris Albani ad quindecim millia peditum, equites mille & quingēti partim cataphracti partim leuiores galeati; cum quibus copijs omnes Pescoliæ fluminis statuit dirumpere eo consilio, ut, si Galli irrumpere uoluissent, transitus ijs esset interclusus. sed cum fuissent castrametati ad ciuitellam relictis firmis præsidijs Theetæ, Aterni, & in alijs oppidis opportunis ulterius procedit. Guisius à pontifice placatus in castra reuersus de his omnibus certior factus, quòd Albanus scilicet Vmanno flumini esset propinquus, & quòd iter faceret Iuliam nouam versus, arctius ciuitellam perstringit, crebrioribusq; ictibus ac frequentioribus conatibus infestat. quadringentos galeatos equites, Cataphractos centum & quinquaginta mittit exploratū Hispanos copias. Hoc Gallorum consilium non latuit Albanum, quare multas turbas equitum & aliquot uexilla Hispanorum mittit ducibus Tolletano & Comite Populæo qui ob diuersitatem itinerum minime fiunt obuij, cum Toletanus iter inferius ad maritima at Comes ad Tornidum fluuium, illi non ualde procul à Iulia noua se collocarunt in insidijs, in ea parte, quæ Turturetum spectat, quò cum Toletanus prior ad secundas ferè uigilias peruenisset à Gallis in eum irruentibus magna fit impressio. atrox prælium committitur, funduntur Toletani turmæ. captus Petrus Hentiques magister castrorum Hispani equitatus uiuus uenit in potestatem hostium. Georgius Lanoius cecidit in fossam equo deiectus, propiusq; periculo,

Albani exercitus, & cōsiliū.

Guisius Ciuitellā acrius infestat.

Prælium atrox inter Albani & Guisii copias.

lo fuit ne omnes Hispani trucidarentur, aut uenirent in potestatem Gallorum, nisi Comes Populi opem ferens coegisset hostem pedem referre. Corruerat iam ingens ciuitellæ murorum spatium, turrisq; ipsius arcis ingenti ui concutiebatur, quāuis multi globi irriti ac uani deciderent in ipsa Gallorum castra, qui in uallibus fuerant à tergo ipsius urbis castrametati. eo muro collapso censebat Guisius urbem omni conatu inuadi oportere, cum iuberet urbanos dies ac noctes infestari à sclopetarijs ad animos ciuium defatigandos. at contrà sanctiflorius uir acri seduloq; ingenio reparationes restaurare, ubi opus esset subuenire, trabes, saxa, uariaq; pondera ad ruinas locum portari iubere, quæ in acies inadentium deuoluerentur, si tamen urbem inuadere ausi essent: quare repressus est omnis Gallicus conatus ob difficultatem inuadendi, ob altitudinem asperitatemq; ascensus, & animus conuersus ad leuiora certamina, quæ sæpius committebantur. Hispani Iuliā nouam à Gallis desertam ingrediuntur, omnia diripiunt uel inuitis ducibus. ibi hospitium capit Albanus ne rursus Guisius ea potiatur. in Latio uerò pulsi deiectiq; Hispani ex omnibus locis diximus, ita Montem fortem firmis præsidijs munierant, ut iam Pontificias copias paruifacere uiderentur. eo tempore ciues Montis fortis significatum mittunt Velitri præfectis se uelle ad Pontificios desciscere, cum Albani crudelitatem & iniurias perferre non possent; hortantur ut ad se mitterent præsidia, quæ statim intra mœnia admisissent. Vicinus Vrsinus Velitri prefectus suam cohortē mittit Italorum, qui iter intrepidè facientes in insidias incidūt à Montis fortis ciuibus paratas, repentinoq; impetu inuadentium, partim trucidantur partim capiuntur, pauci se fuga seruarunt. Ea re grauissimè commotus Palianius quò in eiusmodi crudeles & nefarios homines acerbissime animaduerteret multas cohortes peditum ac magnum numerum equitum mittit ad eos obsidendos: qui cum se strenuè tuerentur, necesse fuit Roma tormenta attrahere. cum sollicititarentur ad deditionem, nisi malent omnes quā crudelissimè trucidari, urbemq; flammis absumi, ad petitiones minasq; huiusmodi oppedebant ludibrio

In latio Mōtis fortis ciuium facinus.

Palianius Mōtē fortem diuerberat.

habentes

habentes omnes vires, omnesq́; Pontificiorum conatus. attractis eò tormentis murus captus acerrimè concuti ac prosterni, ita ut Hispani territi sese ex altera parte per muros demittentes effugerint.

Mõtisfortis descriptio, & depredatio.

Est oppidum Monsfortis in loco edito situm ita, ut per omnes vias ascendatur donec ad arcem peruentum sit satis aptè munitam, quæ in summa parte eius collis extructa est. cum postridie illuxisset oppidani rati se animos Pontificiorũ ita posse placare, portas omnes aperiunt: at illi acceptarum iniuriarum memores, præteritaq́; perfidiæ, omnia diripiunt, trucidant, & tanquam in rebelles sæuiunt: atque neque discordia prædationis causa inter milites oriretur, datæ sunt singulis cohortibus schedulæ in quibus vicorum prædandorum nomina continerentur.

Vrbs Mõsfortis plus dimidio cõcremat.

Vrbe igitur ob suos errores direpta, non satis visa est dedisse pœnarum, nisi fortuna etiam suas partes sibi in eius vrbis supplicio vendicasset. Nam cum ventus grauissimus per illud tempus spiraret, ignis fortè accensus est in quadam domo, qui tantas vires assumpsit nulla vt vi humana prius potuerit extingui, quàm plus dimidio eius urbis funesto exitialiq́; incendio in cineres conuerterit. Arx Pontificia præterea ob inopiam summam annonæ in deditionem uenit, cum Valmõtonij Regulus Baptista Comes ad Pontificiam autoritatem rediisset. Signia ut Baptista Comes inde discessit è vestigio ab Albano desciuit ad Põtificios, qui his oppidis ita potiti signa conuertunt ad Neptuniam recuperandam,

Neptunia Pontificii potiuntur, eiectis Hispanis.

quod oppidum summopere ad rem bellicam conferre existimabant, nõ solum vt inde Hispani agrum infestantes diuellerentur, sed etiam ut Gallicis classibus commoditas in agrum Latinum præcluderetur. cum tormenta eò attrahi cepissent Hispani ob rerũ necessariarum difficultatem locum destituunt Caietam & Terracinam profugiẽtes.

Palianius & Strozza cum copiis se Guisio coniungunt.

Palianius ac Strozza his molestijs de medio sublatis decernunt in agrum Picenum cum maiore copiarum parte sibi adeundum esse, castra cum Guisio esse coniungenda, communibus viribus in agrum Neapolitanum faciendam esse impressionem: longis itaque itineribus Picenum uersus contendunt. Guisius decidens de spe potiundæ ci

uitellæ erat dubius quid sibi agendum esset, sed postea his accedentibus coniunctis castris auctusq; exercitu cum nouis subsidijs pergit obsidere. Quæ dum geruntur in agro Piceno. Tridentinus Cardinalis ut vir rei militaris, probabiliumq; rationum ignarus, & nimis facilis ad oblata queq; credenda, adducitur quibusdam insulsis ambagibus ut se Ferrariam per proditionem capturum speraret. Illud autem fit Fausti cuiusdam Longiani persuasionibus viri non modo omnis rei bellicæ, quam nunquam attigerat, sed etiam grammaticæ quam pueros docere semper professus fuerat, non satis periti. Huius pædagogi hortatu Cardinalis lintres, bellica tormenta multosq; alios apparatus instruit Ticini, quòd is diceret se velle per Tialtum oppidulum Ferrariam occupare. Sed eius ridicula temeritas nonnullos etiam parum cordatos duces in vitæ ipsius discrimen & iacturam minis simpliciter induxit, qui capti publicè Ferrariæ occisi sunt; cum omnē errorem militarem vitæ, facultatum, libertatis, honoris, aut rerum huiusmodi iactura consequatur, in qua disciplina errare neque semel licitum est. eius proditionis genus quia potius puerile & ridiculum fuit, quàm quod ullam utilitatem præ se ferat humanæ uitæ, silentio inuoluendum censui. Hispani auctis Guardistalli præsidijs missisq; Germanis nonnullis Corregium Ferrariensem ducem utpote Pontificis, & Gallorum amicum infestant. nam Aluarus Sandesius cum duobus millibus Hispanorum ac trecentis equitibus in oppida in finibus ditionis insubrum ingressus assidue Mutinam, Regium Lepidi, Carpi Castellum, & omnes fines corregio propinquo maximopere uexabat. Herculi Duci in tantis rerum suarum perturbationibus parum quietis concedebatur, cū præsertim Parmensis Regulus Dux summus Philippi Regis cum omnibus copijs accessisset, aduersus quem per multos dies bellum geritur, donec res denique componitur. Auctæ sunt albani copiæ Iuliæ nouæ, at Guisio nihil adaugebatur copiarū, quare is per literas Regi significat se minus potentem ad tantum negotium habere exercitum, sibi non esse datum quod erat in Gallia à Pontificijs promissum,

Ferrariam per proditionem attentates multātur.

Aluarus sandeus fines Mutinæ, Regij, & Carpi infestat.

Turri-

Turcicam classem cẽtum triremium quam impetrarat Codognachius Regulus Legatus Bizantij non esse uenturum, qua uires hostium ad tuenda maritima distraherentur. fuit eius turcici mutationis consilij causa Regulus Vigneus; qui cum successisset Codognachio non usus est ea comitate uerborum, et submissione, quæ apud eius generis homines est neccessaria, aliena auxilia presertim implorantibus. nam usus fuit uerbis quibusdam paulo elatioribus, quia classis nõ opportunè ac maturè missa fuisset, quæ res extorxit à Solimano responsum non modo non optatum, sed etiam superbiæ turcicæ & arrogantiæ plenum: cum diceret tam assiduos sumptus classicos, tantosq́; fuisse superioribus annis ut suis populis intolerabiles uiderẽtur; quare nunciaret suo Regi Turcam ad sua ipsius commoda classem instruxisse, alterum horũm eligeret Henricus, uel res cum Philippo componeret, quem se parum timere asserebat; uel suam seruaret amicitiam si uellet; quarum rerũ parui utranque dicit se facere, cum certò sciret se posse, si uellet, utrosq́; profligare. Respõsum Solimani legato Hẽrici. *Guisius cum Strozza, Palianio, alijsq́; ducibus insignioribus diu de rebus propositis consultant: alijs uisum est ciuitellam obstinatissimè obsidendam ne turpiter tãtus exercitus tandiu frustra apparatus & tempus uideretur in oppugnando oppidulo consumpsisse. alij non esse deterrendas uires in uno Castello occupando, sed castra mouenda, & per faciliores aditus in regnum irrumpendum ut eò uires Albani è latio diuerterentur. Alij rem altius considerantes cum tot copijs in uno loco tandiu futurum breui putarent ut commeatus deficeret, cum præsertim ita auctæ essent, augerenturq́; in dies Albani copiæ, ut iam viderentur formidabiles, proponunt eam obsidionem soluendam: turpiusq́; esse dicunt obstinatè exercitum ab inexpugnabili loco non remouere, quã difficile negotium suscepisse. Decernitur denique ne periculum fieret de summa rerum, dareturq́; Albano facultas denuo Pontificias urbes inuadendi, ut deseratur Ciuitella; vt copiæ contraherentur ad castella quæ sunt in finibus, ut omnes incursiones Hispanorum reprimerent, quæ fiebant in territorium Pontificium; neque permitterentur Hispani* Guisius Ciuitella ad fines Latii castra mouet instructa.

latium impune adoriri. Præmissis igitur tormentis sub meridiem cum firmissimis præsidijs ad oppidum Contraguerram, ubi classi imponerentur Anconem deuecta sunt, & sua Ferrariensi duci restituta, Gallica acies obsidionem soluit. Guisius vt suos tutos redderet aduersus inuasuros à tergo siqui forent, cum magna equitum turma consistit in insidijs post Cœnobium. atque dũ castra mouerentur, multi agrestes exeũt ex oppido postremam aciem inuasuri, qui omnes ab equitatu profligantur. Nec multò sanè post Sanctiflorius cum nonnullis equitibus egressus leue certamen cum extrema acie committit, qui & ipse ad triginta è suis amissis fuit in fugam versus. Dum in finibus Samnitum res ita geruntur, Fernandus à Philippo Rege in Belgas accersitur, cuius opera in bello aduersus Gallum susceptum uteretur. ille longis itineribus in Belgas profectus Regis aduentum præstolatur, accesserant Neapolim iam ducis Hansualteris sex millia peditum Germanorum, quorum aliam partem Albanus apud se tenuit, aliam misit ad Columnium in agrum Latinum, ut uires suorum reficeret, quæ penè fuerant collapsæ. Columnius his copijs auctus ad Praticam oppidum Federici Comitis castra posuit non longe distans à Frusino, quod non expectatis bellicis tormentis vulneratis tamen nonnullis è Columnijs militibus venit ad deditionem. Columnius eo oppido præsidijs munito tormenta Ananiam per fluuium demittit ad illam urbem defluentem; vnde cæteris omnibus urbibus atque oppidis magna coorta est trepidatio. Iulius Vrsinus Pilium inuadit, Sed ab oppidanis reiectus, decernit omnino illud oppidũ expugnare; cum vt acceptum detrimentum vlcisceretur, tum vt occuparet locum plurimum ad res bellicas accommodatum inter Alatrium, Verulum, et Babucum in angusta ualle situm, quæ hinc altissimo monte terminatur, inde collis est quidam ad ipsum oppidum concutiendam plurimum conferens. Præerat Pilij præsidijs Carolus Cuccarus, cum Italorum cohorte & nonnullis Columnijs ad eius oppidi defensionem iussis, qui sese egregiè communiuerant. Eò profectus Vrsinus, situq́; diligenter explorato, cum existimaret non posse

Fern. Gonzaga in Belgas proficiscit.

Albanus copiis auctus Colũnium mittit ad Ananiam obsiden.

Iul. Vrsinus Piliũ acerrime concutit.

defendi Pilium ab oppidanis nullum habentibus equitatum, atque nec peditatum quidem ipsum satis aptum, cum essent montani homines plerique rei militaris prorsus ignari, iubet oppidum inuadi; sed strenuè se defendentibus oppidanis multos è suis in eo primo conatu desiderauit. cognitis ita inesse etiam militaribus præsidijs iubet tormenta ex illo colle in Pilium dirigi, in editioribus locis per noctem multos collocat sclopettarios ut adimeret defensiones oppidanis, quorum animos diu frustra ad deditionem sollicitauerat. Acerrimè igitur oppidum sex muralia tormenta concutiunt. Columnius tantæ rei magnitudinem minime negligendam ratus, quia cognosceret futurum vt huiusce loci iactura esset quoddam obsidionis genus suis copijs: cum opportunitatem non aspernandam præberet finitimis omnibus ut in potestatem hostium uenirent, continuò suis copijs in aciem instructis iter indicit, properatq; ad turbanda Vrsini consilia. Vrsinus auditis subsidijs, quæ aduentarent & quod Marcus Antonius vnà adesset, intermisit oppidi verberationem, atque cum situm exploratũ præmisisset Columnius de more castrorũ ad Acutum castra locat: ostentarunt se die postera in summa parte mõtium armati Columniorum subditi, quo periculo cognito Vrsinus ne suorum animi consternarentur, & ne vllum timoris indicium præberet, quanquam à tribus lateribus clauderetur, tamen verberationem non relinquit. ea postea relicta tormenta iubet attrahi per collem, quæ tuto Palianum & Palesanũ perducit. Postea acie mille peditum stipatus miro quodam ordine tergum trecentorum sclopettariorum constituens, quibus præerat Cencius Capizucca, omnẽ hostiũ impetũ facillime sustinuit, neminéq; è suis desideratis sese in tutum recipit. Est autẽ summi ducis id existimãdũ, ut firmo quodã ordine possit se recipere indemnis ab insequentibus hostibus, cũ istud maximè si periculosum, & præcipuè si à pluribus lateribus hostes aciem infestent. maximus est autem in his rebus sclopettariorum vsus, qui semper promptiores & expeditiores in extrema acie à tergo sunt collocandi vbi hostes à tergo insectantur. et si equitatus sit qui insequitur, expeditiores galeati cũ

Colũnius Pilio fert suppetias.

Vrsinus tormenta & suos in tuto recipit.

auxilio sclopettariorũ praecedentes copias tutantes subsequi debẽt,& aliquãdo paulispes in locis tutioribus cõsistere dũ uel flumina uadãtur à primis, vel transeãtur angustiæ locorũ,ac à primis copijs difficultates omnino superentur. Piscarius in subalpinis cunio ita munito, vt diximus, ut Brisacci vires facile contẽneret, erat Fossanũ & Astã versus iter facturus, sed obuius factus Brisacci copijs coactus est leue certamen tam diuturnum committere, ut ferè iustæ pugnæ nomen posset obtinere. certatur acriter utrinque. atque quamuis Piscarius habebat quinque millia peditum solùm, equites quingentos; Brisaccus ad quindecim millia peditum, equites mille & quingentos, tamen tam callidè sustinuit impetum Gallorum ut se Fossanum paucis amissis receperit; atque inde per loca montosa finitima iter faciẽs insidias Gallorũ sibi in itinere paratas deuitarit, nulloq; è suis amisso Astam peruenerit, ibi moratus ad Regulum Neomagium, & ad Anuillam summum du cem Gallicè equitatus mittit qui nuntiaret Piscarium oblatũ certamen non recusare. nam superioribus diebus inuitatus ab ijs fuerat cum forte ægrotaret, ad quatuor lanceas infringẽdas. cũ postea uenisset dies ad illud certamen statutus Piscarius cum ornatissimo & uestium & armorum apparatu comitantibus uiris illustribus Georgio Manrique & Cæsare Milorto præsto fuit in loco ad illud certamen destinato non procul ab Asta. Affuit & Regulus Neomagius & Anuilla & Vasenius & equis & armis non minus decorè instructi. cum quater Piscarius & Regulus repetissent cursum, ita brachiũ Reguli uulneratur lancea ut cedere coactus sit. Georgius Vassenium in latus percutiens lanceam per costas ita transegit, ut mortuum deiecerit. Milortus bis repetito cursu Anuillam in femur uulnerat ita ut uictoria penes Piscarium iudicata fuerit, quamuis eius equus fuerit uulneratus. sequentibus etiam diebus alij equites cum illustribus Gallis singulari certamine sæpius dimicarunt, atque uictoria modo huc, modo illuc uariata uice declinauit. Piscarius illa uictoria insignis Mediolanum reuertit, ubi agi captum est de bello Ferrariensi duci inferendo, qui filium miserat cum omnibus & copijs & tor-

Certamen atrox in subalpinis inter Piscarii & Brisacci copias.

Certamen singulare inter Piscariũ,& Neomagium.

Mediolani bellũ Ferrariense paratur.

tormentis bellicis ad expugnandum Corregium, ut se illa molestia liberaret, cum Germani & Itali qui erant in præsidijs Philippi nomine quotidie incursiones facerent, Regiumq́; Lepidi & Carpi oppidum maxime uexarent, cogerentq́; sæpe conclamare ad arma uel ipsorum locorum præsidia. Alphonsus cum non posset tam cito quàm cuperet post multos sæpe repetitos conatus Corregio potiri, intercedente Cardinale Mantuano præcipuè, qui cupiebat res eas componere inter Corregij regulos & Ducem Ferrariæ, obsidionem soluit, atque omnes copias in sua oppida contraxit. Hortabatur etiam ad hoc faciendum præsentium rerum opportunitas, ut se ad futurum bellũ compararet, quod sibi parari Mediolani à ministris Philippi Regis præsenserat; cujus belli summum Imperium ad Parmensem Regulum delatum fuerat, qui cum Hispanis copijs Ferrariensem agrum inuaserat, multaq́; Castella occupauerat. Misit idcirco Alphõsus ad Guisium qui septem Vasconũ uexilla impetrarent, quibus sustineret impetus hostium: ipse collegit multos alios milites, atque ita urbes & Castella finitima firmißimis præsidys muniuit. Philippus Rex accepta insigni iniuria, ut sibi uidebatur, à Pontifice & ab Henrico Rege iubet edictum promulgari in omnibus suis urbibus tam Hispanis quàm Italis ut omnes Hispano Imperio subditi Roma discedant intra trium mensium spatiũ, quod edictũ negligẽtibus bonorum omnium proscriptionem & perpetuum exiliũ comminatur. cum plures Roma quotidie exirent, Pontifex aptum remedium futuræ urbis solitudini excogitauit; iubet contra edictũ promulgari propositis ijsdem pœnis ut omnes Cardinales, omnesq́; nobiliores antistites intro duos menses Romæ præsto essent ad pondera ecclesiæ sustinẽda. per id tẽpus Colũnius auctis uiribus in Latio accessione septem uexillorum Germanorũ duorumq́; Italorum, & equitum centum ac quinquaginta cum sex bellicis tormentis exit in apertum, Gauinianum capit & Turrim loca Paliano finitima. Mattheus Stendardus ex altera parte Roma egreditur cum equitatu, & maiore parte peditatus Palesanumq́; contendit, præmittit Leonardum Rueriũ cum centum equitibus, peditibus centum & quin-

Obsidio Corregij soluitur.

Edictum Philippi regis.

Edictum Pontificium.

Colũnius loca Paliano finitima capit.

quinquaginta ad impediendum Columnium quominus ad Pontem Saccium castra poneret, quem transitum ipse occupare & munire decreuerat. ea re percepta Columnius mittit Pompeium Columnium cum ala equitum magnaq́ peditum manu, à quibus obuijs atrox prælium committitur. pugna diu fit anceps, in qua Leonardus grauiter vulneratur, cuius Vicarius venit in potestatem hostium. Pontificij duce ac Vicario ita priuati nõnullis desideratis in eo prælio fugantur denique, atque Palesanum accurrunt. cecidit è Colũnijs Antonius Capuanus, & milites nonnulli, alij multi vulnerati. Post huiusmodi successum Stendardus ad Valmontonium castrametatur. quò sua signa Columnius conuerterat, ubi relictis Angelo Spoletino, Papyriò Capizucca præfectis cohortium at duce summo ibi Francisco Columnio ipse Palesanum reuertit. Marcus Antonius Columnius etsi iam tardius eò aduentasset, transacta iam maiore diei parte; tamen tormenta in Valmontonium dirigit, quæ tanto fragore obuia queq́ prosternunt, ut oppidani de defensione desperantes, deq́ propria salute non mediocriter solliciti cœperint cogitare de deditione. Sic igitur ea conditione se dedunt, ut milites cum gladijs & sarcinulis exirent. at oppidum flammis absumitur ab oppidanis Montis fortis, in vltionem acceptarum iniuriarum, totumq́ ferrè in cineres conuertitur. Columnius inde ad Palesanum castrametatur, vbi Stendardus præsidia Valmontonio egressa in arce reliquerat. Illa vel visis è longinquo hostibus omnia continuo deserunt: at Germani Palesanum ingressi omnia prædationibus & rapinis implent. hinc itur ad obsidendum Palianum, ne eius vrbis ciues vel frumentum meterent, uel in urbem importarent, qua ratione se posse Paliano facile potiri Columnius arbitrabatur. Ad illud etiam sperandũ impellebant militũ animi, qui inopia stipẽdiorũ seditionũ undis nõnihil fluctuabant. Iubentur ferre suppetias Paliano tria Heluetiorum millia, qui nuper Romam cum magna pompa fuerant ingressi duce Episcopo Terracinensi, & in quos multis humanitatis officijs Pontifex vsus fuerat. Audito horum aduentu Columnius auxilia petit ab Al

Atrox prælium inter Colũnios & Stendardios.

Valmõtiũ à Columnij concrematur.

Palesanũ diripitur à Germanis Colũnij.

Colũnius Palianum obsidet.

ba no

bano, ad quem missa sunt octo Germanorum vexilla, duo cataphractorum equitum, ac mille Hispani, quæ copiæ dum accederent paulisper ab obsidione Paliani recessit; se in tutiorẽ locum recipit, vnde hostes infestare posset. Iulius Vrsinus veritus ne Palianum ob annonæ inopiam in potestatem hostium veniret, omni studio opem ferre obsessis adproperat, quare cum Heluetijs & plaustris commeatu onustis & cum multo equitatu Palianum contendit. at cognitis per exploratores subsidijs quæ nuper Columnio accesserant, subsistit in loco edito, qui positus est inter Segniam & Palianum veritus non posse cõmeatũ importari; maiorẽ itaq; partẽ cõmeatus cũ impedimentis Romam remittit, tormenta Segniam attrahi iubet. Sic igitur expeditus quo pacto opem ferat secum considerat. Columnius Feltzium ducem cum suis Germanis ac tormentis præmittit, quæ vbi per difficilia asperaq; loca tracta fuissent, super colle quodam vallibus vndique præcincto sistuntur, ubi valles erant loco militarium ac solitarum reparationum. in altero colle non longe ab eo constiterant quadringenti sclopettarij Hispani, qui iussi fuerant Heluetios ad leuia certamina prouocare. Dum accederet Columnius, Iulius Vrsinus vbi constitissent hostes locum recognoscit, quingentos sclopettarios Italos mittit ad ualles nonnullas occupãdas: ipse aduersus Feltzium consistit cum non magno numero equitum interiecta valle quadam perexigua. Itali frequenter Hispanos impetebant sclopettorum glandibus, qui cum ita defatigari Pontificios vellent frustra impetentes, vel quia non videretur apta pugnandi opportunitas, immoti consistunt. Feltzius valles illas occupatas ab hostibus plurimum detrimenti afferre Hispanis ratus mittit sclopettarios septingentos ad illas recuperandas, quare commisso prælio cũ Italis atrocissime pugnatur. Post magnam vtrinque cladem illis potitur, atque accedentibus multis ducibus & equitibus subitarium prælium committitur cum Heluetijs, à quibus multis Sarissis in fossam hostes retruduntur. Columnius eò profectus cognita natura locorum, in quibus hæc certamina committebantur, intelligit omnem suorum difficultatem

Iul. Vrsinus cum Heluetiis Paliano fert suppetias.

Feltzium Colũnius præmittit

Atrox prælium inter Colũnios & Pont. copias.

è fossa quadam per planitiem transuersè ducta redundare, quæ maximè vtilis erat copijs Pontificijs; quare statuit aciem ac formam esse mutandam, & nouitate ordinis locorumq; mutatione hostem superare. copias in tres acies diuidit, duæ validissimam frontem faciunt; Hispani aduersus Italos Pontificios, Germani aduersus Heluetios in acie instruuntur. tertia acies Germanorum relinquitur ad tormentorum custodiam. equitatus Columnij aduersus Pontificium instruitur, in quem directa sunt tormenta. Sic Vrsinus Heluetios Germanis opponit, Italos Hispanis, tertiam aciem ad subsidia laborantium destinat. tum paulo post milites utrinque accepto signo pugnæ hostem inuadunt, primo impetu Itali faciunt impressionem in Hispanos, qui nisi adiuti fuissent protectiq; ab equitatu, fuissent statim profligati. confirmati ita Hispani prælium instaurant, cum equitatum Pontificium præcipuè fundi viderent, qui tormentis à fronte & transuersè laniabatur. Itali se paulatim subducunt, quibus iam puluis sulphureus deficiebat, coactiq; sunt denique fuga se seruare. Heluetij colli propinqui Cœperant collatis signis dimicare cũ Germanis sclopettarijs ualles custodiẽtibus, atq; acerrimè pugnabatur, quo in prælio omnes Feltzij cecidissent, nisi alij Germani opem tulissent, Victoriaq; fuisset penes Pontificios. At uerò cum propter angustias locorum equitatus esset inutilis, vel quia non videretur eo tempore in apertam iacturam immittendus, Vrsinus illum Segniam mittit, quo discessu non parua iniecta est Pontificijs copijs trepidatio. Hinc Columniæ copiæ globatim in eos impetum facientes in fugam vertunt. magna fit cædes, multi trucidantur, viui capti quadringenti. Vrsinus & precibus & minis & omni industria militum animos ad pugnam reuocare frustra conatus, cum intelligeret non posse se tantis fortunæ mutationibus resistere, Segniam se recepturus glande vulneratus, viusq; venit in potestatem Columnij. Pontificijs fugatis Columnij potiuntur vexillis, quæ erepta sunt Heluetijs præcipuè. accidit ea clades vitio ducum facillima, quia sine tormentis in apertum exierant, quamuis essent eum situm adepti, ut non minus

Vrsinus captiuus fit.

nus hostes offendere potuissent, atque ipsi & equitatus offendebantur, cum tormenta Segniam fuissent attracta. dum pugnaretur egressi Paliani ciues nonnullas Germanorum cohortes inuadunt, qui ad Victoriæ nomen prædabundi palabantur, hisq; omnis generis prædam & armenta eripiunt. Columnius ea uictoria elatus Palianum denuo obsidet, messes deuastat, Feltzium cũ tribus tormentis mittit ad expugnandum oppidulum Maximi natura loci munitum, ac positum in uertice cuiusdam montis, in quo erat Ioannes Vrsinus oppiduli Regulus, isq; ad deditionem sollicitatur. Ioannes cognita natura loci, qui neque tormentis vlla ex parte concuti poterat, neque cuniculis tentari: quòd oppidum esset super saxo firmissimo extructum, ait se velle pro viribus oppidum defendere. Feltzius ratus nulla virtute militari, nulloq; conatu oppidum posse capi, ad fraudes animum conuertit, cum viros natura callidos rerum præsentium opportunitates mirificè faciant ingeniosos. Simulat se tormentorum rotas aduerticem præaltimontis attraxisse, qui non procul distabat, vnde oppidulum commodè concuti posset, trabem excauatam inter rotas in morem tormentorum locat, quæ trabes concinne in tormentorum formam adductæ, uerè tormenta esse procul aspicientibus apparebant. tum corbibus utrinque inter tormenta gleba repletis, alijs reparationibus simulatis, addito etiam clamore vt magna cum difficultate tormenta attrahentium, fecit vt res simulata pro vera credita sit. nam oppidani visis globis ferreis, & pulueris tormentarij cadis, qui palustris cum magnis clamoribus ac difficultatibus videbantur comportari territi persuadent Regulo belli omnino imperito ut se dedat, neque in tanta pericula & ipse & omnes oppidani uno tempore incurrant. Feltzius simulat se nolle fieri deditionem nisi arbitrio victoris, multisq; insidijs & regulum imperitum, & territos oppidanos circumuenit. cum speraret Ioannes Vrsinus se meliores conditiones à Columnio impetraturum, rursus ad Feltzium remittitur, atque coactus est denique ita se dedere vt cuncta concederet arbitrio victoris, qui totum oppidum direptionibus prædationibus

Colũnius uictor Palianũ obsidet.

Feltzii stratagema, quo oppidulum Maximi capit & diripit.

tionibus & rapinis repleri permittit. Deinde coniunctis castris Feltzius & Columnius ad obsidendam Segniam contendunt. Ea dum ita geruntur in agro Latino, Guisius in Nereti Caropolisq́; planitie castrametatus fuerat, Albanus ad Turturetum, ut esset Gallo propinquus. Guisius ueritus ne ab Hispanis fraudibus circumueniretur, Albano potestatem facit, si velit collatis signis dimicandi. at Albanus quia se non posse arbitrabatur sine molestia ea uictoria potiri Truentum traijcit, seq́; ad montem Brandonium, & ad oppidum Sancti Benedicti recipit; quæ oppida sunt Asculi & Firmij. Nam profectò nihil est tam formidabile Imperatori, tamq́; omni diligentia deuitandum, quàm uno tempore, vnoq́; momento res imperiumq́; totum fortunæ arbitrio committere. Idcirco non debent collatis signis dimicare summi Imperatores, nisi cum certissimam iacturam in mora positā esse intelligunt; quoniam nunc anni tempus, nunc annonæ penuria, nunc diuturni labores, nunc inopia pecuniæ possunt hostem profligare, atque aliquando expectata auxilia opem ferre. Vbi nihil horum expectatur, quod nobis afferat auxilium, si in aliena regione præsertim fuerimus, est omni conatu si fieri possit dimicandum, idq́; maximè si anni tempus ad hyemem declinet. Albanus eò profectus potestatem facit domum redeundi multis proceribus qui diuturnis sumptibus grauabantur, quod ipsum concessum est Neapolitanis ducibus, & Siculis, & Calabris, & duobus millibus Salentinorum peditum. Positis igitur Ciuitellæ optimis firmissimisq́; præsidijs Italorum peditum multas immunitates ciuibus ob egregiè nauatam operam in eo bello concessit. Retinet secum in castris tria Hispanorum millia, qui prius è Sicilia acciti fuerant, & mille præterea alios Sancij Londognij castrorum magistri donec expectaret quod esset Guisii consilium; qui cognita imbecillitate sui exercitus quoniam Pontificiæ copiæ nō adessent, uti promissum fuerat, decreuit in Galliam redire. ad illud consilium hortabatur suspicio quædam non temerè suscepta, quia facile poterat coniectura assequi Pontificem non posse bellum diutius sustinere; quare verebatur ne res

Guisius Albano potestatem facit collatis signis dimicandi

Albanus Ciuitellā præsidijs firmat, & immunitates ciuibus concedit.

vel

vel ipso Rege Gallorum excluso componeretur. Pontifex percepto consilio Guisii illum monet se nihil tale omnino esse facturum, atque vt esset in ijs finibus dum negotium opportunius transigatur, promittit se filium Paliany obsidem in Galliam esse missurum, quem ille vnicum habebat, eaq; de re perscribit ad Regem, qui facit certiorem per literas Guisium non esse ab eo negotio discedendum. Guisius castra locat in Macerata & in finitimis oppidis, at Albanus signa conuertit ad expugnandum Ancharanum, quod cum noluisset se dedere post nonnullos tormentorum ictus captum diripitur & incenditur. oppidanorum plerique quod uisi sunt Albanum contempsisse ad transtra triremium sunt damnati. Euerso incensoq; Ancharano signa infesta infert Mallinanio oppidulo Asculi, at Ioannes Antonius Tiraldus, qui erat Asculi in præsidijs cum duodecim uexillis Italorum, ueritus ne post captum illud oppidum Asculo veniretur, ut paulatim hostem debilitaret, impedimenta hostium quotidie diripere, leuia certamina cum Hispanis committere. cum aliquando ducenti è suis fugati fuissent, pudore captus postridie eius diei cum magna manu Vasconum egressus studuit tantundem honoris recuperare, quantum hesterna die amisisset. collocatis igitur in fossis uiarum multis manipulis sclopettariorum mittit equitatum ad excitandum hostem ad leue certamen, quo excitato iubet suos artificiosè fugam simulantes hostes in insidias trahere. sed obuij facti Albani copijs, quæ erant ad duo millia sclopettariorum, ducebanturq; ab ipso Albano cum magno numero equitatus ad explorandam Asculum, leue certamen commitunt ad fluuium Marinum uocatum, atque illi ad constitutum locum recipiunt. Pugnatur acriter utrinque ita ut prælium diu fuerit anceps: sed Pontificij numero inferiores coacti sunt denique ad pontem usq; Asculi se recipere, atque in ingressu urbis consistunt, vbi displosis tormentis ab arce in Hispanos coactus est Albanus non sine magna suorum clade inde recedere. Albanus Truentum per alium pontem pertransiens discedit ad quatuor stadiorum spatium ad urbem explorandam, deinde in castra

Guisius castra locat in Macerata.

Albanus Ancharanum cōcremat captū.

Certamen atrox inter Asculi præsidia & Albani copias.

castra rediit: censebãt Asculani futurum ex eo certamine ut Albanus ad obsidendam urbem rediret, quare emissis pueris & fœminis per portã Romanam sese ad obsidionẽ & ad conatus hostium repellendos accingebant, sed Albanus quia Guisius propinqua castra posuisset fortunam belli minime tentandam ratus contentus iis successibus, per quos ad honestas pacis conditiones Pontificem compelleret, ita rem protrahendam ducit. At Guisius contrà, ut Albanus assiduis sumptibus conficeretur, liberamq; facultatem concederet Brissacco Galliam subalpinam atque insubres infestandi, rem ita consultò protrahebat. Pontifex cũ liberũ esse agrum Columnio Segniam strictè obsidenti intelligeret, Palianoq; commeatum ita esse interclusum ut nihil omnino inferretur, cum profligati fuissent Pontificij Heluetij, Guisium ad se accersit, qui contractis copijs longis itineribus per agrum Spoletinum Tibur peruenit, distributoq; peditatu & equitatu in finitima loca Romam contendit. Albanus relicto Marchione Triuici in Samnitibus iam liberis Gallico metu iter cepit cum Italis copiis opem laturus Columnio, ut bellum in Latio renouaretur, ne Guisius Segniæ expugnationem impediret. facit iter per agrum Celanum ad Fucinum Lacum per valles Oruiti, atque inde Soram. ibi certior fit Segniam vehementer laborare, quare Ananiam equitatu ac Verulam peditatu omni contracto Sora discedit. Segnia die decimo quarto Augusti ita venit in potestatem Columnii. cum Albani aduentus nuntiaretur, cœpta est vrbs acerrimè per totum ferè diem tormentis concuti; sed cum puluis tormentarius defecisset, verberatio necessariò intermissa est, dum Anagnia comportaretur. ciues interim reparationes excitare, ignes elaboratos parare in futuros conatus, omnia necessaria ad defensionem diligenter instruere. Vbi muri essent prostrati tria tormenta interius locant, quadringentos armatos cum Sarissis statuunt, qui conantes ingredi repellerent. Hispani ac Germani veriti ne urbs per deditionem caperetur, nullo signo expectato nulloq; ducum iussu vrbem prædæ auidi audacissimè inuadunt, ac per ruinas profecti ad muralem Coronam propius

Segnia urbs ab Albano acrius multa clade expugnatur, ferro ignique diripitur.

pius accedunt. Deinde cognito periculo, in quod auiditas prædæ ipsos impulerat, omnes consistunt: mox ingenti clamore edito in urbana præsidia impetum facientes cum ingenti clade repelluntur. Deinde rursus repetito conatu denuo Hispani ac Germani uirtute Segninorum præcipites per ruinas murorum deijciuntur. ita morati aliquantulum Hispani commodum tempus relinquunt vrbanis ad elaboratos ignes parandos: mox edito ingenti clamore ab Hispanis rati vrbani hostes esse inuasuros, qui iam iam descensuri videbantur; ignē addunt cuniculis, elaboratisq́; uasculis, & tormenta displodunt, quæ omnia uana prorsus & irrita extiterunt. Hispani ea re cognita nullam moram interponendam rati statim ad ruinas descēdunt, in præsidia impetum faciunt, multò inferiores numero facile opprimunt atque trucidant. mox pugnatum est in urbe uicatim cum magna utrinque cæde: sed Hispani ac Germani denique victores cæde, prædationibus, rapinis, omniq́; crudelitatis genere utuntur, nullis neque sacris, neque profanis rebus parcentes, uirgines constuprātes & uiduas, & in omnes omnis ætatis aut sexus atrocissimè sæuientes propter indignationem, quam è suorum clade acceperāt. At profectò nihil horum scelerum, si fieri poßit, à prudentibus ducibus debet permitti, quòd in tanta militum licentia multa contra ius belli fiant, quod neque aduersus Deos & res sacras, & inermes uirgnies suscipitur, neque aduersus imbecillos pueros, sed aduersus armatos & obstinatißimos defensores. Huc etiam accedit, quod hæc ipsa crudelitatis genera faciūt ut exercitus obstinatißimos ubique defensores inueniāt; cum malint homines omnes potius fortunæ euentus experiri; quàm infelicißimarum muliercularum tam necessariam defensionem deserere; quare uel summæ difficultates & insuperabiles propè exercitibus proponuntur per hanc licentiā, uel ita paucis locis occupatis affliĉtantur & debilitantur, ut ab instituto recedere necesse sit. ut illud interim prætermittam, quòd hæc ipsa scelera turpißimam uictoriam efficiunt ipsis uictoribus, omnemq́; gloriæ & militaris uirtutis splendorem extingunt aut certe minuunt, cuius in locum nationum populorumq́;

ricum Galliarum regem denuntiabatur. significatur duci Sabaudiensi summum tenenti imperium rerum bellicarum, ut quanto maioribus posset viribus collectis Galliam hostiliter inuaderet, multisq; Germanis principibus significatum est vt arma ad id bellum compararent. Quæ cum mense Iunio agerentur, Philippus paulo post Landino Doueram profectus mox traijcit ad Icium Caleforum populorum urbem, atque inde Bruxellas ut res bellicas compararet. nam bellum assiduè fiebat acerbius; quippe cum Amiras Gallicis copijs præfectus, in ea parte Belgij, quam Piccardiam uocant, dum conaretur Belgas impedire quo minus Philippicis rebus succurrerent, obuios habuerit quadringentos equites sequanos & Belgas Cataphractos, cum quibus commisso prælio Gallus fit superior. multos trucidat, alios captiuos facit. tum paulo post cum trecenti equites leuiores rursus fusi fuissent, mirificè inflammati sunt animi Hispanorum ad eum honorem resarciendum, quare magnus numerus colligitur copiarum. Illæ ubi ad oppidum Sancti Omari conuenissent, Dux Sabaudiensis egressus Bruxellis, atque quinta castra propinqua exercitui posuit in ijsdem finibus. tum coniunctis viribus magna celeritate, ita auctæ sunt copiæ ut equitum circiter tredecim millia, peditum ad quadraginta & quinque essent in castris, operarum octo millia. cum his viribus quanta fieri potest celeritate in agrum hostilem irrumpit, nunc huc, nunc illuc percurrens, multis oppidis imminere videbatur vt Gallus esset ambiguus, neque sciret quid consilij Sabaudiensis esset capturus. at denique prima vigilia motis castris simulat se Guisam obsessurum oppidum munitum, omnibusq; apparatibus instructum, at Galli, qui timerent ne oppidum non satis firma haberet præsidia aduersus tam potentem exercitum, summa celeritate multos pedites, & apparatus è finitimis locis exceptos intromittunt. Istud autem facile fit, quoniã dux consultò istud fieri patiebatur, ut proxima oppida exinanirentur, debiliaq; efficerentur & præsertim Veromandũ siue Sãcti Quintini oppidũ, quod & inuadere & obsidere & omni

Dux Sabaud. dolo militari oppidũ S. Quintini obsidet.

Eeee conatu

conatu expugnare destinauerat: quòd maximi esset momenti ad res bellicas eo loco potiri, qui transitus esset per accommodatus ad irrumpendum in Piccardiam & in Galliam, quà daretur accessus ad Lutetiam inuadēdam, cum nulla esset munitio tam valida quæ posset tantum exercitum retardare. cum itaque veromandum ad nota ducis priuatum solitis præsidijs relictum esset, sub Gallicinium, quanta potuit celeritate ac taciturnitate per inusitatas vias & loca deuia Veromandum castra mouet, ibi sub diluculum castrametatur, itaq; oppidum cingit vndique vt nulla subsidia omnino obsessis essent expectanda. Gallis obsidione patefacta, cum nollent tanti momenti ad res Gallicanas iacturam facere, statuunt omnibus artibus & fraudibus obsessis opem ferre; aut si illud non succederet, virtute & ferro rem experiri. primum igitur tutiorem facillioremq; insidiarum uiam tentant. statutum est ut Amiras cum lectissimis expeditissimisq; peditibus istud efficeret, qui noctu miro silentio è castris egressus sub auroram apud quosdam colles parum diligenter custoditos in oppidum Veromandum penetrat. sed quoniam neque hæc quidem præsidia satis valida viderentur, quæ tantis viribus hostium resisterent, decernunt alios pedites frequentiores eadem ratione immittere, quos sine molestia ingressuros sibi persuaserant: aut si opus esset putarant eos per uim uel per eā castrorū partem irrupturos. sed cū regulus Andalctus vir acri ingenio singulariq; prudentia; cui munus hoc iniunctum fuerat, vt aliquam gloriam ex ea re, celebritatemq; nominis reportaret, conceptamq; notam in pugna Parmensi deleret; cum deletæ eius copiæ fuissent, atque ipse captiuus diu fuisset in arce Mediolani. noctu igitur iter faciens sub auroram ad eam partem castrorum accedit, ubi stationem habebat Nauarettus castrorum Hispanorum magister cum mille & quingentis Hispanis, & trecentis equitibus. Andalotus cum quindecim vexillis peditum & nonnullis equitum propinquus, ubi intelligit iter nullo pacto, nisi fero, patere; magna igitur alacritate illos Hispanos inuadit, qui tanta fortitudine, tantaq; uirtute

Amirantis stratagema ut obsessis Gallis suppetias fert.

tute & constantia resistunt, ut Andalotus coactus sit pedem referre & imperfectum negotium relinquere; sex vexillis desideratis, cum ipse vix vulneratus sese in oppidum Veromandum seruauerit. Dux ratus id quod erat, futurum vt Galli omni diligentia niterentur obsessis opem ferre, statuit summo studio pro viribus oppidum esse ad deditionem compellendum aut expugnandum. erecta sunt complura tormenta in suburbium munitum egregie & in edito loco situm: quod etsi poterat à Gallis adhuc honorificè defendi, tamen ubi secundò uerberari incipit deseritur. Galli enim iniectis ignibus, omnibus rebus vtilibus in oppidum contractis, suburbium hostibus relinquunt. at Hispani incredibili celeritate vsi ignem extinguunt, domos hospitijs utiles seruant, optimisque præsidijs, & rebus necessarijs muniunt: quod commodum fuit Hispanis propugnaculum aduersus oppidum. Henricus per id tempus circiter quadraginta millia passuum distantia à Veromando castra posuerat, in quibus erant ad viginti millia peditum, equitum quatuordecim millia, studebatque quantas posset copias colligere, & rebus necessarijs instruere, cum quo erat Conestablius & uniuersa Gallica nobilitas. nam ubi instat bellum nobiles summam turpitudinem se committere arbitrantur, nisi suis sumptibus per sex menses quotannis ultro regi militent, ac opem ferant. Henricus quia timebat Veromando, excogitabat quo pacto essent mittenda subsidia, atque cum cætera consilia difficilia omnia uiderentur, statuit ipse opem ferre; quod consilium neque à consultoribus, neque à Conestablio probatur, quod rex caput & anima exercitus non debet cum omnium copiarum periculo se ipsum & regnum fortunæ arbitrio committere, aut res tam difficiles adoriri: in cuius unius salute omnia nitantur. pluribus rationibus denique Henricus ab eo consilio retrahitur. post uaria consilia data est ea prouincia Conestablio, ut uiro prudentissimo, & rerum militarium peritissimo, qui munus illud exequeretur. ille suscepta prouincia cum omnibus copijs ac uiginti tormentis bellicis Veromandum uersus castra mouet, cum

Oppidum S. Quintini a Sabau. diuerberatur.

Conestablius S. Quintino suppetias ferre ppe rat.

rex cum suis aulicis tantum constitisset. cum ad quindecim millia passuum distaret ab hostibus, præmittit duo equitum millia, qui ubi in colle quodam placido sensimq; elato sese hostibus ad meridiem ostentassent, iubent nonnullos uadum tentare, quod adeo erat angustum ut neque sex equos facile uno tempore capere posset, at in cæteris locis propter Hispanorum custodias uadari fluuius non poterat. Dux ubi uadum repertum exploratumq; ab hoste Gallo intelligit, multos sclopettarios mittit ad illud occupandum. at uero tertio abinde die, qui fuit Diui Laurentij, rursus sese ostentat Hispanis idem equitatus sed frequentior cum multo peditatu, quæ copiæ propter iniquitatem loci non poterant conspici ab Hispanis, neque numerus intelligi; quæ decernunt fluuium traijcere cum pontes etiam & lintres adueherent. cæpta sunt in Hispanos tormenta Gallica non sine magno Hispanorum damno displodi, & fluuius lintres sentire ad trayciendum. infestantur ab oppositis traiecturi Hispanis sclopettarijs, cum alij quadringenti missi denuo fuissent. statuit dux & ipse fluuium traycere, & collatis signis dimicare, cum per exploratores fidissimos cognitum esset, quantus esset hostium numerus. Re itaque cum Agamontio Comite communicata, qui unus erat è primarijs Belgarum principibus, opibus, nobilitate, autoritate præstans, & bellicarum rerum non ignarus, & cum alijs proceribus, decernitur non esse præsentem occasionem prætermittendam, quando hostem haberent & numero & uirtute inferiorem. iussum Agamontium cum mille equitibus uadari sequanis & Hispanis, statuitur ut Hernestus & Henricus duces Vessonum cum duobus millibus equitum & quingentis suis sequantur, post Masfeltius cum octingentis Ferrarolis, deinde Comes Horneus cum Mille cataphractis equitibus Menapijs, cum quibus alij uariorum ducum, qui erant mille cataphracti traiecerunt, & non nulli leuioris armaturæ; ita ut ad septem millia equitum accederent. ubi traiectus est fluuius, Agamontius statim copias instruit aduersus Conestablium, qui eò ad diuertendos Hispanos conuenerat, infestandosq; leuibus prælijs, donec

Prælium atrox & cruentum.

nec

nec ex altera parte subsidia in oppidum intromitterentur. nam id fuerat Conestablij consilium, quod cum executus esset decreuerat se collium beneficio instructa acie paulatim in tutum recipere. Galli tamen infestandis Hispanis minutis prælijs opportunitatem aperiunt trecentis peditibus ut in oppidum admitterentur: qui cum Agamontij equitatum & postea uniuersas copias flumen traiecisse conspiciunt, ad tutelam collium paulatim se recipiunt commisso leui prælio cum leuiore equitatu, qui nitebatur Gallorum fugam retardare, donec accederet equitatus Hispanus, peditesq́; omnes traiecissent. cum Galli aliquandiu processissent, coacti sunt consistere & agmina instruere propter imminens periculum. at Agamontius, qui certam uictoriam sibi propositam intueretur, cum suis copijs in aciem instructis, cum aliquantulum constitisset, occasionem præsentem non omittendam ratus maius agmen equitum hostilium inuadit, incredibiliq́; impetu facit in hostem impreßionem cum duces Vessonum cum mille Ferrarolis à tergo haberet. Monet Hernestum ut in aliud agmen duorum millium Gallorum Cataphractorum impetũ faceret, quem Horneus Comes & Masfeltius, & Horstratus sequerentur. Hernestus summa alacritate in eum equitatum cum magno equitatu irrumpit; sed agmen Gallicum pari fortitudine animiq́; constantia procedit obuiam, tantaq́; uirtute uires Hispanas primo impetu sustinet, ut propè in fugã uerterit. cum acriter utrinque certaretur, multiq́; caderent, Galli denique numero equitum semper succrescentium uicti coguntur sese ad peditatũ paulatim recipere. sed cũ Agamõtius, cæteriq́; proceres insequerentur ad Gallicum peditatum peruentum est; qui cum densus & frequens in acie constitisset, impetum fortiter sustinet Hispanorum. cum anceps diu fuisset prælium, dux Sabaudiensis nouam turmam equitũ submittit, monetq́; Agamõtium ut peditatum inuadat, neq; tantæ fortunæ beneficio abuteretur; quæ tam facilem ac certam uictoriam obtulisset. nam si mora aliqua interponeretur, uidebatur ea uictoria elabi & extorqueri è manibus, cum hostis uires colligere, & propè fusum equitatum

confir-

confirmare ita concesso spatio posset. cum diu pugnatum esset, atque hinc audacter Agamontius inuaderet, inde fortiter Galli resisterent; denique Galli terga dare uertuntur, omnisq́ salutis spes in celeritate pedum posita est. Agamontius summo studio uictoriam cum cæteris proceribus consequitur, multos comprehensos trucidat, omnes cohortes profligat, quas consistere uelle ad resistendum intelligit. Galli denique uirtute Agamontij & ducis Sabaudiensis consilio caduntur, profligantur, & labefactantur; cum peditatus tunc accessisset, cum hostis fusus, & certa esset uictoria. Capti sunt per eam Gallorum cladem Conestablius pugnans, Reguli & viri illustres Dux Lingonum siue Longauilleus, & Mompensierus, Marescíallus Sancti Andreæ, princeps Cenomanorum. Ringrauius Germanorum dux summus, & Roysperger tribunus. Angiemus Regulus, Cortonius, Foganius, Lansaccus, Mombronius, Thamesus, Villarius, Sienius, Vaisseus, ac reliqui complures. nobilium circiter duo millia, varij generis militum ad quatuor millia capta, uexilla peditum quinquaginta & duo; equitum decem & octo cataphractorum. uiginti uexilla leuiorum, & tormenta uiginti decem muralia, reliqua campestria, carri trecenti apparatuum bellicorum cum magno equorum numero. ceciderunt è Gallis ad sex millia hominum, ex Hispano exercitu paulo plures mille; inter quos illustres fuerunt Benincortus castrorum magister, duo Principes Germani, alijq́ nonnulli, Comes Masfeltius vulnus accepit in femur, Mombreus regulus in genu. Ducis Sabaudiensis prudentia & humanitas & clementia minus inuidiosam fecit uictoriam; quippe cum nemo sit quin uiro bono conuenire censeat cæteris dominari: cum solius crudelis & imprudentis hominis Imperium omnibus molestum sit. nam Conestablius magnos honores apud Sabaudiensem ducem consecutus, multaq́ humanitatis officia, intra ipsius ducis tentorium & hospitium habuit, & vulnerum curam obtinuit, atque omnis Gallica nobilitas honorificè fuit tractata. ea clades Gallorum multò ante uisa & prædicta fuerat à Michaele Nostradamo rerum

Galli insigniores captiui.

Cæsi, & uulnerati.

Ducis Sabaud. clementia.

Clades ista Gallorum à Nostradamo prædicta.

rum astronomicarum peritissimo cum multis inde secutis calamitatibus in quodam prognostico. neque enim tam fallax existimari debet ut solet prædictio quæ à peritissimis fit astrorum, cum Deus optimus rerum omnium moderator, non ita occultas esse aliquando imminentes calamitates mortalibus noluerit, ut eas deuitare non possimus, si expergiscamur; sed propter inscitiam ferimur plerunque tanquam prono alueo fluminis, neque studemus per sapientiam uiribus astrorum resistere. nam profectò facilius est præuisum, quàm ignoratum periculum sapienti deuitare; cum imprudentia contrà & inscitia periculi euitandi propè ipsa sit necessitas. Dux post eam uictoriam ad Veromandum obsidendum contendit, quod oppidum antiquitus Augustum Vormanduorum nonnulli appellatum fuisse uolunt, cum sit in comitatu Vormanduorum. est enim oppido maius, at non tamen quod ad iustæ urbis amplitudinem accedat. situ est non procul à flumine Somma uocato, habetq; ad orientem Landresirium, ad meridiem Nouiodunũ, ad occasum cursum ipsius fluminis in mare Britannicum defluentis, ad septentrionem Guisam oppidum, quod captum est multis tormentis diuerberari. Amiras omne genus defensionis diligenter procurat, Galli noua subsidia intromittere; qui sperantes Hispanum exercitum lætitia recentis victoriæ paulo negligentius castra custodituros trecentos Vascones mittunt ad tentandum negotium. sed Hispanorum tanta fuit diligentia vt statim trucidati fuerint. duplicatæ sunt custodiæ, magno studio obsidio paratur, omniaq; ad expugnationem necessaria instructa. nam & cuniculi fiunt complures, & multa tormenta ad concutiendum eriguntur, & conatus ad statutum diem decreti. nam oppidum sexaginta cannonibus à duobus lateribus concutitur magno impetu globorum: sed tamen cognitum est interius intra verberationem fossam transuersam insignis profunditatis & amplitudinis fuisse perductam in hostes inuasuros & aggerem non contemnendum. Idcirco Nauarettus castrorum magister & Comes Omegensis insequentem diem conatum differunt, ne quam cladem ab hostibus

Dux Saband Veromandum obsidet.

Voromandi descriptio.

Voromandum a tribus lateribus diuerberatur.

stibus acciperent. at Gargioneus Regulus tormentarij negotij magister cum ad eam partem tormenta attrahi curaret vel glande vulneratus, nonnullisq; proceribus cæsis, tamen negotium non intermittit; sed ea ipsa nocte fossam illam tran suersam tormentis diuerberat, itaq; solo aquat aggerem ut exorto die latius posset oppidum inuadi. distributæ sunt postea verberationes, atque prima data est Gazera castrorum magistro cum mille & quingentis Germanis tribunatus Lazari Suendij, vbi erat Dux ipse, quod ibi maiore impetu quàm alibi concussum esset, cuniculiq; sex additi, per quos in fossas descenderetur valde profundas. alia verberatio Nauaretto data est, & Comiti Omegensi, veteranos milites, & Vallones vocatos habebat in castris. sunt autem Vallones in finibus Belgarum uocati agrestes homines, qui nomina in militiam dederunt. Tertia concessa est duobus millibus Britannorum, quos Maria regina subsidio miserat ex Anglia, & tribus Hispanorum cohortibus tribunatu Nauaretti; tribusq; sequanorum. his omnibus imperatum est vt uno tempore oppidum inuaderent, atque ad aggerem pariter accurrerent, neque omnes id facerent coniuncti, sed in tria agmina diuisi ita ut alter alteri pro opportunitate succurreret. atque hoc ita factum est, vt distractæ plures in partes defensorum vires debilitarentur. At verò Philippus rex, cum reliqua parte copiarum quæ cum Fernando Gonzaga erant Samarobriga in castra per illud tempus accessit: atque quinto Calendas Septembris circiter horam decimam nonam cæptum est oppidum inuadi, defensores impetum fortiter sustinent aliquandiu. sed cum paruus esset defensorum numerus, inopia defensorum potius, quàm munitionis, aut apparatuum causa, res infeliciter Gallis successit. Galli denique uirtuti militum Hispanorum cedere coacti ab ea parte ubi dux constiterat, paulatim locum relinquūt. at Hispanus Rex qui armatus exitum pugnæ prospectabat in fossam descendit, atque inde per ruinas murorum urbem ingreditur, cum inter primos esset dux Sabaudiensis qui vrbem sunt ingressi. percurritur

Philippus rex Veromãdũ primus per ruinas ingreditur.

curritur ad templum maius vsque. postea dux reuertitur ad ruinas, vt infortunijs consuleret, quæ poterant inter prædationes exoriri. oppidum igitur cum victoria vbique conclamaretur è tribus lateribus vno tempore occupatur. at uero cum intelligeretur magna ubique fieri cædes, ut fieri solet plerunque vbi vi in urbes irrumpitur, Philippus misericordia innocentis populi compulsus magna celeritate in oppidum irruit. proponit capitale supplicium in eos qui pueros aut senes, aut infelices mulierculas sæuirent, aut qui res sacras, uel sacras personas turbassent. Amiras è mœnibus cum nonnullis proceribus sese ad fugam demissurus fit captiuus, & Memorantius Conestablij filius. Muliensius regulus, & Cuziesis, Humesius, sancti Remi Iarnacius. Andalotus cũ ad tentorium Nauaretti se seruasset, adductus est ad ducem. trucidati sunt plures quadringẽtis ex defensoribus, at cataphracti equites capti trecenti. Philippus ipse in ingressu oppidi constitit, qui cum illud diripiendum militibus concessisset, curauit ne qui participes periculorum non fuerant, neque ad prædam quidem ingrederentur. capta sunt ad viginti & septem bellica tormenta varij generis, multiq; bellici apparatus. ignis in nonnullis domibus accensus extinguitur. multa præda capta est in eo oppido, quod sæpius Britannicis spolijs fuerat locupletatum, magnisq; sumptibus Francisci regis munitum in situ aptissimo. restaurata sunt postea collapsæ partes, præsidiaq; firma imposita. at Henricus Galliarum Rex ea clade accepta, cum magnam partem Gallicæ nobilitatis amisisset, tam insigni calamitate perculsus; veritus ne uictrices copiæ Lutetiam contenderent, quantum potest numerum armatorum conscribit, Heluetios omni celeritate ciet, reliquias fusarum copiarum colligit, Guisium in Galliam reuocat cum suis copijs. ipse dum Feram munit, Sabaudiensis Dux Comitem Arembergæ ad oppidum, quod situm est inter Veromandum & Samarobrigam, Chiatelletumq; uocatur mittit: qui post diuturnam verberationem per quasdam conditiones deditionis in potestatem Hispanorum venit. at Philippus aduersus Henricum cum

Philippi edictũ nobile.

Captiui proceres Galli.

Dux Sabaud. Chiatellettum expugnat.

exercitu procedens multa Castella Nouiodunum usque occupat cunctaq; igni & ferro populatur. sed cum nuntiaretur Lutetiæ iter & transitus esse à Gallo communitos, quia iam hyems propinquaret signa conuertit in hyberna, omnesq; captiuos in Belgas distribuit. neque cessabatur in Britanniæ finibus interea, cum ad viginti Britannorum peditum millia equites mille & quingenti in fines Scotiæ irrupissent, in quos castra mouerant duo spurij Iacobi regis defuncti, & Prorex eius prouinciæ cum magno armatorum numero ad vetandum aditum, & deuastationem regni. est autem Scotia, insula in mari Britannico ad occidentem vergens, pars Albionis ut diximus, quæ diuiditur, Tabuda flumine ab Anglia vocata, habetq; ad septentrionem Thulen & Orcades insulas, ad occidentem Hebrides, ad meridiem ipsam Angliam, ad orientem Viruedrum promontorium. quæ multis fluminibus irrigatur, abundatq; montibus & ampla planitie. Britanni commisso prælio cum Scotis victoria potiuntur, atque in eo prælio filij ambo ceciderunt, præter multos alios proceres. multi alij præterea ex utraque parte desiderati sunt. Britanni ea victoria elati multis captis oppidis Scotorum ad montem denique perueniunt ubi in accessum hostium Scoti locum muniuerant: qui cum penetrare vlterius non possent, præda onusti in patriam reuertuntur. at vero quoniam non simplex accidit plerunque infortunium, sed ea multiplicantur, quæ accidunt aduersa; non minus infeliciter pugnatum est in mari à Gallis. nam Britannica classis cum Hispana coniuncta per Gallicana Littora oberrans obuias habuit nonnullas onerarias naues è noua Gallia antarctica Indicis mercimonijs, & aromatibus onustas; quæ ubi cruentum prælium commisissent, post multa nauigia à Gallis succensa, Hispani denique victores euadunt, multisq; opulentis nauibus potiuntur, multa nauigia demerguntur. interea clades à Gallis accepta, oppidumq; Veromandum siue Sancti Quintini captum ab Hispanis in finibus Belgarum nuntiatur: quare Pontifex desperatis nouis subsidijs è Gallia, diuturnis sum-

Philippus signa conuertit i hyberna. Prælium i Britannia. Scotiæ descriptio. Cruentum prælíu nauale. De pace agitur inter Pont. & Philippum ab Alex: Placito.

ſumptibus bellorum defatigatus & exhauſtus, ſuorum frequentibus cædibus, incendijs, prædationibusq; non mediocriter afflictus, cohortantibus ad pacem multis è purpuratis antiſtitibus, cœpit denique ad eam aſpirare, de qua denuo ab Alexandro Placito agi cœptum eſt. Philippus Rex cum ad pacem ſemper, quàm ad bellum magis fuiſſet propenſus, ut qui coactus aduerſus Eccleſiæ Principem, communemq; omnium Chriſtianorum patrem arma mouiſſet, eam videbatur libentiſſimè admiſſurus: de qua dum inter hos Principes agitur, Galli Foſſanum in ſubalpina Gallia obſident, oppidum natura loci & arte munitiſſimum, quod ab Hiſpanis præſidijs egregiè defendebatur. at Albanus Romam mittit exploratum ad expugnationem ex ea parte, in qua eſt erectum templum Sanctæ Crucis Hieruſalemi. Palatius & Moſchera per noctem omnibus diligenter exploratis reuerſi nuntiant Albano facile futurum eſſe, ſi vrbs repente cum nonnullis tormentis inuadatur, capere. Alij tamen duces iſtud difficillimum eſſe arbitrabantur cum tanta ineſſent præſidia, & nonnulla etiam propter ſitum difficultas, populusq; non mediocriter infenſus Hiſpano nomini ob acceptas calamitates. Verumtamen Albanus magis ut ad pacem Pontifex facilius cogeretur, quàm quòd ſperaret ſe urbem poſſe capere, omnes copias ad Columnam contrahit, iubet curare corpora, denunciat Romam eſſe inuadendam. monet die poſtero ibi relinquant impedimenta. hortatur milites ſi Romam ingrediantur, libertatem conclamarent, quo nomine ab hoſtibus dignoſcerentur. proponit capitale ſupplicium ſiquis uiolentia uteretur. Tum præmiſſis trecentis peditibus cum ſcalis, ac nonnullis equitibus iubet ad ſeptimam horam noctis præſto eſſe ad portam maiorem uocatam, conariq; illam occupare, quòd ſtatim alia copia ferrent ſuppetias. Sed paulo poſt tanta fuit uis imbrium ut pedites propter uim aquarum minime uſi uſitato itinere per longiores tramites coacti ſint incedere, quare ad ſtatutam horam adeſſe non poſſunt. Albanus caſtra monit hora ſecunda ſenſim incedens cum tormentis.

Galli Foſſanum in Subalpina obſident. Albanus Romã denũciat inuadendam & hoſtiliter cingit.

Alexander Placitus Romam reuersus hos bellorum motus visos cum discederet ab Albano Carafæ nuntiat; qui veritus ne Tybur aut Romam accederet, eadem nocte Guisium certiorem facit ut suas copias contraheret, seq; pararet ad defensionem. Ipse postea Romanorum animis parum confidens ob ea multa damna, quæ causa horum bellorum perpessi fuerant, rem silentio inuoluit, neminem ad arma uocat, ipse cum suis militibus ad vrbis mœnia profectus ubique custodias locat, at in ea parte præsertim, in quam irrupturos hostes suspicabatur. Ascanius ad horam tertiam ante lucem ad portam profectus ex equite qui prædabundus cum alijs exierat capto esse armatos Romanos intelligit, custodias urbis esse frequentes, & in omnia opportuna loca distributas, fit anceps quid esset agendum, venitq; in suspicionem sua consilia Romanis patere. sub aurora postea trecenti illi cum scalis præmissi accedunt, horum aduentus Romam ab agrestibus denuntiatur: mox accedit Albanus cum tormentis, qui vel sentiens suos conatus Pontificijs innotuisse, vel quod iam pœnituisset suscepti consilij ut nimis inhumani & implacidi, vel quod verebatur ne si in urbem irrupisset sua copia rapinis intenta à Strozzeanis trucidarentur, (nam Strozza hac ipsa de causa vt prædantes hostes repente reuersus oppri-meret, ex urbe exierat cum decem vexillis Vasconum, & quadringentis equitibus galeatis.) consilium mutauit, nam cum nemo super mœnibus aspectus fuisset, verebatur ita rem ex composito fuisse instructam, quare noluit fortunæ uoluntatem experiri, uniuersamq; existimationem multis laboribus ac vigilijs collectam una hora profundere. rursus ad Columnam se recipit. Carafa cognita trecentorum fuga, qui relictis scalis, armisq; nonnullis profugerant equites ad insequendos mittit; nonnulli capti, alij trucidati sunt. Guisius in agro Tiburtino vniuersas copias suas contraxerat, vt Romæ castra cum Pontificijs coniungeret, Albanumq; à tergo adoriretur; cum certior fit à Rege de accepta clade, iubeturq; quam citissimè in Galliam

cum

cum suis copijs redire. Scripsit etiam ad Pontificem Henricus ut ea salubriore via, qua fieri posset, suis rebus consuleret, donec ipse ab accepta calamitate aliquantulum conualesceret. eo nuntio Venetis & Hetruriæ principe intercedentibus efficitur ut maturè Pontifex pacis conditionibus assentiret, quæ essent honestæ. Ad eas conditiones tractandas Cardinales Sanctiflorius & Vitellocius Albanum conueniunt, inter quos ita res concluditur, ut Carafa in colloquium cum Albano Cauas conueniret, ubi totum negotium pacis esset transigendum. Carafa Palesanum contendit, atque mox Albano ad Cauas fit obuius, ibi inter Albanũ Philippi Regis nomine, atq; nomine Pontificio tres Cardinales ita de pace conuenit, ut uterque Princeps legitimum procuratorem mitteret ad ea quæ communi consilio conclusa fuerant, confirmanda. Sic igitur Pontificijs nomine Carafa procurator instituitur. Paulus Papa iiij. dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. cupientes studio pacis & quietis, quam præ cæteris rebus omnibus summopere diligimus, ut sedatis tumultibus bellicis diuinis obsequijs, prout nostro pastorali incumbit officio, toto animi affectu, ac libera mente uacare possimus aliquam concordiam præsenti temporum conditioni accomodatam cum nobili uiro duce Albano bellum nobiscum in præsenti gerente inire, tibi etiam secundum carnem nostro nepoti, qui mentem & intentionem nostram optimè nosti, & cuius fidem & prudentiam, & diligentiam, & probitatem in pluribus arduis huius sanctæ sedis negotijs iamdiu planè cognouimus unà cum his de quibus tibi uidebitur de Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus cum eodem Duce in aliquo congruò & securo loco conuenienti, & cum eo nomine sui Regis, à quo super hoc sufficiens mandatum habere putatur, pacem & concordiam nomine nostro tractandi, & quamcunque capitulationem & pactionem ineundi aliave in præfatis necessaria, & opportuna, & quæ nos ipsi si præsentes adessemus facere possumus, faciendi & exequendi plenam & liberam Apostolica autoritate per præsentes

Conuẽtiones de pace iter Põt. & Philippum tran. sigenda.

Diploma, quo Carafa à Pont. procurator instituitur.

concedimus facultatem & potestatem . Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris . die. 8 . Septembris 1557 . Pontificatus nostri anno tertio . à tergo . Dilecto filio nostro Carolo Sanctorum Viti & Modesti in Macello Martyrum Diacono Cardinali Carafæ nuncupato . Albanus etsi ad omnia Philippi Regis negotia exequenda plenissimam facultatem habebat , neque indigebat ut denuo procurator institueretur , tamen Philippus nequa dubitatio posset Pontificem à pace deterrere , ita etiam suum procuratorem cum præcipua ad hoc munus autoritate rursus Albanum legitimè creat . Philippus Dei gratia Hispaniarum , Angliæ , Franciæ , Neapolis , utriusque Siciliæ, Hierusalemi , Hyberniæ &c. Rex . Archidux Austriæ , Dux Burgundiæ , Mediolani , Brabantiæ . Comes Habspurgij, Flandriæ , Tyrolis &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium uniuersis , quòd quamuis pro incredibili studio & amore ad componendam illam dissensionem , quæ inter summum D. Paulum diuina prouidentia S. R. & uniuersalis ecclesiæ Pont. Max. & nos diebus elapsis , non sine magno animi nostri dolore oborta fuit die 17 . Mensis Decemb. Anno Domini 1556 . Illust. fideli , nobis dilecto D. Fernando Aluarezio Toletano Duci Albæ consiliario nostro , status & prætorij præfecto , Proregi regni nostri Neapolitani , gubernatori Mediolani , & exercitus nostri in Italia summo Duci plenam facultatem dederimus cum eius S . aut quibuscunque personis ab ea potestatem habentibus omnia tractandi, paciscendi , faciendi , exequendi , quæ ad hanc compositionem & concordiam spectare uideantur , quo tamen huic negotio necessario mora nulla aut dubitatio inijciatur , quin ad exitum optatum perducatur, & nostro huic desiderio plenius satisfiat , eandem illam facultatem cum eisdem clausulis prout iacent ad uerbum , eisdem modis & formis , gratificare , stabilire , & confirmare decreuimus , prout tenore præsentium gratificamus , stabilimus , confirmamus , ratumq; habemus , & approbamus quidquid præfati mandati nostri uirtute hucusque

Procuratoriũ Philippi Regis Albano Duci.

que gestum, actum, & transactum est ab ipso duce Alba cum S. D.N. Paulo iiij. aut ab eo potestatem habentibus, ac si à nobis id actum & conclusum foret. & ad uberiorem cautelam, quatenus opus est, eidem Duci Albano confisi eius integritati & prudentiæ multarum rerum eandem prouinciam per præsentes demandamus. dantes denuo plenam, quatenus opus sit, facultatem, autoritatem, & potestatẽ ut nostro nomine ac pro nobis poßit & ualeat cum præfato S. D.N. Paulo iiij. Pont. Max. seu cum admodum reuerendo Car. Carafa, uel alio, seu alijs quibusuisq; à sua Beat. potestatem habentibus conuentiones, pacta, & capitula quæuis inire, tractare, concludere, & firmare, uel inita iam continuare, & ad finem perducere. nec non alias donationes, conceßiones, cautiones, securitates & promißiones cuiuscunque qualitatis aut existentiæ fuerint prout ipsi bene uisum sit, promittere, acceptare, & nostro nomine aßicurare, etiam si mandatum exigant præcipuum, quàm præsentibus est expressum, omniaq; alia singula facere, firmare, disponere, ordinare, & pertractare, quæ nos ipsi disponere, facere, & pertractare possemus, si ore præsentes essemus, & illa, si opus fuerit iuramento confirmare, unumq; aut plures ad præmissa loco eius substituere cum simili seu limitata potestate. Promittentes sub nostra fide & uerbo regijs, nos gratum & ratum habituros, & omni dolo ac fraude semotis obseruaturos quidquid per eundem Ducem Albanum mandatarium nostrum aut substituendum, seu substituendos, actum, gestum, ordinatum, conuentum, concordatum, promissum, & conclusum fuerit circa præmissa, uel quodlibet præmissorum, & nullo unquam tempore reuocaturos, neque nulla ex parte contrauenturos sub bonorum nostrorum omnium præsentium & futurorum obligatione. harum testimonio literarũ manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri secreti impreßione munitarum. Datum Bruxellis ducatus nostri Brabantiæ die 26. Mensis Iulij anno domini. 1557. præsentibus testibus uiris illustribus D. Fernando Gonzaga, D. Antonio Toletano, D. Bernardino Mendocio, D. Ioanne Maurico, rerum nostri

status

Pacis inter Pōt.& Philippum cō positæ conditiones.

status consiliarijs. Ita procuratoribus legitimis constitutis ab utroque principe, pacis conditiones huiusmodi subscriptionibus utrinque confirmantur à Carafa Pontificis, & ab Albano Regis Hispaniarum nomine. Vt Albanus Regis nomine tanquam filius sanctæ ecclesiæ Apostolicæ obedientiæ ergò suppliciter, & qua conuenit reuerentia ueniam petat à S. D. Pontifice, quod ipsum postea Rex faciat per oratorem postea hac ipsa de causa Romam missum. Vt Pontifex ipse tanquam pater clementissimus in suam gratiam Regem ipsum recipiat, admittatq; ad omnia beneficia, quæ cæteris christianis principibus conceduntur. Vt Pontifex fœderationem renuntiaret Gallorum Regi, essetq; in posterum communis tanquam utriusq; parens. Vt regio nomine omnes urbes, oppida, munitiones, & cætera loca cuiusuis prouinciæ mœnibus nudata restituerētur, quæ subiecta fuissent imperio Pontificio, ab initio belli capta ad præsentem usque diem. Vt omnia bellica tormenta utrinque capta quouis modo ab utrisque restituerentur. Vt ex utraque parte supplicia, pœnæq; indicta obliterarētur, perpetuæq; obliuioni mandarentur, quæ cuiusuis ætatis, conditionis, dignitatis, sexus hominibus fuissent obnuntiatæ, horum bellorum causa: omnibusq; non solum uenia & impunitas concederetur; uerum etiam honores, dignitates, iura, officia, urbes, munitiones, castella restituerentur, omniaq; tam mobilia bona quàm immobilia, quæ cuiuis erepta, interdicta, impedita fuissent per horum opportunitatem, at non alijs de causis. atque ne per hanc conditionem aliquid commodi Marco Antonio Columnio, aut Ascanio Corniæ afferatur, illi intelligantur esse contummaces, uti sunt in præsenti, quorum negotium totum liberæ Pontificis uoluntati relinquatur. Vt Palianum quale nunc est Ioanni Bernardino Carboni Sequestro utriusque partis consensu concedatur, qui iuret se fidem utrisque principibus seruaturum, obseruaturumq; pactiones inter Carafam & Albanum compositas, qui præfuturus est Paliano cum octingentis peditibus communibus utriusque principis stipendijs. Has autem pactiones Carafa Pontificio, Albanus Regio nomine pro facultatibus autorita-

Subscriptione Carafæ & Albani.

toritateq́; sibi concessa confirmarunt, iurarunt, q́; in animas suorum principum, quòd sine ulla fraude, aut cauillatione, aut exceptione seruabuntur: ad quarum rerum fidem præmissarum ambo subscriptionibus prædicta confirmarunt præsentibus Sanctiflorio & Vitellio Cardinalibus, solitisq́; sigillis consignarunt, quibus tanquam testes subscripsere etiam prædicti Cardinales. sed quoniam nihil certum adhuc de Paliano utrius tandem futurum esset, constitutum fuerat, conueniunt inter se Carafa & Albanus secreta propriaq́; conditione, ut arbitrio Regis id permissum sit, an Palianum uelit mœnibus nudatum restitui, ita ut non possit amplius muniri, donec satis apta permutatio fiat, Rexq́; rependerit locum æquæ utilitatis. Quòd si controuersia de permutatione oriatur, ea concedatur Senatui Veneto iudicanda, cuius sententiæ utrique acquiescant. ea facta permutatione concedatur Palianum cui Regi libuerit, modo ne sit Romanæ ecclesiæ hostis atrocissimus, atque sequester nudato Paliano mœnibus exeat. His conditionibus ita utrinque confirmatis ad 13. Cal. Octobris Palianum cum prædictis præsidijs datur Carboni custodiendum. Cardinales Romam Pontifici pacem compositam nuntiant, ob quam multa letitiæ signa parabantur: Sed ita creuit sequenti nocte uis aquarum, ut Tibris spretis aluei carceribus, solitoq́; hospitio non amplius intra ripas se contineret, sed tanta cum copia & uiolentia aquarum insolitarum per agrum Latinum uagaretur, ut uniuersam Romam nauigabilem fecerit, multaq́; ædificia partim ob uetustatem debilia, partim ob inconstantiam fundamentorum propter humoris copiam corruerint. Multi egregia opera facti horti, multæ pulcherrimæ picturæ, amœnaq́; uiridaria sunt deuastata. magnus fuit hominum etiam animaliumq́; quæ in aquis perierunt numerus, immensa ac propè incredibilia damna, quæ Latio uniuerso illata sunt per eam inundationem. unum ausim dicere, tam atrocem fuisse, tamq́; calamitosam Romanis hanc ipsam inundationem, ut non minus malorum hæc una nox uniuerso Latio cælitus attulerit, quàm uis humana, & crudelitas


Palianum qua ratione datur Carboni custodiendum.

Tiberis innũdatio memorabilis.

crudelitas armatorum hostium ac bellorum acerbitas multis mensibus . Nec Bononia sanè aut Florentia multo moderatius à suis fluminibus tractatæ fuerunt ; quippe cum ita ob immensam copiam pluuiarum excreuerint, ut cum maxima clade ac detrimento illarum urbium cognitum sit uicinitatem maximorum fluuiorum non esse satis tutam aliquando . Pontifex quòd hac non sine numine consilioq; Dei fieri existimabat , ad placandam diuinam iram , implorandam ueniam à diuina clementia , tantarumq; calamitatum aliquod refugium , supplicationes & solenne uocatum Iubileum indicit . atque cum Diui Bartholamei corpus inter ruinas sui templi propter inundationem collapsi repertum fuisset , illud magna & solenni cum pompa & supplicationibus in templum Diui Petri comportandum curauit . deinde die postero Albanus sub noctem Romam ingreditur cum magna totius populi lætitiæ significatione , ad petendam ueniam . ad Pontificem profectus perbenignè excipitur , omnibus captiuis donatur , ac die tertio Neapolim reuersurus Roma discedit.


Albanus Pon. per benigne exceptus Neapolim reuertit.

FINIS.



Ioannes Baptiſta Seſſæ

humano Lectori.



I quid Erratum reperies in his Hiſtorijs, illud fortunæ tribuendum putes, aut humanæ imbecillitati, quæ nihil perfectum eſſe patitur. nam vix fieri poteſt vlla diligentia, vt recentia opera ita ad unguem imprimantur uti ſcripta ſunt, quia tractari cudiq; oportet à pleriſque literarum ignaris; quanquam ego nulli neque induſtriæ neque ſumptui peperci. Sed pro ingenio iudicioq; legentium quæ corrupta ſunt, ſi qua erũt, reſtitui intelligiq; debent, vbi vires defuerunt noſtræ, cum multò etiam maiori ſtudio in cæteris, ſi fieri poterit, ſim vſuras. Vale.

